Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

1764

Visual Library

Brem.c.68

Brem
c.
68

Brem.
6
68

J. P. Casselij
1764.

BIBLIOTHECA
BREMENSIS
NOVA
HISTORICO-PHILOLOGICO-THEOLOGICA

CLASSIS QUARTÆ
FASCICVLVS PRIMVS.

BREMÆ & AMSTELODAMI
Sumptibus Bibliopolarum
G. W. RUMPII & H. VIEROOT.
MDCCLXIV.

BIBLIOTH. REGIMENSIS

DUUMVIRIS SPLENDIDISSIMIS,

ILLUSTRIS LYCEI BREMENSIS

SCHOLARCHIS GRAVISSIMIS;

PERQUAM MAGNIFICO

HIERONYMO KLUGKIST,

REIPUBLICAE PATRIAE CONSULI,

ET

DIDERICO SMIDT,

SENATORI, URBISQUE PRÆTORI AMPLISSIMO,

JCTIS EXCELLENTISSIMIS,

FAUTORUM SUORUM ET MÆCENATUM HAUD POSTREMIS,

DECIMUM

BIBLIOTHECÆ

BREM. NOVÆ

FASCICULUM,

IN PVBLICUM OBSERVANTIÆ SUÆ TESTIMONIUM,

SACRUM CUPIT.

AC

BENEVOLENTIÆ EORUM

PERPETUITATEM EXORATURUS

OMNI, QUA PAR EST, VENERATIONE

INSCRIBIT,

ET

PRO INCOLUMITATE EORUM,

AC FELICISSIMIS CONSILIORUM

MOLIMINUMQUE SUCCESSIBUS,

EJUS IN PRIMIS GENERIS,

QUOD

COMMODIS

ILLUSTRIS LYCEI,

SCHOLÆQUE PUBLICÆ,

CUJUS LAUDES,

QUINQUE CIRCITER ANTE LUSTRA,

UTI MEREBATUR,

FACUNDO ORE

GRAVITER CECINIT

CELEB. CONR. IKENIUS,

PRISTINOQUE EJUS FLORI

RESTITUENDO

INSERVIT,

NUMINI OPTIMO MAXIMO

PIA VOTA

NUNCUPAT

EDITOR.

INDEX
OPUSCULORUM
FASCICULI PRIMI
CLASSIS QUARTÆ.

I. OLAI CELSII, historia *linguæ & Eruditionis Arabum, Cap.* 1 & 2. pag. 1.

II. JOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGII, Expositio PSALMI *XCII, ad Josaphati ætatem posteriorem revocati & expositi* pag. 55.

III. HENRICI HEISENII, Dissertatio Philologico-Theologica Posterior *ad* ROM. *I*, 17., *qua aliorum de* τοις ΕΚ ΠΙΣΤΕΩΣ ΕΙΣ ΠΙΣΤΙΝ *sententiæ trutinantur* pag. 76.

IV. FERDINANDI STOSCH, *S. T. D. & V. D. M. Reg. Gymn. Joach. Prof. Ord.*

Ord. & Ephori, Societatis Latinæ Jenensis & Teutonicæ Gætting. ac Brem. Collegæ, Exercitatio Philologico Exegetica, *qua optimi Sospitatoris promissio* JOH. *XIV.* 2. *enodatur* pag. 107.

V. ELIÆ PALAIRET, *Auctores Sacri Classici*, & quidem MARCUS pag. 143.

VI. LITTERARIA pag. 172.



I.

OLAI CELSII,

HISTORIA
LINGUAE ET ERUDITIONIS ARABUM *)

L. B. S.

Tuguriolum hoc Arabicum ingressuros hoc saltem in limine monendos duxi, mihi, dum historiolam hanc colligerem, propositum non fuisse omnes omnino flosculos in Philologorum atque historico-

*) Elegantissima hæc Commentatio τε παιδ Ο. CEL-

ricorum hortulis libare, atque adeo omnia, quæ super hac materia dici possent, congerere, sed potiora duntaxat, indice quasi digito demonstrare. Cogitandum enim mihi fuit, disputationem scribi, non commentaria. Spem præterea foveo indubiam, æquos omnes tanto pro-

O. CELSII, quam sub præsidio Viri Doctissimi GUSTAVI PERINGERI ℒℐℒℒℐℰ: ℬℒℳℐ, OO. LL. Prof. a. 1694 d. 7. Nov. *Upsaliae*, publicæ Censuræ submisit, inter rariores æque ac doctissimas hujus generis dissertationes numeratur, quin imo unica est, qua hucusque Orientalis Litteræ cultores de linguæ & eruditionis Arabum historia gaudent, eamque idcirco auro cariorem habent. Promiserat quidem historiam linguæ Arabicæ Vir Doctissimus JO. CHRISTIANUS CLODIUS, Linguæ Arabicæ Professor Lipsiensis, *Historiam Linguae Arabicae*, qua cap. 1. acturus esset de Linguæ Arabicæ nominibus ac variis dialectis, literis antiquis, recentioribus, vocalibus &c. cap. 2. de ortu & progressu usque ad tempora Mohammedis, c. 3. de ejus statu post Muhammedem, c. 4. de linguæ Arabicæ studio in Europa, c. 5. de Grammaticis Arabicis. c. 6. de Lexicographis Arabicis, c. 7. de Grammaticorum & Lexicorum defectibus, c. 8. de usu hujus linguæ & indole, c. 9. de versionibus nonnullorum editis, eorumque nævis: uti hæc capitum series annunciatur in *Bibliotheque Germanique* T. XIII. p. 226.

proniores fore ad tegendos lapſus meos, quanto fatebuntur libentius, ad rigidam perfectionis normam exigi haud oportere, quæ prima tentantur vice. Quem ſi favorem Arabica ſenſerit Muſa, beneficii loco habebit, animumque gratum, quo poterit pacto, declarare nitetur, Valete.

A 2 HISTO-

p. 226. Verum, neſcio quo fato, forte ejus morte, promiſſum hoc in ſpongiam abiit. Philarabibus itaque, qui eruditiſſimam hanc *Celſii* Commentationem diu fruſtra quæſiverunt, aliisque eruditis quam gratiſſimum fore auguror, quod eandem Muſivo huic operi inſerere, & eo ipſo illud exornare conſtituerim. Abſolvitur hæc Diſſertatio ſex Capitibus, quorum *Primum* eſt de ortu linguæ Arabicæ, *Secundum*, de fatis linguæ Arabicæ ante Muhammedem. *Tertium*, de fatis linguæ Arabicæ ſub Muhammede & Imperatoribus Muslimicis. *Quartum*, de fatis linguæ Arabicæ ſub Turcis ac Tartaris. *Quintum*, de fatis linguæ Arabicæ inter Europæos. *Sextum*, de uſu linguæ Arabicæ in variis diſciplinis. Ne verohæc Diſſertatio integrum abſorbeat Faſciculum, aliisque etiam ſymbolis ſpatium relinquatur, diſpeſcere eam oportet, ita ut in ſequentibus tribus faſciculis, Deo volente, mox proditurus, integra comparebit Citata Arabica & Rabbinica, ubi opus eſt, in eadem lingua locum invenient, ubi *non opus*, data verſio haud negligitur. N. B.

HISTORIAE LINGUAE ARABICAE

CAPUT PRIMUM

DE ORTU LINGUAE ARABICAE.

De ortu Linguæ Arabicæ tres diversæ sunt sententiæ. Erpenius in Chami familia natam existimat. Γλωττοσυγχυσει adscribunt Hebræi. Rectius secundum Arabes ipsos Joctan gentis & Linguæ Arabicæ Autor statuitur. Joctanidæ in Arabia Felice consedere. Ismaëlitæ autem cum Esavidis Desertam & Petræam occupavere, & Arabes facti adpellati sunt. Ab Hebræa orta lingua Arabum. Arabes unde adpellati. Arabum adpellatio antiquissima. Literæ & scriptura Arabum origine Hebræa. Scriptura Arabum quam antiqua. Ratio scribendi apud Arabes multiplex, Zifras, s. notas numerorum unde & quando acceperimus.

§. 1.

Origo Arabicæ Linguæ antiquissima sane est, sive eam ad familiam Chami, sive posteros Semi, sive confusionem linguarum Babylonicam retuleris. Celeb. Thomas Erpenius inter semonas hujus linguæ & statores in Europa primos excellentissimosque, Chami nepotibus eandem adscribit in *Orat. 1. de L. Arabica*. Cui sententiæ & nos calculum

culum noſtrum haud gravate adponeremus, ſi oſtendiſſet vir maximus e Chamitis ipſam quoque Arabum gentem pullulaſſe. Hoc autem cum neque gens ipſa, neque Sacra ſcriptura, quæ Chamitarum progeniem ſatis adcurate deſcribit, agnoſcat; ſatius fuerit Arabes ipſos hac in parte ſequi, quorum plerique a Joctane, Semi ex Ebero abnepote, tam gentis quam linguæ ſuæ originem repetunt. Illis enim cur minus credamus, quam Europæis; qui pro conditore ſuo celebrant Japhetum; Africanis, qui Chamum; Aegyptiis, qui Miſraimum; Syris, qui Aram; Phœnicibus, qui Canaanem &c. rationem haud video ullam. De Joctane autem teſtantur Joſephus Jbn Abdillatif in opere Chronologico, & Muhammed Alfiruzabadius apud Maronitas in *tractatu de urbibus & moribus Orientalium*, Geographiæ Nubienſi, quam vocant, ſubjuncto *cap.* 2. & Sam. Bochartum *Geograph. ſacræ L.* 11. *c.* 15. Hunc eundem alio nomine قحطان *Cabtanem* dixerunt. Scholiaſtes in poëma Ebn Abduni apud Cel. Pocockium *not. ad ſpec. Hiſt. Arab. p.* 39. يقطن هو قحطان *Joctan idem qui Cahtan.* Sic Al Jauharius inclutus inter Arabes ſcriptor, ירח *Jarach*, qui *Gen.* X. 26. inter filios *Joctan* enumeratur, adpellat אבן קחטאן *filium Cah-*

 tan,

tan, apud Golium *in rad.* ערב, & ipsum קחטאן *Cahtanem* Arabiæ felicis patrem haberi autor est idem Golius *Lex. p.* 1858. Sic R. Saadias in versione Pentateuchi Arabica *Gen.* X. 26. pro יקטן *Joctan.*, substituit קחטאן *Cahtan;* & similiter Arabs Parisiensis, qui Saadiam in plerisque sequitur.

§. 2.

Sunt tamen ex Arabibus alii, qui ad filios potius Joctanis incunabula sua rejiciunt. Sic ירח *Jarachum* אבו אלימן *patrem populorum Arabiæ Felicis*, & *primum Arabicæ Linguæ autorem* Arabs laudatus celebrat apud magnum Golium *l. c.* & *p.* 11. שבא *Schebam* mavult Leo Africanus *Descript. Afr. lib.* 1. *c.* 19. *Veteres Arabes felicem Arabiam habent, ortumque ducunt a Saba.* Græci autem Patres חצרמות *Chatzarmavethum.* Epiphanius *lib.* 1. αιρεσ. κατα Σηθιανων. Ἀρμωτ την των Ἀραβων, sc. γλωσσαν ἐσχεν, vel, Ἀρμωτ αρχηγὸς ην (liceat enim, autore non repugnante, voces aliquot linearum intervallo distantes ita connectere) της των Ἀραβων γλωσσης. *Armot* (vel Asarmot) *linguam Arabicam habuit*, vel; *princeps & autor erat Arabicæ linguæ.* Sed ad patrem filiosve referant, perinde fuerit; cum manifestum sit eandem haud potu-

haud potuisse unius hominis ævo nasci simul & perfici.

§. 3.

Hinc porro patet falli etiam illos, qui originem Arabicæ linguæ γλωσσογχύσει Babelicæ adscribunt, uti faciunt Hebræi fere omnes, (vid. R. David Ganſium in צמח דוד L. 11. An. M. 1996. R. Bechai *S.* נח fol. 20. R. Nissim. Jonathan in paraphr. Chald. Gen. XI. 7. 8. Targum Hierosol. *Deut.* XXVII. 8.) & e Patribus nonnulli. Etenim si Joctan, qui Pelego natu minor, post confusionem demum natus est, (standum enim Chronologorum consensu plerorumque, qui confusionem in Pelegi nativitate ponunt) utique ille cum posteritate sua impio illi πυργοποιων ανπθέων numero accensendus non est; quod sane Doctorum plerique ultro fatentur, qui familiam Eberi omnem, communi quasi calculo, superbo illi molimini exemtam volunt. Joctan itaque cum suis nullam e confusione novam linguam, sed Hebræam, quam cum lacte materno in ipsa Eberi familia hauserat, secum in Arabiam abstulit, uti præclare docet nobilis. Stiernhilm in *præfat. ad Evangelica Ulphilæ.*

§. 4.

Si Josepho & Hieronymo credimus; hi omnes in India latissimas gentes condi-

derunt; si Ariæ Montano, in America. Sed fines Joctanidarum διαφηδην indicantur a Mose *Gen.* X. 30. ויהי מושבם ממשא באכה ספרה הר הקדם i. e. *fuitque horum habitatio a Mescha, qua venis Sepharum ad montes orientis usque.* Mesa autem vel Muza erat portus celebris ad mare Rubrum, unde iter erat ad *Sepharitas* populos interioris Arabiæ, quorum metropolis erat Saphar, autore Plinio VI. 23. & Ptolemæo *in tabb.* Quin & haud obscure conditores suos pluscularum in Arabia urbium, regionum, gentiumque nomina testantur, Haud procul a Meccha, urbs est insignis & amœna Baisat Jactan, ut in Geographia, quam Nubiensem Maronitæ vocant, *pag.* 48. legimus. A Chatzarmot dicta regio Hadramuth in Arabia felice, quæ χατραμιτις Straboni *Lib.* XV. Dionysio Periegetæ χατραμις dicitur. A Scheba Sabæi in Arabia quoque felice: qui adeo odoratis arboribus abundant, ut, referente Plinio XII. 17. non alio quam thuris & myrrhæ ligno cibos coquant. Ab *Ophir* regio aurifera *Ophir* prope Sabæos, unde Davidi tot auri pondo advecta 1. Paral. XXIX. 4. A *Chavila* Chaulotæi Nabathæorum vicini apud Strabonem lib. XVI. Oppidi *Chaulan* in Arabia felice meminit Ebn Edrisi in Geographia Arabice Romæ excusa.

§. 5.

§. 5.

Neque tamen dicendum ſolos Joctanis poſteros Arabiam incoluiſſe: Nam præter illos, plurimos, ſed diverſis temporibus acceſſiſſe conſtat. Et primo quidem Chami nepotes quosdam, quos Perſici ſinus accolas in Arabia Felice fuiſſe docet Bochartus in *Geogr. Sacr. P.* 1. *lib. IV. c.* 5. 6. 7. &c. Interjecto aliquo tempore, Iſmaël quoque cum ſuis eo profectus eſt, reſeditque in Arabia Petræa, quæ a filio ejus primogenito נבית *Nebajoth*, Nabathæa cognominata eſt. Juvamur hic calculo Elmacini *in Hiſt. Sacr.* ἀνεκδότῳ apud Hottingerum *ſmegm. Orient.* P. 1. p. 311. *Et ejecit eos Abraham in regionem Higbaz, ſ. Arabiam Petræam, ubi Iſmael habitavit, & deſponſavit ſibi uxores Arabicas Higbazæas, locutusque eſt Arabice; ipſius vero poſteri Iſmaelitæ ſunt adpellati.* Petrææ quoque Arabiæ partem occupavere illi Abrahami filii, quos ex altera conjuge ſuſceperat, atque in ea cum Iſmaelitis miſti habitavere. Tandem & Eſau Arabas auxit, eamque Arabiæ Petreæ partem inſedit, quæ ex illius nomine Idumæa, adpellata eſt. Atque hi omnes ut ſedibus & commerciis Joctanidis fuere junctiſſimi, ita linguam quoque cum iisdem habuere communem.

§. 6.

Non itaque mirum, si ab Hebræis confundantur, qui semper, Arabes quoscunq: intelligentes, scribunt ישמעאלים *Ismaelitas*, vel בני ישמעאל *filii Ismaelis*, & pro lingua Arabica, לשון ישמעאל *Ismaeliticam*; vel לשון הגריאים *Hagarenam*; vel etiam לשון קדר *Kedarenam*. Quod tam frequens apud illos est, ut exemplorum allegatione non egeat. Hos tamen Arabes Εὐδαίμονες pro veris ac genuinis Arabibus haud agnoscunt. Se enim ipsi i. e. a Joctane ortos, adpellant אלערב אלעארבה *Arabes Arabissantes* i. e. veros ac genuinos; hos autem אלערב אלמסתערבה i. e. *Arabes Arabismum affectantes*, vel *Arabes factos & adscititios* vocant. Vid. Golius *in rad.* ערב. Meminit hujus nominis præter Alfiruzabadium *Camusi* autorem Elmacinus in *Hist. Sarac.* vertente Thoma Erpenio: *Et abduxit milites præsidiarios ex Asana;* quod melius reddidisset: *& eduxit Arabes secundi ordinis ex Asana*, monente Ludovico de Dieu *animadv. in Genes.* X. 25. Meminit etiam Leo Africanus *Descr. Afr. L.* I. *c.* 19. *Hos* (Arabiæ Felicis incolas puta) *Mahumetici iis posthabitos volunt, qui ab Ismaele Ismaelitæ sunt appellati. Et quia maxima inter eos fuit disceptatio, utra pars nobili-*

bilitatis primas partes obtineret, hinc factum est, quod utrinque multa fuerint conscripta colloquia, & epigrammata, quibus quisque suæ gentis encomia, mores atque vitus decantare solitus est. Veteres illi Arabes, qui ante Ismaelitas fuere, ab historiographis Africanis Arabi Araba, hoc est, Arabes Arabici (ut sic dicatur) vocitari solent; qui ab Ismaele genus duxisse dicuntur, Arabi Mustaraba, id est, Arabes, ut ita loquar, Inarabati, vel Arabes per accidens nominantur, eo quod non sint Arabes nativi.

§. 7.

Joctanis autem posteros, Hebræa lingua satis longo tempore locutos, antequam mutationem subierit, vel inde verosimile fit, quod tanto post intervallo Josephi fratres cum Ismaelitis *Gen.* XXXVII. & cum Jethrone Arabe Moses *Exod.* IV. 18. αιεν ἑρμενεος locuti fuerint. Quæ autem sic per longum temporis spatium apud Joctanidas viguit Hebræa lingua, successu temporis in dialectum Arabicam paulatim deflexit. Id quod commune fere linguarum fatum. Sed deflexit, inquam, non degeneravit. Hujus enim tantæ supersunt virtutes, tot gratiæ, tot veneres, ut nisi materna pietas ac reverentia obstaret, sæpius exclamare vellem

lem cum illo: O! *matre pulcra filia pulcrior.* Neque tamen ita deflexit, ut per omnia dispar evaderet; cum maxima adhuc, tum quoad ἀναλογίαν, tum quoad λέξιν & ἐκφρασιν inter Hebræam & Arabicam sit adfinitas.

§. 8.

A Gente Arabum linguam Arabicam denominatam, aliarum ejusmodi vocum ἀναλογίαν suadet. Sic ab Hebræis, *Hebræa*; a Græcis, *Græca*; a Gothis, *Gothica* adpellata est. Quo autem tempore & unde gens Arabum isto primum nomine insignita fuerit, haud ita facile determinaverim, cum in vetustiorum monumentis hac de re obscura sint omnia. Credibile autem, ab ערב *mixtura variorum populorum*, quos Arabiam inundasse jam diximus, ita nuncupari cœptos Joctanidas, postquam in validam gentem jam coaluerant, imperiumque coeperant condere. Quicquid sit, certe antiquissima est Arabiæ & Arabum adpellatio, quippe quorum Sacra pagina haud uno loco meminit. Vid. 1. *Reg. X.* 15. 1. *Par. IV.* 40. *IX.* 4. 11. *Par. XVII.* 11. & *XXI.* 16. *XXVI.* 7. *Neh. XI.* 19. *Esai. XIII.* 20. & *XXI.* 13. *Jerem. XXV.* 24. *Jechezk. XXVII.* 21. & in novo

vo fœdere *Act. II.* 11. *Gal. I.* 17. *& IV.* 5. Quæ loca vel ideo evolvi merentur, ut admiremur adpellationis antiquitatem, & juxta edoceamur, quam varie idem nomen a ſacris ſcriptoribus exprimatur. Græcis etiam antiquiſſimis, ut Homero, Herodoto aliisque in regione Ἀραβίᾳ vel Ἀραβίᾳ, incolæ Ἄραβοι atque Ἄραβες, memorantur; prorſus ut Latinorum vetuſtiſſimis in *Arabia*, *Arabes* atque *Arabi*.

§. 9.

Ut autem gens & lingua, ita ſcriptura quoque Arabum origine eſt Hebræa. Probant hoc (I.) *Figuræ* literarum Arabicarum. quas vel pueris manifeſtum eſt ab Hebræis eſſe deductas, ceu id demonſtratum eſt a Gaffarello in *Curioſ. inaud. Lib.* II. *c*t 12. Excipiendæ tamen paucæ, quæ vel a Syris deflexæ, vel horum certe literis figura non diſſimiles, Erpen. *Gram.* Raph. Volaterr. *Lib.* XXXIII. *c.* 2. Edward. Bernardus *in orbis eruditi literatura a charactere Samaritico deducta* (II) *Numerus*, qui quondam idem utrobique; ſed ab Arabibus neotericis ſex literis ثخذضظغ puncta adjecta diſcrimen indicant, quod idem Hebræi quoque agnoſcunt, in literis בגדכפת raphatis ſ. dageſch leni inſignitis

(III.)

(III.) *Nomina*, quæ in alphabeto Arabico sunt Hebræa. (IV.) *Ordo* olim idem qui nunc; ut patet ex Alcorano, item libro secundo operis illius magni Avicennæ, Romæ ex Typographia Medicea Arabice editi; vel seorsim particula illa, quæ *Uratislavi* cum versione & notis P. Kirstenii Doctoris quondam Medic., in Acad. Upsaliensi laudatissimi; item ex Euclidis Arabice excusi propositionibus, diagrammatis atque numeris, ut & tabulis omnibus Arabum astronomicis. Quo etiam ordine Autori anonymo de figlis Arabum atque Persarum Astronomicis exprimuntur, ابجد هـ وزح طيكل من سس ع ف ص ق ر ش ت, quibus respondent zifræ vulgares, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 20. 30. 40. 50. 60. 70. 80. 90. 100. 200. 300. 400. Est autem imprimis notabile, quod hosce numeros adpellet حسأن جمل كه *speciosum calculum, prophetis, quibus pax sit, olim usurpatum.* Nam ut diximus, in Alcorano, quem forte hic respicit, eadem numerandi ratio obtinet. Unde facile refelli potest inscitia eorum, qui tempore walidi existimant Arabes rationem omnem numerandi prorsus ignorasse. Scribit enim Landulfus Sagax (apud Seldenum *in præf. de Eccles. Alex. Orig.*)

Orig.) *Lib.* XX, ubi de Juſtiniano Rhinormeto ſuo A. C. 700. *Ulid Chalifam Syriæ prohibuiſſe ſcribi Græce publicos logotheſii codices, ſed in Arabicis annotari ſine computo; quoniam impoßibile eſt, illorum lingua monadem, vel dualitatem aut trinitatem, aut octo & dimidium, aut tria ſcribi, propter quod & uſque hodie ſunt notarii Chriſtiani.* Quæ certe falſiſſima ſunt. Fatetur quidem Abulfaragius in *Hiſt. Dynaſt.* Chriſtianorum ſcribis interdictum fuiſſe, ne amplius Græce ſed Arabice libros ſcriberent; de ſumma autem illa numerandi imperitia ωδε γρ. Vide locum a nobis adductum *cap.* 3. ubi de walido; nunc pergamus de ſcriptura Arabum.

§ 10.

Hunc *ordinem & numerum*, hæc *nomina* haś *figuras* Recentiores Arabum poſtmodum immutarunt. Nec deſunt, qui illud maximo illis vitio vertant. Sane Guil. Poſtellus *de Phœn. literis ad Carolum Cardinalem Lotharingum* ita locutus eſt: *Arabes verſutiſſimum hominum genus, & plane Iſmaeliticum, i. e. adulterinum, poſtquam cognoverunt literas ſuas ortum ducere ab Hebraicis, ſatagerunt non tantum abſolute diſſimiles formâ reddere, ſed ordinem etiam per-*

tur-

turbare, & nominum bonam partem immutare ſtuduerunt. Similiter Gaſſarell. *l. c.* &Herm. Hugo *de prima ſcrib. Or. c.* 5.

Alii propter odium Judæorum literas وهي quibus יהוה JEHOVAH exprimitur, ad calcem rejectas arbitrantur; ſed Muhammedani Judæorum de Divino iſto nomine commenta non norunt. Sunt qui exiſtiment ad καλλιγραφιαν, i. e. ſcripturæ majorem venuſtatem, & ſublevandam legendi ſcribendique moleſtiam a puerorum inſtitutoribus, aut Corani ſcribis hodiernam conſuetudinem atque ordinem inductum, tanquam multo elegantiorem, & intellectu faciliorem. vid. Joh. Gravii *Elem. L. Perſ. p.* 10. Autorem autem fuiſſe filium Moŭclæ cujusdam, Arabum Hiſtorici uno ore teſtantur. Vixit is a. D. CM. Elmacinus *Hiſt. Saracen. L. III. c.* 1. de illo Mouclæ filio, Chalifæ *Arradis* conſiliario ſcribit, quod, cum manu & lingua jamjam, ob falſam exaratam epiſtolam, truncandus eſſet, graviter conqueſtus eſt manum ſibi abſcindi, qua tribus Chalifis miniſtrarit & Alcoranum deſcripſerit. Mox ſubjicitur: *Atque hic filius Mouclæ Autor fuit celebris hujus ſcripturæ, & primus traduxit ſcripturam Cufenſem extraneam ad uſum Arabum.*

bum. Sequutus autem eum est filius Bawabi, qui adjiciens aliquid ad perfectionem eam perduxit. Sic quoque Ebn Chalecan apud Edw. Pocockium *Spec. Arab. p.* 379 Cufenſes enim ſive veteres characteres admodum rudes fuiſſe, neque tamen alios per CCC. & amplius poſt Muhammedem annos, in deſcribendo Corano fuiſſe receptos refert ex Pocockio Br. Waltonus de L. *Arab. in proleg. Operis* πολυγλωττ. Hi raro admodum hodie, nec niſi in fragmentis Alcorani vetuſtiſſimis conſpiciuntur. Inventos autem haud longe ante Muhammedem a quodam Morameto filio Morræ Anbariènſis, Ebn Chalecan teſtatur apud Pocock. *Spec. p.* 153. *& Orat. Lamiato'l Ajamſ. carmini Tograi præfixa.* Apud Hamyarenſes tamen, ſ. Homeritas antea fuiſſe artem ſcribendi, indidem colligere licet. Ego autem exiſtimaverim fuiſſe apud Arabes etiam antiquiſſimos. Neque enim illa Iobi *cap.* XIX. 23. aliud ſuadere videntur. מי יתן אפו ויכתבון מלי מי יתן בספר ויחקו: בעט ברזל ועפרת לעד בצור יחצבון: *Quis mihi tribuat, ut perſcribantur ſermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro? ſtilo ferreo, aut plumbi lamina, vel celte ſcribantur in ſilice.* Quæ verba non tantum communem ſcribendi uſum, ſed etiam peculiarem illum, lapideis ſcilicet magisque duraturis monumentis li-

teras inscribendi, Arabibus receptum fuisse commonstrant. Huc apprime pertinet, quod Athanasius Kircherus Francisco de Nigris S. J. presbytero narravit, in Arabia lapidum monumenta literis exarata hodienum ostendi, uti hujus ad B. Scheffe-rum literæ indicant. Quin & in Prodtomi Copti *cap.* 8. palam inseruit illam in monte Horeb, literis mirificis, ignorabilibus, reconditis abstrusissimisque, quæ incisa dicitur, inscriptionem, quam Thomas Obecinus Novariensis, ex ordine S. Francisci, dum Arabiæ oras lustraret, summa diligentia descriptam in Europam secum attulerat. Quod si verum, exstare in Oriente hujusmodi literarum monumenta ab antiquo ævo saxis incisa, prout diligens ac curiosus regionum illarum perlustrator Petrus Valleus, Romanus, id revera sic se habere omnino nobis persuadet, *in Itinerario suo Orientali*, egregium frequentati apud Arabes scribendi usus argumentum est. Certe non minus ac saxa apud nos Runicis literis inscripta; non quidem vulgaria illa notissimaque, per Daniam & pleraque Sueciæ provincias obvia: sed rara illa antiquissimaque apud Helsingos monumenta, quorum lecturam post multos aliorum nequicquam susceptos labores (Conf. Ill. Achat. Rolamb in *præf. Tacheographiæ*, item Cl. Ol.

Ol. Verelium in *Runogr. Scandica cap.* 6. & 12. & Joh. Buræum in *Lib. Mſ. de Runis*, Runaråſſt *ſ.* Runakånſlo *inſcripto*) primus orbi reſtituit B. Parens meus in *Oreadibus* ſuis *Helſingicis*, quæ adhuc inter umbras latitantes, commodum tempus exſpectant, quo in optatam lucem prodire, atque ſolida frui liceat libertate.

§. 11.

Porro uti quoad literas, ita quoad puncta quoque (quæ tamen a Syris eos accepiſſe vult Doctiſ. Edw. Bernardus) ab Hebræis inſigniter abierunt Arabes. Hebræi agnoſcunt ſupra quinquaginta; Arabes octo omnino. Unde patet oportere λέξιν hujus linguæ, etiam absque punctis facilem eſſe, niſi inexhauſta vocum copia, & contrariæ ſæpenumero earundem ſignificationes moram injicerent. Hinc eſt quod viris etiam maximis, utpote Schindleris, Scaligeris, Erpeniis, Giggejis, Guadagnolis, Ecchellenſibus, Kirſteniis, Kircheris &c. nonnunquam hic hæſiſſe aquam Golius (*not. ad Alferg. p.* 67.) Pocockius (*not. ad Spec. Arab. p.* 182. & 349. *ſeqq.*) Fabricius (in *Spec. Arab. p.* 85. 105. & 112.) Bochartus (*Hierozoic. P. I. p.* 101. & *paſſim.*) De Dieu (*animadv. in Gen. X.* 25.) Henningius (*Muham. Prec. p.* 136.) Hottingerus (*Ana-*

lect. p. 240. & *Hiſt. Eccleſ. P. I. p.* 504.) aliique plurimi oſtendant. Conf. & Nob. Ludolfum in *Apend. ad Comm. Hiſt. Æthiop. p.* 23 item Georg. Velſchium *ad Ruzname Nauruz p.* 27. & Th. Hyde *in Tabb. Ulughbeigi, p.* 10.

§. 12.

Arabes ſtylo ejuſque nitori mirum in modum ſtuduere; hinc factum, ut plura apud illos ſcribendi genera enata ſint. Eorum autem præcipua ſunt: (I.) نسخي *Niſchi*, omnium pulcerrimum, quo hodie Coranus apud Arabes; apud nos libri cujuscunque generis deſcribuntur. (II.) ثلثي *Siulſi*, quod eoſdem habet characteres, quos *Niſchi*, ſed pinguiores, & liberiús ſibi invicem connexos; quales in titulo opuſculi hujus. *) (III.) ياقوتي *jacuthi* & (IV.) ديواني *Diwani*, & (V.) قرمة *Kirma*, quod Turcis hodie in frequenti uſu; ſed tantum in negotiis forenſibus (VI.) تعليق *Taalik*, i. e. Character pendulus ac involutus, apud Perſas uſu receptus. De his ulterius videri poterit Erpenius *in Gram. Arab. p.* 4. Golius *in Rad.* علق; Joh. Gravius *Elem. Ling. Perſ. p.* 4. Gulielm. Seaman Anglus *Gram. Ling. Turc. p.* 5.

*) His caret Typographia.

p. 5. Cumque Calligraphia etiam hodie maximo in pretio ſit apud Muhammedanos, per eamque ad honores ampliſſimos pateat acceſſus; evidens eſt, vel hanc præcipuam cauſam eſſe, cur artem typographicam tam ægre admittant. Vid. D. Ricaut in libro Gallico *l'Etat preſent de l'Empire Ottoman Liv. 1. ch. 6*, quamquam & alia ratio ſubeſſe poſſit, de qua alio loco commodius dicetur.

§. 13.

Zifras, ſive notas numerorum vulgares 1, 2, 3, 4, &c. Arabibus adſcribit Hermannus Conringius in *Antiq. Acad.* his verbis: *Zifræ, quibus nos vulgo utimur, Arabicum eſt inventum.* Ita quoque Scaliger *in explicatione numi Conſtantini*, & Joh. Seldenus de *I. N. & G, Lib. III. c.* 18. Boxhornius ab antiquis Scythis inventas & in expeditionibus ſuis per orbem diſſeminatas cenſet. Nec aliter Cel. Morhofius de Lingua German. c. 4. qui addit a Scythis traditas fuiſſe Celtis & Gallis, ab his vero Pythagoræ, quem illis quoque uſum fuiſſe ex Boëthii quodam MS. oſtendere conatur Cel. Grævius. D Thulemarius exiſtimat ipſis etiam Romanis in uſu fuiſſe, antequam cum Arabibus commercii quid habere, & Arabes ſtudia excolere incipe-

rent. Idque probare vult ex numo quodam Bernhardi ducis Saxoniæ, in quo numeri Romani permisti sunt cum Arabicis; quemadmodum & Mabillonius testatur in codice quodam MS. pro 12, 13, 14, scribi X2, X3, X4, ut Majores numeri Romanis, minores vero Arabicis zifris exprimantur. D. Stephanus le Moyne a literis Arabicis eas fluxisse autumat. A Græcis vero literis deflexas censet Conradus Dasypodius in *Inst. Math Lib.* 1. & Huetius *p.* 252 *Demonst. Evang.* Alii e punctis totidem, quot unitates quævis zifra in se continet, iisdemque certa ratione dispositis conflatas volunt, hoc modo ·, :, ⁞, ∴, ⁘, ⁙, ⁚, ⁛, ⁜, ⁝, & pro punctis continuatos ductus tandem receptos. Vid Hartzdorf. *in deliciis Mathem.*

§. 14.

Alii porro ab Indis (quorum Brachmanes eas e circulo cum duobus diametris ⊕ eruerint, vel ex Græcis literis formarint, ut docet Doct. Edw. Bernardus.) ad Arabes, ab Arabibus rursus ad Europæos derivatas volunt; Quæ sententia verosimillima. Itaque Cel. Golius *in Lex. Arab. notas arithmeticas sc.* 1, 2, 3, *&c. Indis acceptas ferunt Arabes, & in Europam primi in-*

intulerunt; & *in annot. ad Alferg. p.* 11. Sic quoque Th. Erpenius *Gram. Arab. p.* 12. Math. Waſmuth *Gr- Arab. p.* 4. Joh. Gravius in *notis ad Anonymum Arabem de ſiglis Arabum & Perſarum Aſtronomicis.* Joh. Henr. Hottingerus *Theſ. Philol. p.* 412. Georg. Velſchius ad *Ruzname Naurus p* 72. Id quod ipſi Arabes etiam teſtantur. Ali Koshgius celebris inter Perſas Aſtronomus apud Gravium *loco laud.* ſcribit حسكيا هند *ſapientes Indiæ* hos numeros reperiſſe; quos alibi adpellat حساب اهل هند *Indorum arithmeticam.* Sic Maximus Planudes, qui primus omnium ad Græcos illarum uſum tranſtuliſſe creditur, arithmeticam ſuam, quæ, teſte Kirchero, in Bibliotheca exſtat Vaticana, inſcripſit, *calculatoriam ſecundum Indos.* Quomodo autem his uſi fuerint, docebit, ſi evolvatur, *Gr. Arab. Erpenii & Waſmuthi.* Ceterum ab Arabibus ita fere pinguntur: ١, ٢, ٣, ٤, ٥, ٦, ٧, ٨, ٩, ٠, a quibus noſtri ut orti, ita haud multum diſpares ſic hodie exprimuntur: 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 0, ita autem ante annos ducentos & amplius: 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 0; ut ex veruſtis ephemeridibus atque inſcriptionibus patet. Sic in oſtio

templi S. Nicolai Holmiæ: *anno* 1848 *consummatum est hoc hostium*; quo eodem numero numos quosdam Suecicos, Stenonis Sture senioris, inscriptos vidi. Quin & easdem zifras hic Upsaliæ in veteri horologio pone aram templi Cathedralis frequenter adhibitos observare licet. Quando autem ad Europæos transierint, ac quomodo, æque est incertum. Scaliger annos CCC. Seldenus D. Vossius (*de sci. Math. c. VIII. §. 5.*) CCCL. saltem infra CD. putat esse, quod eas accepimus. Mabillonius *de Re diplomat fol.* 214. *seq.* testatur se nullum vestigium harum zifrarum reperire potuisse ante Franciscum Petrarcham, qui in fine seculi XIV, vixit. Papebrochii sententia est in Europam ex Oriente pervenisse tempore belli sacri, quod Christiani pro recuperanda terra sancta contra Turcas gesserunt; cumque a Gothofredo Bullioneo extremo seculi Undecimi anno Hierosolyma occupata est. Edw. Bernardus in lib. cujus tit. *Orbis eruditi literatura a Charactere Samaritico deducta Oxon.* 1689, docet Indos an. D. 710. zifras hasce a Græcis literis desumsisse; hos autem Arabibus & Persis eas tradidisse A. D. 800. Arabes vero Hispanis A. D. 1000. Alii Europæis communicatas existimant Sec. XIII., cum Arabes Hispaniam tenerent, & artes liberales

rales ibi excolerent. Nam cum Rex Castiliæ Alfonsus novas tabulas motuum corporum cœlestium conderet, adjutum dicunt variis ex Africa, aliisque terræ partibus, doctis evocatis; qui cum tabulis Arabicis Albategnii atque aliorum, hisce numeris consignatis uterentur, ipsas quoque apud eos receptas numerorum notas assumserint. Cumque tabulæ istæ omnibus deinde astronomis in pretio fuerint, etiam zifras illas, ob celeritatem scribendi ultro ab iisdem in communem usum esse adscitas. Ita Ath. Kircherus, & Steph. le Moyne *Tom. 2. Var. Sacr. p. 785.*

§. 15.

Vides itaque quot hic sint eruditorum hominum conjecturæ! Quicquid autem sit, certe in Monasterio Lindaviensi liber est inventus, cui annus D. 1113. inscriptus; cujus mentionem facit autor eruditorum colloquiorum, quæ singulis mensibus Hamburgi prodeunt. Item Nussdorfii vetusta est campana A. C. 1148. fusa, ut vir idem Doctiss. e Dn. Bernardo docet. Porro Uratislawi in Bibliotheca Elizabethana calendarium Vetus Ms. de an. 1268. exstat, hisce zifris consignatum. Et sane potuerunt eo tempore in hac Europæ parte esse non ignotæ. Nam cum Saraceni seculo

Octavo longe ante tempora Caroli Magni, victores per Africam & Hiſpaniam graſſati ſint, quis credat, poſt annos CD, ſcil. ſeculo XII. zifras eorum adeo in noſtris oris fuiſſe ignotas? Cumque illo tempore ſub imperio Conradi & Friderici Barbaroſſæ, ut infra pluribus oſtendemus, non modo autores Arabes, ſed & Græci aliique ex Arabico in Latinum verſi fuerint, docente Seldeno, Scaligero aliisque; (*Vid. cap. V.*) quid prohibet, quo minus etiam zifræ illæ Europæis potuerint innoteſcere? Ex hiſce igitur patet, ſaltem ante tabulas Alfonſinas, quæ A. D. 1270 abſolutæ ſunt, uſum harum notarum in Europa invaluiſſe; ſed de his ſatis.

CAPUT SECUNDUM.

DE FATIS LINGUÆ ARABICÆ ANTE MUHAMMEDEM.

Lingua Arabica antiquiſſima, & ſemper ſibi ſimilis. Cauſæ ſunt (א) immunitas a bellicis inſultibus, & (ב) coloniis. (ג) Cum finitimis in lingua conveniebant; (ד) Singulare poeſeos ſtudium & eloquentiæ. [ה] Studia literarum; quæ apud Arabes ab omni ævo floruiſſe probatur (א) a Jobo. (ב) Themanæis. (ג) Bildado Schuchita, (ד) Tzophare Naamathita. (ה) Jethrone. (ו) Locmanno, (ז) Filiis

Filijs orientis. 1. *Reg.* IV, 30. (ח) Regina Sabæorum. (ט) Pythagoræ & Democriti peregrinationibus. (י) Magis. (יא) Evace & Hippoco. (יב) Poetis Arabum ante Islamianis, (יג) Hæreticis, quorum semper Arabia ferax.

§. 1.

Detecta Origine Arabicæ Linguæ, patet simul ejusdem antiquitas, qua cum omnibus aliis linguis certare potest, si cum Gesnero in Mithridate p. 93. matrem modo suam, id est, Hebræam linguam, exceperis. Rarum quoque, si alias linguas spectes, exemplum est, quod ab ortu suo ad hæc usque tempora pura atque indelibata permanserit, continuoque & semper sibi simili flore perennarit. Id quod magni Scaligeri & Cel. Hottingeri testimonio firmatum ibo; quorum ille *in Epist. ad Hubertum*, *Arabismum priscum adhuc conservatum esse scribit, nec magis differre Arabismum vernaculum a prisco, quam Pictonismum ab aulicorum Gallorum sermone.* Hic in *Clave Etym Harm. Arabicam veterem, & locupletem & nullo aliarum linguarum contagio infectam esse, & antiquæ originis, & reginis integri argumentum est.* Addo Cl. Henningium, qui *in præf. ad Muhammed. Prec.* ita

ita loquitur: *Atque hæc est illa lingua, quæ quoad communem loquendi usum, pœne dixerim, sola mansit instar virginis illibatæ, intacta ac inviolata à primis incunabulis in serum & hodiernum usque diem, ceteris fere omnibus corruptis, & ita mutatis, ut in alias linguas, quasi metamorphosi Ovidiana transierint.*

§. 2.

Hæsitat autem hic Cel. Conringius, & *unde*, inquit, *noscas illius puritatem, quoniam cum antiquioribus Mahumete Arabum scriptis institui comparatio non potest.* Supplem. Antiq. Acad. Imo potest cum scriptis sacris, si alia deessent. Etenim reliquias Veteris Arabismi in Jobi libro superesse, plurimi, iidemque inter paucos hujus idiomatis periti ad oculum ostendunt vel ostensuros se promittunt, ut Brian. Waltonus *proleg. ad Biblia Polyglotta.* Hottingerus *in Thesauro Philol. p.* 506. & *Analect. Historico-Th. p.* 145. & 257. & *in Jobo.* Edward. Pocockius *Spec. Hist. Arab. p.* 92. & *not. miscell. p.* 38. Sam. Bochartus *Geogr. Sacr. lib.* 1. *c.* 15. & cum Hieronymo *in Danielem*, qui primo loco memorandus erat, alii. Ut frustra hic sit contrarius Scaliger, qui in Animadvers. Eusebianis *miratur homini Hebraice perito excidis-*

cidisse, Jobi librum mistum esse ex Hebraismo & Arabismo, & Sam. Bohlius, qui in Disp. 1. de minist. sensus §. 6. *Ego*, inquit, *non credo: quæsivi Syriaca & Arabica, inveni autem Hebraica.*

§. 3.

Sed nec deesse scripta Arabum ante Muhammedem consignata in confesso est; certe non minus ac constat poësin summo ab iis studio cultam fuisse: id quod ex Alis, aliorumque sub ipso Muhammede & multorum longe ante carminibus demonstrari posse existimat Sam. Clericus, vir in hisce literis versatissimus, in *prosod. Arab. p.* 2. Si vero deessent omnino, otiumque supperet, possem ex diversis, iisque vetustis Græcorum & Latinorum scriptoribus, satis amplum vocabulorum Arabicorum numerum colligere, unde, qualis antiquitus fuerit Arabica lingua, facile perspiceretur. Dabo paucula quædam speciminis loco. *Malcus* Rex Nabathæorum apud Hirtium *Bel. Alex. c.* 1. ducitur a ملك *malk*, quod hodieque Regem significat. Σαβως l. *Sabus*, Rex Arabiæ Felicis apud Dionem Cass. *Hist. Rom. Lib.* 53. a صبي *Sabi*, id est, *princeps populi. Thamar*, flumen Arabiæ apud Plinium VI. 28. a تمر *Thamar*, *palma*; quod ripæ ejusdem palmis & dactylis forte abun-

abundarent. *Riphearma* oppidum Arabiæ, quo vocabulo *hordeum appellabant*, ait Plinius ibid. qui ob adcuratam diligentiam in exprimendis vocibus Arabicis, Latinis literis, singularem laudem meretur. Certe si tanta fuisset industria eorum, qui superioribus sæculis Arabum nobis scripta in Latinum convertere; non tot vocabulorum monstra Astronomiam hodie, medicinamque deturparent. Sed de his alias. Componitur hoc vocabulum ex ريفاع *riphaa*, quod *demessarum frugum in aream comportationem ad triturandum*; & رمح *arma*, quod *cumulum frumenti, in area tritum & coacervatum significat*. Vid. *Lexic.* Jac. Golii. Quem nostra quoque lingua uno, eoque satis apto vocabulo **Dropa** exprimimus. Habet enim hoc Suecica lingua cum Arabica commune, quod compendiosa sit; neque temere res aliqua (de indigenis loquor) reperiatur, quæ non proptio suo vocabulo exprimatur. Sic verba quoque habemus non pauca, quæ cum Arabibus per unicum vocabulum efferre licet, Latinis aliisque non nisi per ambages enuncianda; exempla sunt innumera, quæ adhibito Lexico, observari facile possunt. Fatendum tamen omnino, Arabicam linguam hac in parte multo esse nostra fœcundiorem, atque innumeris uti vo-

vocabulis, quæ a noſtris vel aliis Europæis, ſingulis æquipollentibus reddi neutiquam poſſunt. Sed ad inſtitutum.

§. 4.

Emiſchabales fons apud Plinium, ſignificat *Camelorum oppidum*, quod vereor ne vitioſe excuſum ſit pro *Ebiſchabales*, ubi ratio originis eſt manifeſta. Scil. ابش *abaſcha* congregavit, l. هبش *habaſcha*, *convenit cum aliis*, *congregatus fuit*; Unde nomina ابش *Ibſch*, *coacervatio* apud Giggejum *Theſ. Ling. Arab. p. m.* 12. هابشة *habiſcha*, *Turba nova*, *quæ recens convenit*. هباشة *congregatum pecorum agmen*, apud Golium in Lex. & ابل abal *Cameli*; ut ſit ابش ابل Ebiſch-Abal *congregatio* ſ. conventus camelorum; quos ad fontem illum compellere forte conſueverant aquandi gratia. Mariaba oppidum Arabum, quo *Dominos omnium* ſignificari idem Plinius autor eſt. Dicitur a رب *rabba*, *dominium ac principatum exercuit*, unde رب *rabbon* dominus, & مرب *marabbo*, *marabba*, *congregator populi*, i. e. quod paulo ante dixerat Plinius, Regia, quo reliqua oppida, ſi quid ſuſcipiendum eſſet, debebant congregari. *Caurarani*, populus apud eundem

dem, quem *ditissimos armento*, interpretatur. كور *Cauron* apud Golium est *augmentum*, *copia*, & in plurali, *copiosum agmen vel armentum camelorum, etiam boum.* Plura vocabula colligi possent, & cum Arabismo hodierno conferri; sed quem asserebamus, linguæ Arabicæ florem, vel ex tantilla συγκρίσει patere existimo; quam pro re desperata ac ne cogitanda quidem habuit Cel. Conringius.

§. 5.

Sed & in promtu sunt rationes aliæ, quæ Linguam Arabicam tanto tempore incorruptam persistere potuisse satis evidenter probant. Prima esse poterit immunitas a bellorum insultibus. Arabes enim semper sub suis Regibus vixere, nunquam aliorum jugo subjecti, ut linguam eorum discere necesse habuerint. Joh. Fabric. *in Specim. Arab. p.* 7. Non tamen facile cum Justino affirmaverim, Arabum gentem imbellem prorsus fuisse, usque ad id temporis, cum *Erotimus*, vel ut aliis adpellatur, *Aretas*, Arabice الحارث *AlHareth*, divisis exercitibus, Syriam & Ægyptum infestaret. Lib. XXXIX. 5. Satis enim a sacris scriptoribus edocemur, quam atrocia ipsis cum Hebræis multis ante sæculis bella exstite-

ſtiterint. vid. II. Paralip. XIV. 9. & XXI. 15. 16. II. Reg. XIX. 9. Illis autem in captivitatem abductis, blanda iterum pace refovebantur, donec audita Perſarum Romanorumque in Oriente potentia, lacertos rurſus movere, ſeſeque ad defenſionem parare inciperent. Quorum quidem arma, cæteris Orientalibus ſatis formidabilia, adeo non reformidarunt Arabes, ut contemnerent; freti non minus fortitudine ſua, quam inexpugnabilium natura locorum; quæ quoque effecerant, ut neque Alexander Magnus reliqui orbis domitor, eos perdomare potuerit. vid. Freinshem. *ad Curtii Lib. X.* 1. 17. De Ariæo fortiſſimo Arabum Rege & ſocio Nini, vide Diodor. Sic. *lib.* II. *Bibl. c.* 1. *ſeq.* De Maragdo, qui Labynito contra Cyrum auxilia tulit Xenoph. κυροπαιδ. *Lib. VII.* Porro nullæ coloniæ eo deductæ; nec aliarum mixtura gentium cum ipſis facta; ſed finitimæ gentes, quæ miſcebantur, aut immigrabant, in lingua cum Arabibus conveniebant, adeoque ab illis corrumpi non potuit. Deinde Lingua ac Poeſis ſingulari ſtudio ac diligentia ab illis exculta eſt, ut ex Abulfaragio mox videbimus. Denique ſtudia literarum ab omni ævo apud Arabes viguere. Quæ cum imprimis ad Linguæ Arabicæ conſervationem fecerint,

non ab instituto nostro alienum fuerit, nec injucundum, spero, eadem paulo sollicitiori oculo considerare. Qualia itaque ante Muhammedem fata habuerint, hoc capite edisseremus.

§. 6.

Fuisse Arabes jam olim eruditionis gloria conspicuos, non Sacra modo Scriptura, sed & ipsorummet scripta abunde testantur. Gregorius Abulfaragius in *Hist. Dynastiarum pag.* 161. vertente Celeb. Pocockio: *Eruditio Arabum, cujus gloriæ præcipue studiosi erant, hæc erat: linguæ suæ peritia, sermonis proprietas, carminum textura, & Orationum compositio. Noti etiam illis erant stellarum ortus & occasus, item, quænam ex illis ita oppositæ sint, ut oriente hac, illa occidat: quamque in pluviis excitandis vim habeant: quantum quidem summa attentione, & diuturna experientia assecuti erant, (quod sc. hanc rerum istarum cognitionem vitæ ratio illis necessariam faceret) non, qua vera scientia acquiritur, methodo. Verum quod ad Philosophiæ scientiam, nihil ejus admodum concesserat illis Deus, nec eos ad hæc studia idoneos fecerat. Atque hic status eorum erat per ignorantiæ tempora.*

§. 7.

§. 7.

Per *ignorantiæ tempora*, vel, *ſtatum ignorantiæ* illud ævum Arabes intelligunt, quod Muhammedem pſeudoprophetam præceſſit; non ſane, quod literas & bonas artes tanto tempore ignorarint: ſed quod Deum, ejusque Apoſtolum neſcierint, quem miſeri πλανοι in Muhammede demum inventum arbitrantur. Ebno'l Athir apud Cel. Pocockium *not, ad Spec. Ar. pag.* 52. *ſtatum in quo fuerunt Arabes ante Islamiſmum, quod ad ignorantiam Dei, & apoſtoli ejus, & conſtitutionum religionis & gloriationem de proſapiæ,* (nobilitate) *& ſuperbiam, & faſtum &c.* Sic ex Gieuhari Cel. Golius *in Lexico:* جا هليّة *quaſi ignorantiæ ſtatus*, id eſt, *paganiſmus Arabum, ſeu tempus ante Muhammedem*, & in notis ad Ebn Kethiri Ferganenſis (vulgo *Alfragani*) Aſtronomica Elementa Arabice & Latine a ſe edita p. 5. *Ignorantiæ tempore, quo nomine Muhammedani vocant tempus, quod religionem ſuam præceſſit.* Giggejus in Theſauro Arab. *Tempus ante Mohammed. tempus, antequam a Deo Prophetæ mitterentur.* Joh. Fabricius in Spec. Arab. p. 25. *Arabes tempus illud, quo vixerunt ſub paganiſmo, appellant* جا هليّة *h. e. tempus ignorantiæ.*

§. 8.

Philoſophiæ tum plane rudes fuiſſe haud facile mihi perſuaſerit Abulfaragius. Stellarum enim ortus & occaſus noſcere, exque iis naturalium rerum curſum ac eventus prædicere, hoc non eſt Philoſophiæ eſſe peritum? Sed moralem forte Philoſophiam intelligit. Ego vero non crediderim minorem Arabibus, quam cæteris gentibus ingenii prærogativam a Numine indultam in illis cognoſcendis, quæ ductu rationis & limine naturæ perveſtigari poſſunt. *Quis hoc ſibi perſuaderi patiatur, qui quo poſtea ſucceſſu ſtudia coluerint, perpenderit?* ait Cel. Pocockius *in notis ad Spec. Ar. p.* 165. Quin ex acutis, omnisque humanitatis pleniſſimis adagiis eorum, & fabulis antiquis, tuto colligi poſſe exiſtimo, haud ſegniter illam quoque philoſophiæ partem ab iis, etiam ante Muhammedis tempora, fuiſſe excultam. Sed aberat, inquiet, exercitatio: aberant, qui præmiis & honoribus delatis animos accenderent, ideoque vivendi genus, quo tolerari vita facillime poſſet, non facile deſerebatur. Quæ omnia gratis adferri, toto hoc capite demonſtrare conabimur. Nunc addo, neque illa, quæ de eloquentia, poeſi ac linguæ peritia tradit Arabs citatus, aliud ſuadere, quam

quam fuisse Arabibus ingenium subtile ac elegans. Unde idipsum alio etiam loco inculcat, ubi Græcos veteres cum Arabibus contendit, operamque dedisse scribit *linguæ peritiæ, & compositioni carminum, & proverbiorum & orationum. pag.* 63. Quam quidem eruditionis partem adeo postmodum excoluerunt, ut reliquum orbem longo post se intervallo relinquerent. Sed cesso Sacras Scripturas pervolvere, ut quicquid inde de Arabum prisca eruditione erui possit, videamus.

§. 9.

Volventi itaque & revolventi Paginam Sacram, omnium primo (nam ad sua quæque rempora referre est animus) Jobi sapientia sese offert contemplandam. Nihil hic moramur R. Schemuel Bar Nachman, qui in *Bava Bathra* cum priscis Hebræis Jobum extitisse negat, ejusque historiam pro conscripta a Mose parabola habendam contendit. Hos forte respicit Maimonides in *More Nevochim Part. 3. c.* 22. vertente Buxtorfio. *Nosti quosdam esse, qui dicunt, Jobum nunquam fuisse, neque creatum esse; sed historiam illius nihil aliud esse quam parabolam.* Et in *Explic. Arabica Cap. X. tract. Sanhedrin: Similiter liber Jobi integer juxta quosdam para-*

bola fuit, nec quem in finem poſita ſit, declaratur. Quam controverſiam idem Maimonides in medio relinquit. Hiſtoriam tamen Jobi veram eſſe, non diſſimulandum, nec diffitendum puto. Neque enim (ut de argumentis in ipſa Hiſtoria inſitis nunc non loquar.) Propheta *Cap. XIV.* 14. & Apoſtolus *Iacobus c. V.* 21. illum inter veros homines retuliſſent, ſi a Moſe fuiſſet confictus. Putant Hebræorum alii floruiſſe Jobum Iſaci ac Jacobi Patriarcharum tempore, atque ex Nachoris Arabæ fratris nepotibus fuiſſe. Ita R, Aben Ezra ad *Job.* 1. *Jobus* (natus) *erat ex nepotibus Nachoris fratris Abrahami.* Sic quoque ad eundem locum Raſchi. R. Abr. Zacutus addit, habitaſſe eum in ארום id eſt, Idumæa; ita vero ille in *Juchaſin pag.* 9. *b.* *Habitabat Jobus in Arabia, Saba & terra Edom, quæ ſita eſt ad auſtralem plagam terræ Iſraeliticæ. Non obſtante, quod Paraphraſis Chaldaica reddiderit per terram Utz Armeniæ, quæ eſt Græcia.* Id quod viri etiam noſtri ævi longe doctiſſimi minime a veritate alienum exiſtimant, cum *Thren. IV.* 21. Utz atque Edom jungantur tanquam locus unus idemque; שישי ושמחי בת אדום יושבתי בארץ עוץ: *Lætare & gaude o filia Edom, quæ habitas in terra Utz.* Quæ tamen verba ita explicanda cenſet Frid. Spanhemius in *Hiſt. Jobi*

bi p. 38: *Filia Edom! quæ ſedes protendiſti tuas uſque in terram Utz.* Quæ ſcil. in Arabia Deſerta, non Idumæa. Senſu utroque fuit Jobus vir Arabs, non minimæ autoritatis, idemque antiquiſſimus, & omni doctrinarum virtutumque genere excellens.

§ 10.

Itaque nec Deſerta Arabia illa tempeſtate a ſtudiis elegantioribus fuit deſerta. Inde enim præterea fuit Bildad Schuchita, cujus colloquia, non minus ac cæterorum Jobi amicorum, rerum tam Theologicarum, quam Philoſophicarum inſignem notitiam teſtantur. Erat autem Bildad, ut quibuſdam placet, Rex Schuach, id eſt, Arabiæ Deſertæ. שוח enim *depreſſum* ſeu *humilem locum* ſignificat; & سوخ *Sauch*, Arabice *mollitiem terræ* denotat *talem, quæ calcantis pedem in ſe recipit*, uti eſt Arabia Deſerta, in qua Σαυην collocat Ptolemæus. Sed quid de axiomate Regio tam Jobi quam amicorum tenendum, mox dicetur.

§. 11.

Eodem ævo Themanitæ, Themane Eſaui filio oriundi, omni eruditionis laude inclaruere; quorum ſapientia ac doctrina

in S. Scripturis haud uno loco celebratur. *Job. XV.* 9. 10. *Jerem. XLIX.* 7. *Baruch. III.* 22. Etiam meminit eorum Alcoranus, teste H. Grotio *in annot. Bibl.* Ex his erat Eliphaz Themanita, qui cum Bildado & Tzophare ad consolandum Jobum venerat. De populo suo hoc testimonium perhibet ille *Job. XV.* 9. מה ידעת ולא נדע תבין ולא עמנו הוא *Quid nosti, quod nesciamus, quid intelligis, quod non sit apud nos?* Theman autem regionem significat australem, quæ scil. ad austrum vel pars fuit, vel in vicinia adjacebat Idumææ. Viguisse autem in Idumeæ חכמים, id est, *sapientes* ex *Obad. v.* 8. evidens est: והאברתי חכמים מאדום ותבונה מהר עשו *& perdere faciam sapientes de Edom, & intelligentiam de monte Esau.*

§. 12.

Ex Arabia Felice venisse Tzopharum Naamathiten quidam volunt, vid. Th. Hyde in *notis ad R. Abrah. Ben. Peritsol Itiner.* Hujus enim patria fuit regio s. urbs נעמה *Naama*, quæ ex vi vocis debet esse felix, commoda, amœna. Et sane ita erat Yaman a يمن *jumn*, *a felicitate ac virore* ita dicta. Vid. *Lex. Golii p.* 2768. Quippe in qua non aromata modo, omnisque generis odores, item aurum & margaritæ, cuncta-

cunctaque, quæ pretiosissima vocamus; sed & Musæ velut propriam sibi sedem ac domicilium elegerant. Quas singulis in deliciis fuisse non dubitandum est, cum a viro primario, & autoritatis inter suos præcipuæ tanto studio ardoreque colerentur. Non ignoramus tamen esse, qui sedes huic Tzopharo Jobo magis vicinas adsignatas velint. Sed de hac Helena alii certent, nobis in hisce non licet esse verbosis.

§. 13.

Hisce accedit Elihu Buzita, cæteris Jobi amicis ut ætate minor, ita nulli tamen eorum sapientiæ laude inferior, quem Bileamum nonnulli faciunt, sed perperam; nam inter utrumque magna est distantia tum ætatis, tum generis atque originis. Etiam hujus Patria fuit Arabia Deserta circa Euphratem, ceu evidenter satis ostendit Spanhemius lib. cit.

§. 14.

Fuisse hos omnes suarum quemque ditionum Regem ac Dominum non desunt etiam Doctissimi, qui pro certo statuant. Conf. Th. Hyde *loco cit.* Idque non tantum ex Historia Jobi, sed & clausula illa, quæ versioni ejus Græcæ adjecta est, abunde probari posse opinantur. Ita autem il-

la: Οἱ δὲ ἐλθόντις πρὸς αὐτον φίλοι, Ἐλιφαζ τῶν Ἡσαῦ υἱῶν, Θαιμανῶν βασιλευς. Βαλδάδ ο Σαυχαιων τυραννος. Σωφαρ ο Μιναιων. Quo eodem sensu scribit Arabs Paraphrastes: *Et ex amicis Jobi, qui eum convenerunt, erat Eliphaz, de filiis Esau, Rex Themanitarum.* At neque Jobum, neque ejus amicos Reges ullo jure ab Helleniſtis habitos ostendit Cel. Spanhemius in *Hist. Jobi*, qui tamen pro indubio habet viros fuisse, ut genere, ita autoritate inter suos eminentes, & civitatum aut locorum, quæ incolerent, forte primarios. Fuisse quoque sapientes, Doctos atque eruditos homines; non modo ipsorum cum Jobo colloquia probant evidentissime, sed etiam Rabbini in Talmude affirmant, dum eos inter septem Prophetas referunt, qui illo sæculo docuerint אומות עולם *gentes mundi.* Gemara Babyl. *ad tit. Bava Bathra c.* 1. *fol.* 15. a.

§. 15.

Post hos considerandus venit Iether vel Jethro כהן מדין qui *Exod. II.* 18. Reguel; *Num.* X. 29. & *Jud. IV.* 11. Chobab, & *Jud.* 1. Keni adpellatur. Arabibus est شعيب *Schoaib.* Ebn Batrik apud Hottingerum *in Smegm. Or. P. I. p.* 412. *Jethro, quem Arabes appellant Schoaib.* Id quod in Alcorano etiam observes. Rationem etymo-

etymologiæ vid. apud Hottingerum *Hiſt. Orient. p.* 53. De hujus officio dubii ſunt interpretes. Alii enim præfectum Politicum, alii ſacerdotem faciunt. Diverſitatem illam peperit ambigua ſignificatio vocis כהן. quæ Virum & miniſtrum præcipuæ dignitatis, ſive Dei in obeundis ſacris; ſive Regis in Politia, ſignificat. Ierhronem autem Sacerdotem fuiſſe pleriſque viſum eſt veroſimilius. Ebn Batrik apud Hottingerum, *l. cit:* & *fuit Sacerdos in fano urbis Midjan.* Aben Ezra ad *Exod.* 11. 16. *Ubicunque in ſcriptura vox Cohen occurrit, ipſo denotatur vel miniſter Dei vivi, vel futilis Idoli myſta.* Arabs Londinenſis مدين الامام *Sacerdoti Midjan.* Ita quoque Syrus; Samaritanus: Græci; Vulgatus; Lutherus; & alii Europæi. Perſonam Politicam non minimæ autoritatis fuiſſe cenſet R. Schelomo Jarchi *Geneſ. XLVII.* 22. *Omni modo* כהן *ſignificat miniſtrum viventis Dei, exceptis iis, qui ratione dignitatis ita vocantur, velut* כהן מדין *Cohen Midſan,* כהן און *Cohen On.* Sic Onkelos in *Chald. paraph.* ולרבא דמדין & *principi Midjan.* Arabs Erpenianus, لشريف مدين *Princeps Midjan.* Junius & Tremellius. *Præſes Midianitarum.* Sed Doctorem & ſacrorum antiſtitem fuiſſe haud dubium eſt. Neque enim, ſi populi Prin-

Princeps, paviſſent oves filiæ, violenterque a paſtoribus repulſæ eſſent a puteo, dum gregem adaquarent; neque tam facilis fugitivo & advenæ filiam tradidiſſet; neque tam parcam familiæ ac dignitatis illius mentionem feciſſet Moſes. Fuiſſe autem inſigni ſapientia præditum, ex eo patet, quod Moſi prudenter admodum conſuluerit. *Exod. XVIII.* 19. 21. 22. & legem Judaicam haud gravate receperit, adeoque primus juſtitiæ proſelytus factus fuerit. Quam ob cauſam etiam nomen ipſius mutatum legitur in libro Schemoth Rabba, ſive Explicatione copioſa Exodi *Parash.* 27. quippe qui dictus fuerit Iether, *dum adhuc gentilis ſeu paganus fuit, juxta illud quod ſ. e.* (*Exod. IV.* 18.) & reverſus eſt ad Iether ſocerum ſuum. *Simul ac autem factus eſt proſelytus, litera unica adjecta eſt illi, ut & olim Abrahæ, & vocatus eſt Iethro.* Proſelytum quoque factum ait Gemara Babylonia *ad Tit. Zebachim* C. *XIV. fol.* 116,

§. 16.

Tempore Davidis floruiſſe Lokmannum hominem ſapientiſſimum, & apud Arabes celeberrimum, ſcriptores tam Muhammedani, quam Chriſtiani docent quamplurimi. Gregorius Abulfaragius Hiſt. Dyn. p. m. 51. *Aſſerunt etiam Islamitarum*

rum nonnulli, primum qui a ſapientia denominatus ſit, fuiſſe Locmannum, *qui tempore* Davidis *claruit, & ab illo accepiſſe Empedoclem.* Beidavi *in Paraphraſi Suratæ Alcorani* XXXI, qua integra Locmannum commendat Muhammedes, refert illum fuiſſe *filium Naoræ ex filiis Azed, filii ſororis Jobi, aut materteræ ejus. Vixiſſe autem ad tempora uſque Davidis, à quo ille ſcientiam didicerit.* Ita quoque Celeb. Golius in notis ad Suratam Locmanni: *Hoc plurium conſenſu proditum, tempore Davidis vixiſſe.* Alii ad tempora Joſiæ Regis Judæorum eum referunt, ut Elmacinus in *Hiſt. MS. apud Hottingerum Hiſt. Orient. Lib.* 1. c. 3. *Diebus ejus fuit* Locman *ſapiens.* Alii porro ad ævum Salomonis. Sed neuter horum ſatisfacit Cl. Schickardo, qui in proem. Tarich Reg. Perſiæ p. 20. *Suſpicor*, inquit, *prædictum Lucmannum impertinenter locatum eſſe, nec tam temporis quam ſapientiæ reſpectu Salomoni adjunctum, adeoque poſt Chriſti natalem demum vixiſſe; quia in allegato Alkurani textu introducitur, quaſi filium Dei negans, niſi Muhammedes impoſtor id ipſi ſuo more, h. e. ſolita mentiendi libidine affinxit.* Chriſt. Ravius in *Paneg. & præf. Specim. Alcorani*, credidit eundem eſſe cum *Alcmane*, poeta Lyrico Meſſenio,

senio, Amatorii carminis inventore, qui vixit circa Olymp. XXVII. At Nobilis. Ludolfus in *Comment. ad Hist. Æthiop. p.* 53. Locmannum non tam esse Alcmanem, quam *ita dictum, existimat, quia Muhammedes, Æsopum intelligens, in hac voce deceptus fuit.* Giggejus *in Thes. Arab.* præter hunc, etiam alium Locmannum Prophetam constituit, sed perperam, monente Cel. Hottingero *Hist. Orient. l.* 3. Cl. Golius & idem Hottingerus Locmannum ipsum esse Æsopum contendunt, variis inducti argumentis, ut: convenientia nominis; cognominis; ætatis; scriptorum, aliorumque affectuum utrique communium. Confer J. Golium in *not. ad Suratam Locmanni*, & Hottingerum *loc. cit.* Hunc inter sanctos suos retulere Muhammedani, adeo ut illum credant eorum, qui Suratam ejus in Alcorano diligenter legunt, futurum fore amicum magno die judicii. Ita Beidavi *in paraphrasi Alcorani.* Hujus in precibus suis veritatem & doctrinam quotidie fere celebrant, dum ita orant: اللهم الي اسالك بحق لقمان ووصيته *O Deus, utique ego te oro in veritate Locmanni, & doctrinæ ejus*, ceu ostendit Cl. Henningius in eleganti libro, qui *Muhammedes Precans* inscribitur.

§. 17.

§. 17.

1. Reg. IV. 30. de Salomone dicitur, ותרב חכמת שלמה מחכמת כל בני קדם ומכל חכמת מצרים *Erat ſapientia Salomonis major quam ſapientia Orientalium, & quam omnis ſapientia Ægyptiorum.* Per בני קדם quidam magni nominis viri Arabes intelligunt; ut Hugo Grotius ad *Math. II.* 1. Herm. Conringius in *ſupplem. Antiq. Acad. p.* 215. & alii. Quæ ſententia, minime abſurda, rationibus nititur, quæ ſequuntur. (I.) Scriptores Sacri *Arabiam* reſpectu Judææ non uno loco vocant: קדם id eſt, *Orientem*, & *Arabes* בני קדם *filios Orientis*, vid. *Gen. X.* 30. & XXV. 6. *Eſai. XI.* 14. *Jerem. XLIX.* 28. *Jechezk. XXV.* 10. *Joh., I.* 3. (II.) Ex mappis accuratioribus ſatis evidenter liquet, Judæis ab ortu adſitos eſſe Arabes. (III.) Fuit ea ſententia Veterum quoque. Tacitus in deſcript. Judææ. *Terra fineſque, quà ad orientem vergunt, Arabia terminantur.* (IV.) Potuere Arabes ob excellentiam ita dici a Judæis, ut qui præſtantiſſimi inter orientales eſſent. (V.) A شرق *Oriente*, nomen habuere *Saraceni*, populus Arabiæ antiquiſſimus, cujus meminit. Plinius VI. 28, & Targum Hieroſol. quod *Geneſ.* XXXVII. pro Arabibus מרקאי habet.

Sic

Sic Judæus ille, qui libros Regum in linguam Arabicam vertit, בני קדם reddit per اهل الشرق *Saracenorum*, id est, *Arabum*. Non sunt proinde Chaldæi vel Mesopotamii, Sapientes illi Orientales, quorum Doctrina cum Salomonis sapientia contenditur; Neque Tyrii, ut in *Salomone* suo vult Pineda: sed Arabes. Porro minus bene Hebræa verba οι LXX. sunt assecuti, cum pro בני קדם αρχαιων ανθρώπων ex altera significatione το קדם reddiderunt; quod obiter notandum erat.

§. 17.

Ex Arabia etiam fuit Regina illa, quæ 1. *Reg.* X. 1. dicitur ad Salomonem venisse לנסתו בחידות *ad probandum eum ænigmatibus*. Contendunt id uno ore Veterum plerique, ut Cyprianus, Epiphanius, Cyrillus Alexandrinus, recentiorumque non pauci. Regnasse apud Arabes feminas docet Eruditiss. Bochartus, Geogr. Sacr. lib. 2. c. 26. & ex Ebno'l Amdi Cel. Pocockius *not. ad Spec. Arab. p.* 85. Argumenta porro indubia sunt dona Reginæ illius, non alii magis regioni, quam Arabiæ convenientia, ut taceam plusculas rationes alias, quas fuse Pineda in Salomone suo adfert. Arabes ipsi بلقس *Belkis* vocant, traduntque illam e Salomone filium

ſtuliſſe. Geographus Arabs Romæ editus, de urbe Mareb *Clim. I. part. 6. Et ex ea oriunda erat Belkis uxor Salomonis f. Davidis.* Et Clim. 2. part. 6. *In eadem Urbe Mareb, eſt etiam arx Elkaſchib, quæ fuerat aula* (vel palatium) *uxoris ejus.* Reginam Æthiopiæ alii faciunt, ut Origenes & Auguſtinus. Alii Reginam Æthiopiæ & Ægypti, ut Joſephus in *Ant. Jud.* VIII. 2. Verum quid de hoc tenendum ſit, optime docet Nob. Ludolfus *in Hiſt. Æthiopica, & comment. p.* 231. ubi *non alienum à vero videri*, ſcribit, *Reges Arabiæ Felicis, ex quibus Regina Sabæa oriunda fuit, a principio utique maris rubri littori, & ſic etiam parti Æthiopiæ, quæ litori adjacet, imperitaviſſe.* Certum eſt Arabum maximam per illa tempora potentiam fuiſſe. De Zerah Rege Arabum legitur. *II. Paral.* XIV. 9. quod in Azam Regem Judæ eduxerit decies centena millia militum, De Tirhaka, qui Sennacheribum in Judæa adortus fuit, vid. 11 *Reg.* XIX. 9. Hunc Strabo *Geogr. l.* 1. *& XV.* ſuperatis Herculis columnis, Europæ victricia intuliſſe arma tradit. Fieri itaque potuit, ut Regina quoque Sabæ plura ſimul regna ſub imperio ſuo continuerit. Fuiſſe autem reconditæ feminam ſapientiæ oportet, cum ænigmata proponere non dubitaverit hominum ſapientiſſi-

mo. Mera enim fabula est, quod de Marcolfo, morione Salomonis aulico, (quale hominum genus illa tempestas non tulit) vulgo traditur; vocatum scilicet eum a Rege suo in conspectum venientis ex Arabia Reginæ, ut ad proposita ab ea ænigmata responderet; quæ cum ille omnia promtissime solveret, admiratam judicasse, si tanta morionis esset sapientia, quanta sit ipsius Regis! Hoc, inquam, putidum est figmentum, & Muhammedicis Rabbinicisque nugis simillimum; quamquam nullum tamen hujus vel in Corano, vel Talmudicis, vel aliis Rabbinicis libris vestigium reperire liceat. Conf. Golium *ad Alferg. pag.* 87. Bochartum *Geogr. S. Lib. II.* 26. Pinedam in *Salom.* H. Conringium *in Antiq. Acad.* Carpzov. ad *Schickardi jus Reg.*

§. 19.

Qualia a Salomonis temporibus Arabum studia fuerint, Sacer quidem Codex non ita aperte nos instruit. Viguisse tamen vel exinde patet, quod eo doctrinæ eruditionisque capessendæ gratia Viri toto orbe Celeberrimi peregrinationes suas instituerint, Pythagoras nimirum, Democritus & alii. De Pythagora testimonium habemus luculentum ex Malcho s. Porphyrio, qui in *vita Pythagoræ* ex Diogenis libro de incredibilibus, hæc profert: ἀφίκετο δὲ καὶ πρὸς

πρὸς Αἰγυπτίους, φησίν, ὁ Πυθαγόρας, καὶ πρὸς Ἄραβας, καὶ Χαλδαίους, καὶ Ἑβραίους. *Pythagoras, ait,* (sc. Diogenes) *ad Ægyptios quoque & Arabes, & Chaldæos & Hebræos accessit.* De Pythagora & Democrito simul Plinius fatetur *Hist. Nat. lib. XXV, 2. Ambos scil. peragrasse Persidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptique magos.* Et ab Arabibus τὴν ἰδίαν λιβανωτῦ μαντείαν didicisse Pythagoram, Porphyrius autor est *l. cit.* A quibus & τὴν περὶ ονειρων γνωσιν s. interpretandorum somniorum scientiam, divinationem ex volatu avium eum accepisse testantur Cyrillus *Lib. X. contra Julianum.* Theodoretus *Serm. I.* Philostratus *lib. I. cap.* 14. Schefferus de *Nat. & Constit. Phil. Italicæ p. m.* 30.

§. 20.

Quid autem literis Arabum ab his temporibus ad Christi nativitatem factum sit, non adeo certi sumus, cum monumenta illud indicantia prorsus nos destituant. Credibile tamen est, non interruptam ibi fuisse literarum, bonarumque artium culturam, cum Magos, id est, doctores suos constet Arabes habuisse. Plin. *loc. cit.* Indicant id, præter nomen ipsum, quod mere Arabicum est, (vid. Lud. de Dieu ad *Math.* 11.) locorum nomina quædam, ut

sinus Magorum, quem Ptolemæus agnoscit in Orientali Arabiæ parte; Magusum item, Magindana & Magiluna urbes. Arabiæ partem, cui Magodiæ nomen, Abrahami ex Ketura liberis cessisse Epiphanius *lib. III.* αιρεσ. tradit, hodieque pars Felicis Arabiæ vocatur *Magin.*

§. 21.

Ex hisce Arabiæ Magis fuisse illos, qui omnium primi recens natum Salvatorem venerati sunt (*Matth. II.* 1.) cum Justino Martyre, Tertulliano, Epiphanio, multisque veterum aliis, viri nostri ævi longe doctissimi recte profitentur. Nec enim obstat quod ab Oriente dicantur venisse. Arabiam enim Desertam Judææ fuisse orientalem, jam probatum est. Porro quæ Christo obtulere dona, Arabica fuerunt. Myrrha enim non nisi in Arabia gignitur; nec thus, nisi apud Sabæos. Conf. Bochart. *in Hieroz.* Aurifera quoque Arabia est, uti constat ex II. *Paral.* IX. 4. Itaque illos nihil moramur, qui vel Persas, vel Syros, vel Chaldæos fuisse asserunt; quorum ultimi septentrionalium potius nomine censebantur. *Jerem.* XXV. 9. Neque necesse est, ut cum Origene, Ambrosio, Chrysostomo, Basilio, & patrum aliis statuam Magos hosce nefariis artibus fuisse deditos, cum sciam illos

illos quidem olim, qui ignem colerent, & ad artes atque fraudes dæmoniorum animum adjicerent; poſtea autem & illos, qui ſapientiæ laude inclareſcerent, Magos fuiſſe adpellatos. Porro ſciendum multa de hiſce Magis, a Pontificiis tanquam certa tradi, quæ tamen an vera ſint, non immerito dubitamus; ut, quod Reges fuerint; quod tres omnino; quod nomina eorum Melchior, Caſpar. & Balthaſar; quod mitra epiſcopali a Thoma Apoſtolo donati &c. quæ omnia Xavierius in H. Chriſti Perſica pro certo adfirmat. Sed quæ merito explodenda ſunt, fabularumque commentis annumeranda.

§. 22.

Hiſce adjuvantibus Magis, ævo Salvatoris natalem proxime excipiente, atque deinceps æque culta fuiſſe apud Arabes ſtudia credibile eſt; non obſtante quod apud Europæi orbis ſcriptores, ob remotas ſedes de illis non adeo multa memorentur. Meminit tamen Plinius *Hiſt. Nat. XXV.* 2. cujusdam Evacis Regis Arabum, qui ad Neronem Imperatorem de ſimplicium effectibus ſcripſerit; Item Hippoci cujusdam, Medici Arabis, *lib. XXX.* 8. Horum autem ſcripta num exſtent, licet hodie quædam illius præferentia nomen cir-

cumferantur, valde est incertum. Hathemum quendam e Poëtis Ante-Islamianis celebrant Arabes. Autor libri Temthal apud Hottingerum *analect. Diss. Vl. p.* 250. & Pocock. *not. ad Specim. Ar. pag.* 343. de eo scribit, quod fuerit *Vir liberalis, cujus carmina liberalitati ejus respondebant, cujusque facta dictorum veritatem obsignabant.* Et Maidani apud eundem Hotting. *fuit liberalis, fortis, poeta, victoriosus, cum pugnaret vincere, cum sortibus contenderet, lucrari; cum cursu certaret, anteire; cum captivos cepisset, dimittere solitus.*

§. 23.

Denique cui non ex historia ecclesiastica notum, in Arabia semper fuisse, quibus cum sanctis ecclesiæ patribus assidua pugna fuerit? Adeat, si quis dubitet, Epiphanium de hæres. item Centuriatores Magdeburgenses aliosque, & plura in eam rem visurus est, quam forte voluerit; neque enim alia regio magis, quam Arabia hæreticorum ferax fuit, etiamsi sedulo per eandem Evangelii semina gentium Apostolus sparserit. Sed veniendum tandem ad Muhammedem.

II.

JO. CHRISTOPH. HARENBERGII,

EXPOSITIO

PSALMI. XCII,

AD

IOSAPHATI AETATEM POSTERIOREM REVOCATI ET EXPOSITI

SUMMA TRACTATIONIS.

§. 1. *Indicia, quae hymno insunt, apta ad historicam evolutionem exhibendam.* §. 2. *Ea ad Mosen prorsus non congruunt.* §. 3. *Collineant illa sigillatim in Iosaphatum ab hostibus suis Moabitis, Ammonitis, Idumaeis aliisque divinitus liberatum.* §. 4. *Ad inscriptionem hymni nonnihil adfertur illustrandam.* §. 5. *Hymnus nomine Iosaphati vel ab ipso fuit compositus.* §. 6. *Repraesentat hymnus Iosaphatum sub gemino Schemate. Nunc enim Deum hic compellat, nunc ad sese, ad hostes, & ad excitandam aliorum pietatem se convertit.* §. 7. *Interpretatio hymni latina paraphrastica.* §. 8. *De instrumentis musicis, quorum in hymno fit mentio, nonnihil disseritur.* §. 9. *Iungenda sunt commata* 7. & 8. 9. §. 10. *De cornibus animalis Réem, ad v.* 11.

PRAEFATIO.

Simulac intellexerimus, hymnum XCII in gratiarum actione ad Deum directa ob regnum Iudæ a molitione insultus subiti sub Iosaphato Rege liberatum versari, vero absimile nobis non videbitur, hymnum XCIII eiusdem esse argumenti. Regum enim *plurium* copiæ, ab australi ora maris Sodomitici ad Engada in Iudæam irrumpentes, spirabant impetum, fragori fluctuum fluvii maioris similem. Deus eum coercebat & elidebat, potentia omni humana superior, quemadmodum per Prophetam populo reddiderat testatum. Hæc vaticinia eventu ipso adparebant certa. Perstabat porro domus Dei: pulchritudinem suam retinebat domus interior. At nunc hymno nos accingemus XCII. illustrando.

§. 1.

Multos sane Psalmos rectius intelligeremus, si perspecta nobis esset occasio, quæ ad illos componendos divino auctori suppeditata fuit. Verba hæc sunt b. Ioannis Iacobi Rambachii a), dignissima suffragiis Theologorum quorumcunque, nec unquam improbata a censoribus, quorum aciem invidiosam nil præterit, quod ulla cum veritatis

a) *Institution hermeneutic.* II, 2. §. 9.

tis ſpecie aliorſum trahi, ſugillari atque carpi poteſt. Collectores *relationum innocuarum* b) idem ac Rambachius monuerunt, optantes, ut pſalmi in ordinem Chronologicum colligantur. Tentarunt id ipſum negotium Schleupnerus, Lightfootus & Ioannes Henricus Maius, *Oeconomiæ* ſuæ olim intentus. Optato illi eventus tunc demum reſpondebit, poſtquam ſinguli Pſalmi ex indiciis, quæ ipſis inſunt, ad hiſtorica momenta fuerint revocati & adſtricti. Quum vero nonnullis haud inſint notæ ſpeciales, e quibus ipſorum tempus erui poſſit natalitium, contentos nos eſſe oportebit notitia plerorumque Chronotactica: Patres primæ eccleſiæ, pſalmorum collectiones haud reſpondere decurſui temporum, probe perſpexerunt. At ipſi tanto otio & tanta ſubſidiorum ope haud fuerunt præmuniti, ut in hoc clivo potuerint cum laudibus ſudare. Maxima hujus ſtudii pars in tempora noſtra & poſteritatis ſedulitatem fuit reſervata. Periclitabor in præſens, bono cum Deo vires meas, ut Pſalmum nonageſimum ſecundum exſtitiſſe ultimis Regis Hiskiæ temporibus argumentis comprobem in medium adlatis. Si quid mihi in hoc campo exegetico cernere licet, Pſalmo iſto continetur gratiarum actio publica, ad Deum emiſſa, qui

b) *Unſchuldige Nachrichten* 1706. p. 618.

regnum Iudæ ab hostibus, in id insurgentibus, extrema Iosaphati ætate vindicaverat. Cardo rei in quibusdam indiciis vertitur, quæ ex psalmo ipso colligi & ad historiam Iosaphati, ab hostibus liberati, accomodari debent. Historiam illam memoriæ proditam esse 2 *Chron.* XX. non est quod doceam. En indicia, ex psalmo enotata. Psalmus fuit compositus, quum

1) Deus mirabili modo populum suum hostibus eorumque insultibus eripuisset. v. 5. 6. 12.

2) Quum promissa Dei singularia essent impleta, & ipse veracitatem suam illustrasset publice. v. 3.

3) Quum templum Hierosolymæ dudum exstitisset, atriis suis ornatum. v. 14.

4) Quum palmarum & cedrorum copia haud procul a templo esset consita v. 13. 14.

5) Quum auctor hymni ad canam senectutem perveniisset. v. 11. 15.

6) Quum Deus modum liberationis antea occultasset, eumque delegisset prorextraordinarium. v. 6.

7) Quum Deus prostravisset hostes ita & dis-

disieciſſet tam celeriter, ut viderentur eſſe herba, quæ, flore emiſſo ſuperbiens, exſtirpatur præter opinionem & perit. v. 8. 10.

§. 2.

Sunt, qui hymnum ſub manibus noſtris verſantem tribuunt Moſi. Hieronymus c) in hoc cenſu eſt referendus, cujus hæc eſt regula: *Omnes Pſalmi, qui, cuius ſint, titulum non habent, deputentur, quorum in prioribus pſalmis nomina continentur.* Videtur ipſe regulam hanc exegeticam ex Origene hauſiſſe, qui eam in acceptis ferebat magiſtro ſuo Iudæo Huillo d). Nec dubium eſt, Patres, qui in pſalmis operam ſuam poſuerant explanandis ante Hieronymum, puta Euſebium Cæſareenſem, Theodorum Heracleoten, Aſterium Scythopolitanum, Apollinarium Laodicenum, Didymum Alexandrinum, Hilarium Pictavienſem & Euſebium Vercellenſem, quorum duo poſtremi Origenem & Euſebium ex græco ſermone in latinum tranſtulerant e), eadem chorda oberraviſſe. At,

c) To. III. Opp, p. 761. G. Paris 1643. fol.

d) In Hieronymi *Apologia adverſus Ruffinum* L. I, c. 3. p. 494. F. G. To. II. Opp.

e) Hieronymus ad Auguſtinum Ep. 89. p. 636. G. To. III. Opp.

At, regulam eam cum veritate in concordiam redigi haud posse, indicia f) declarant historica, quæ insunt eis ipsis hymnis, qui ad eam regulam referuntur. Hymnus certe, qui nos iam habet occupatos, a Mosis ætate & actis gestisque est quam maxime alienus. Nam eius ætate nullum Hierosolymitani templi exstabat vestigium, nulla in eo atria, nullæ circa illud atriorum structuræ & dimensiones, nullæ in vicinia consitæ cedri & palmæ, templum eiusque situm exornantes. Instar omnium sunt hæc argumenta.

§. 3.

Singula autam indicia congruunt ex amussi ad Iosaphati postremam ætatem, in quem insurrexerant Moabitæ, Ammonitæ, & Ammonitarum fœderatæ nationes, *mehaammonim*, ex Aramæa & montibus Seir, præter opinionem & ex improviso. 2 *Chron.* XX. Deus vero Iudæis modo prorsus extraordinario opem eiusmodi ferebat, ut Iosaphatus eiusque exercitus bellicus nequidem manum cum hostibus consereret, quum hostes iam stratos occisosque videret, improbosque periisse audiret. Hostes enim

f) Jo. Fr. Buddeus *Hist. Eccl.* V. T. Per. II. Sect. 3. §. 26. p. 182.

enim mutua cæde in ſeſe ſævierant, antequam Ioſaphati turba canentium & armati, hanc ſequentes, hoſtibus occurriſſent. Deus igitur

1) Mirabili ratione Iudæos & eorum Regem Ioſaphatum ab hoſtibus vindicavit 2 *Chron.* XX. v. 21. 22. 23.

2) Deus per propheram Iachſielem Ioſaphato populoque eius ſtragem hoſtium prænuntiaverat, & huic vaticinio conſtitit fides ipſo eventu. v. 14. 15. 16. ſ. 21. ſ.

3) Ioſaphati tempeſtate ſtetit Hieroſolymis templum & atria id ornarunt.

4) In templi vicinia floruerunt tunc cedri ac palmæ. 1 *Reg.* VII. 2.

5) Ioſaphatus poſt eam hoſtium ſtragem haud diu porro in vivis fuit.

6) De modo liberationis extraordinario dubitari non poteſt. XX, 17. 21. 22.

7) Hoſtes pauculis horis ad internecionem perierunt, invicem deleti.

Hoſtes erant Moabitæ, Ammonitæ, & cum ipſis fœderati Ammonitarum. 2 *Chron.* XX, 1. Erant ipſi numeroſi, ex ulteriori maris ſalſi ora, & inde ex Aramæa. v. 2.

In-

Intererant eis praeterea Viri ex montibus Seir, in insidiis collocati, quorum gladii deinde in Ammonitas & Moabitas fuerunt conversi, & horum tandem in sese invicem. v. 22. 23. Eximius & celeberrimus Ioannes Franciscus Buddeus rem sic enarrat succincte & adposite, g): *Postera die Rex* Iosaphat *cum copiis ex urbe egreditur & ad desertum Tekoæ procedit; quumque ibi omnes denuo adhortatus esset, ut in Deo solo omnem collocarent fiduciam, inito consilio, cantores ante exercitum disponere placuit, qui divini Numinis benignitatem eo, quo in templo hoc fieri solebat, modo, celebrarent. Hoc dum fiebat, Deus furorem immisit hostibus, quo divisi inter se mutuam perniciem moliti sunt & se invicem confecerunt. - - Illi, qui ad insidias Iudæis struendas missi sunt, in ipsos Ammonitas, Moabitasque & Idumæos inciderunt, & cæco impetu eos ut hostes adgressi sunt. Tum Ammonitæ & Moabitæ in ipsos Idumæos conversi sunt, forte quod insidiatores ex Idumæis fuerint, ipsique adeo existimaverint hæc consentientibus reliquis Idumæis facta: tandem cum Idumæos ad internecionem delevissent, ipsimet inter se concurrentes mutuis se confecerunt vulneribus cædibusque. Iudæi, horum omnium hactenus*

g) *Hist. Eccl.* V. T. Per. II. Sect. 4. §. 11. p. 411. 412. Hal. 1719. 4.

etenus ignari, quum ad ſpeculatoriam turrim ſeu locum editum in ſolitudine veniſſent, unde loca vicina deſpicere licebat, ſolum quaquaverſus cadaveribus ſtratum viderunt, hoſtium autem ſupereſſe neminem. Ad ſpoliandum igitur accedentes, magnam prædæ vim divitiasque ingentes inde referunt, in quibus ex cadaveribus colligendis tres conſumti dies ſunt.

§. 4.

Inſcriptionem pſalmo 92. adtributam fuiſſe eam, quæ dictitat, illum ſingulis Sabbatis publice fuiſſe decantatum, haud mirandum eis eſt, qui inſignem Dei opem perpendunt, qua Ioſaphatus Rex a Regum circumvicinorum occultis latrocinantibus quæ armis liberatus fuit. A muſica inſtrumentali cœpta fuit decantatio hymni huius, ad omnem ætatem commemorabilis. Haſce ob rationes præfixa ipſi cernitur inſcriptio: מזמור שיר ליום השבת. Iugibus victimis Sabbato quocunque ſupperadditæ fuerunt victimæ, ceteris diebus haud immolandæ h), vulgo *muſaphoth* dictæ. Addititio eiusmodi ſacrificio coniungi ſemper ſolitus fuit hic hymnus, a Levitis decantandus una cum Sexta hymni Moſaici *Deut.* XXXII.

h) *Tamid* VII, 4.

XXXII, parte, qui ſex demum Sabbatis penitus ad finem uſque fuit i) decantatus. Adparet igitur cauſa inſcriptionis, indubie ex origine hymni olim conſtanter perennis, antequam ratio decantationis eximia oblivioni ceſſit. Prolongagatum poſtea & extenſum fuit inſcriptionis ſchema, ita tamen extenſum, ut variaret eius in quibusdam exemplaribus k) lectio. Nam legebant Miſchnici doctores in ſcriptionem hunc in modum l):
מזמור השיר ליום השבת מזמור השיר לעתיד לבא ליום *verſus diem* (Meſſiæ). Pro vocabulo ליום in aliis exemplaribus legebantur hæc m):
לעולם שכולו שבת ומנוחה לחיי העולמים *In perpetuum, qui* (dies) *totus ipſe eſt Sabbatum & quies vitæ æternæ.*

Faci-

i) Gemara *Roſch haſſchanah* f. 31. 1. Maimonides in *Hilcoth Tmidim Umuſaphoth* c. 6. §. 9.

k) *Tamid* VII, 4.

l) Obadia de Bartenora ad h. l. Qui addiderunt gloſſemata, ſpem ſuam detexerunt in Meſſiæ regnum, quietis contra hoſtes primordium.

m) Gem R. Bechai *in Legem.* f. 149. 1. Alias variationes habet Conradus Ikenius ad Tractatum Talmudicum *Tamid* VII, 4. p. 131. Bremæ 1736. 4.

Facile eſt intellectu, in utrisque exemplaribus adjectum fuiſſe gloſſema meditationis piæ, quod in Hillelis exemplar haud transiit, unde poſtea deſcripti fuerunt codices, quorum forma ad poſteros fuit transmiſſa.

§. 5.

Hymnus ipſe Ioſaphato debetur, monumentum quippe eius benignitatis ac maximæ beneficentiæ Dei, qua ipſum ipſiusque regnum ab hoſtibus, qui iam Engada adtigerant, liberarat ac præſtiterat intactum. An vero ipſe Ioſaphatus pro auctore hymni ſit reputandus, facilius eſt adfirmatu quam probatu. Si tamen eius pietatem in Deum, in legem Moſis, in ſacra patriæ, atque ipſius ferventem cum Deo coniunctionem, precesque ipſas Numini ſupremo probatas ob oculos nobis ponimus, alienum non eſt docere, Ioſaphatum ipſum, ſpiritu Dei contactum & adflatum, hymnum hunc ſcripſiſſe, & ſingulis quibusque Sabbatis decantari iuſſiſſe, ſperantem fore, ut tandem omnes hoſtium inſultus poſthac quiescant. Et omnino ex hac tempeſtate concordia & pax regnum eius refovit; fructus pietatis, quam Deus mirifico roboraverat auxilio, & in poſterum præmiis iucundiſſimis adficiebat. Tanti pretii eſt pietas in Deum ſeria fucique expers.

§. 6.

Hymnus hic duas cantantium personas præfert. Prior persona Deum adloquitur v. 2-10; posterior respicit ad Iosaphatum senem, quasi ope Dei præstantissima revirescentem, ad iustorum virtutem & felicitatem concelebrandam, & ad fructus inde in seram ætatem redundaturos, quorum præcipua est continuata & perpetua in Deum proclivitas animique propensio. Plures in uno hymno personarum passim dari successiones, docuerunt etiam primæ Ecclesiæ Doctores. Plures in hymno secundo induci personas, indicavit ipse Athanasius n). Hymno 75 tres exhiberi personas cantantes diversas, ostendit Eusebius o). Vicissitudinem hanc diversum melos, diversa instrumenta musica, diversitas saltantium in atriis chori, distinguebant. Abstergebatur sic omne fastidium, accendebatur magis attentio & vires adquirebat, ponebatque sanguinis excitati motum. Ob quietem hymnorum pars cantabatur stando; ad motum excitandum ducebantur choreæ, flexi-

n) In *Argumento psalmorum* p. 71. T. II. Collect. Patrum et scriptorum Græcorum Bernardi de Montfaucon Paris. 1706. fol.

o) *Commentar. in psalmos* p. 420. T. I. Collectionis Patrum.

flexibus & reflexibus bene dimensæ p). Exitus cantilenarum ab universis voce consona addebantur. Subinde intercinebatur inter commata quædam *Diapsalma* seu *Selah*, hunc in modum: *Ludate Dominum -- nam gratia Eius perstat in perpetuum.*

§. 7.

Succedat oportet interpretatio hymni latina.

1. *Hymnus, instrumentis musicis præcinentibus inchoandus, singulis diebus sabbati decantandus.*

2. *Bonum est* nobisque decorum, iucundumque esse debet, *gratias agere Iehovæ* pro beneficiis ab eo acceptis, & *fidibus instrumentisque iunctis decantare nomen Tuum, Excelsissime.*

3. Iucundum esto *prædicare, quamprimum lux exoritur, benignitatem tuam, & veracitatem tuam* dilaudare *flexo in noctem die, 4. ad ascoron & ad nablium & ad kinyræ tractationem.* B. Albertus Schultens nomen *Higgaion* putavit esse carmen triumphale.

5. *Omnino lætum præstitisti me, Iehova, opere tuo* mirabili. *Ob ea, quæ ipse citra hominum operam perfeciſti, ex-*

p) Philo *de Vita Contemplativa* p. 901. Francof. Viadr. 1691. fol.

sultabo ac liberali corporis saltantis motu gaudium meum declarabo.

6. *Quanta sunt opera tua, Iehova! Admodum profundæ*, hominibusque impervia *sunt* & erant *destinationes tuæ*. LXX. Σφοδρα εβαθυνθησαν οι διαλογισμοι σου.

7. 8. *Homo bardus non adtendit* ad hoc, *nec stolidus*, aberrationibus favens, *hoc ipsum debita prosequitur consideratione*, quod *improbi, qui in modum herbæ quasi florem emittunt, & quod omnes, qui dediti sunt perversitati*, ac *vires suas magis magisque proferunt, ei ipsi sint, qui in perpetuum sunt dissipandi* & evertendi. LXX: ὁπως αν ἐξολεθρευθωσιν εις τον αιωνα τ̃ αιωνος.

9. Nec illi id perpendunt, *Te esse altissimum in perpetuum, Iehova*, omnibus technis & improbitatibus superiorem, easque tandem puniturum.

10. *Quoniam ecce inimici tui, Iehova, inimici tui peribunt*, erunt ut amissi, perditi & rerum suarum defectu laborantes, frustra Deo reluctati. LXX: διασκορπισθήσονται, *dissipabuntur omnes ad hæc, qui operosi sunt in moliendis perversitatibus.*

11. *At vero altum est*, & extulit sese *cornu meum, quasi* cornua *orygum*, qui altissimos amant montes & in oppositos tollunt

lunt cornua. *Senectus mea, qua atteror*, per *oleum revirescit*, quo niteſcit vultus.

12. *Unde intendit se ad spectandum hostes meos* prostratos *oculus meus; in eos, qui adversus me insurgunt, in malignos intendit sese ad audiendum utraque auris mea.* Non satis possum respicere ad hostes dextra Dei occisos, nec satis audire eventum mirabilem molitionis eorum, qui in me ex improviso insurrexerant.

13. *Iustus instar palmæ efflorebit, instar cedri in Libano monte ad amplitudinem excrescet.* Legendum est ישגה, non ישגה. In illo verbo est notio *augescendi, in amplitudinem excrescendi. Iob.* VIII, 7. 11. *Dan.* III, 30. *Esr.* IV, 22. *Ies.* XV, 11. *Ps.* LXXIII, 12. *Iob.* XII, 23. XXXVI, 24. LXX. dilucide: Δικαιος ως φοινιξ ανθησει, ωσει κεδρος η εν τω Λιβανω πληθυνθησεται.

14. *Ei, qui consiti sunt prope domum Iehovæ, iuxta atria Dei nostri florebunt*, ac felicitatis documenta dabunt in lucem. Iusti comparantur cum cedris palmisque, prope templum circa castellum Zion consitis, quarum erant fructus eximii & facies pulcra. LXX:

πεφυτευμένοι εν τῳ οἰκῳ κυρίᾳ, εν ταις αὐλαις τᾶ Θεᾶ ημων εξανθησουσιν.

15. *Porro* eidem *adfluentiam proferent in cana senectute*, שיבה: *pingues & virentes vivent.* Senes alioqui sunt macilenti & enervati. At pietas genuina efficit moderationem, temperantiam, vegetamque senectutem. Virens rebusque adfluentibus contentus dicitur רענן *Deut.* XII, 2. Laurus dicitur *raanan* Ps. XXXVII, 35. Notio moralis legitur *Deut.* IV, 1. *Cant.* I. 16.

16. Vivent, inquam, *eo tendentes, ut concelerent usquequaque* & prædicent, *purissime perfectum esse Iehovam rupem meam, nec iniquitatem esse in ipso.* LXX: Τᾶ αναγγειλαι, οτι ευθυς Κυριος ο Θεος μᾶ, και ουκ εστιν αδικια εν αυτῳ. *Iaschar* dicitur ille, qui a recta perfectionis moralis integritate non deflectit.

Deo propria est ea supra omnem modum; In homine ea cadit, quæ finitudine quadam continetur, ac cessare potest ac desinere, simulac origo deflectendi in eum incidit. Circa Tekoam rupes erant, & intra eas excavatas latibula spatiosa. Iosaphati perfugium & securum latibulum erat Deus tutator, impatiens iniquitatis, quam occulti hostes ac latrones bello intenti exercere a-

ve-

vebant. Ipſi ſpe fructibusque deſtinationum exciderunt. Iudæi ex adverſo, Numine confiſi & ab iniquitate alieni, perſiſtebant, & exitu læto, fiduciæ radicibus defixo fructibusque pietatis adfluente, impertiebantur. Comparati ſunt eapropter ipſi cum cedris admodum proceris ac virentibus palmis. Utraque arbor, per artificioſam imitationem expreſſa, in trabibus parietibusque templi Hieroſolymitani erat frequentiſſima. Præterea cedri ac palmæ foris circa templum variæ excreverant q). Comparationis nervus in pace publica ac pietate perenni conſiſtit.

§. 8.

De inſtrumentis muſicis, quibus hymni hujus decantatio fuit comitata, paucula adjungere libet. Vocantur ea *Aſchor*, *Nebbel*, & *Kinnor* v. 4. ubi LXX habent δεκαχορδον ψαλτηριον μετ' ωδης εν κιθαρᾳ. Inſtrumenta muſica, ſemel inventa & nomen ſuum adepta, ſolent primo adpellari per varias nationes nomine, licet ſubinde ex pronuntiatione ſub alio cœlo nonnihil accedat mutationis. Quo autem nationes habitarunt propius, eo minor fuit iſthæc mutatio. Divertemus igitur ad Græcos Palæſtinis vicinos. His *Aſchor* eſt *aſcoron*, vas

q) Emo Lucius Vriemoet in *Obſervationibus miſcellaneis* L. I. c. 6. Leovardiæ 1740. 4.

quadratum cubitale, cantum sonosque edens ob chordulas, in eo distentas, quibus sonus exstitit, crotalo adfinis r). Chordulæ istæ digitis fuerunt excitatæ, ut sonum redderent, *octavæ* respondentem. Sonus per foramina, quibus vas id erat pertusum variis, exibat multiplex s). Si *octavæ* sonus inde prodibat: organon vocabatur *Schemineth.* 1 *Chron.* XV, 21. Fuisse id nonnunquam decachordum, decem chordis obsitum, ex nomine intelligitur. Adpellabatur a Græcis quoque *psalterion* t) & *magadis.* u) Pergimus ad nablion seu nablam. Interpretis Alexandrini librarius videtur hoc vocabulum omisisse, ratus, sufficere vocabulum *psalterion.* At nablam ab Aschoro seu ascoro distinxit hieropsaltes. Nablii meminit Iosephus x) breviter ita: *Kinyra, decem intensa chordis, plectro percutitur; nabla vero,* XII *sonos habens, digitis pulsatur.* Nablam a Phœnicibus fuisse inventam, memoriæ est y) proditum. Figura eius retulit maiusculum Græcorum Delta. Supra

r) Iulius Pollux *Oromast.* IV, 9.

s) Egomet *de Re musica vetustissima* in Miscellaneis Lipsiensibus Novis Vol. IX. p. 232. f.

t) Athenæus *Dipnos.* p. 636. edit. Commelin.

u) Egomet l. c. p. 224. f.

x) *Ant. Iud.* VII, 12. §. 3. p. 401.

y) Athenæus L. IV. p. 175.

pra fuit formæ planæ, infra rotundæ. Plura ad Amoſum de nabla adtuli. Nablium & Aſcoron diſcrepabant. Quam ob rationem illud Pſ. XXXIII, 2. בנבל עשור ימרו לו interpretandum eſt ita: *nabla & aſcoro concentum muſicum decantate ipſi.* Credebam olim, kinyram fuiſſe gingram ſeu tibiam minorem z). Sin vero Ioſephum ſequor, ſententiam cogor mutare. Non vacat in præſens, rem ad vivum reſecare.

§. 9.

An Higgaion ſit carmen triumphale hæreo paullulum. Nomen *higgaion* mihi videtur eſſe *tractatio* inſtrumenti muſici ex נגן, quæ fit contrectatione, ope digitorum. Commata 8. 9. 10. arcte cohærent, per admirationis commotionem quaſi diſcerpta. Hæc enim poſtulat, ut contrarium indicetur, priusquam tragicus adiungitur eventus. Primo notantur bardi & blenni, qui ad deſtinationes legesque Dei cæcutiunt. Adiicitur mentio de facinoroſorum flore temporario. Subiungitur perpetua everſionis eorum miſeria. Tum vero ad altiſſimam Dei potentiam evehitur oratio, qui malitioſos ad ima tandem deprimit & funditus peſſumdat. Vocabulum בער notat *æſtuoſum* & ſenſuum principatu ruentem

z) In *Miſcellan. Lipſ. Nov.* l. c. p. 235. ſ.

in obvia, *bardum*, *brutum*, *stupidum*. Idem adpellatur *Ksil*, כסיל, *frigidus*, *animo iners* ac *torpens*. Tali enim in utramque partem aberratione homines a sanitate mentis, ad pietatem compositæ, sunt alieni.

§. 10.

Animal *reem in* v. 11. memoratur, cujus cum robore ac cornibus altissimis sese comparat hieropsaltes. LXX perpetuo vocabulo illi substituit *monokerota* & Vulgatus *unicornu*. Orygas enim seu montanos hircos & capras, in Aegypto ac Libya olim frequentissimos, Aristoteles a) tradidit unico præditos esse cornu & ungula geminata, philosophus olim communis & perpetuus dictator. Sed experientia testimonium illud Aristotelis, quo orygi unicum tribuit cornu, evertit. Paulus Lucas descripsit orygas sæculo nostro, sæpius a se se in Aegypto spectatos, eiusque duo esse cornua, docet. In India Orientali olim erant oryges quadricornes. Oryges duo sunt currui trahendo pares. Cornua eorum distenduntur ac tandem curvata, robusta sane & eminentia, invicem se respi-

a) *Hist. Animal.* c. I. p. m. 851. *de Partibus Animal.* III, 2.

ſpiciunt. Robur ac potentia Ioſephi a Moſe comparatur cum oryge, *Deut.* XXXIII. 17. Targumiſtæ orygem adpellant *Kemana.* Oryx a Rabbinis vocatur קרש & Kares ab eis cum cervo & dama confertur. Alibi plura dedi & copioſiora b).

b) Ad Deut. XXXIII. in M. Ioh. Chriſtiani Mehlhorni *Gründlicher Erklärung der heil. Schrift* A. T. p. 809. 810. VI To. Lipſ. 1742. 4.



III.

HENRICI HEISEN,

PROFESS. PUBL. ORD. BIBLIOTHECAR. ET PÆDAGOGIARCHÆ BREMENS.

DISSERTATIO PHILOLOGICO-THEOLOGICA POSTERIOR AD

ROM. I, 17.

QUA

ALIORUM DE τοις

ἘΚ ΠΙΣΤΕΩΣ ἘΙΣ ΠΙΣΤΙΝ

SENTENTIÆ TRUTINANTUR.

SUMMARIUM.

§. §. 28. 29. Sunt oppido multi, qui hac phraſi unius ejusdemque fidei in ſingulis fidelibus incrementum deſignari arbitrantur, quod bifariam exponunt, ſed ita, ut ſenſus pæne eodem redeat. Multas iidem cumulant affines phraſes, ſed parum aut nihil ad rem facientes. §. 30. Quales ſunt פה אל פה & פנים אל פנים §. 31. Item מחיל אל-חיל Pſal. LXXXIV, 8. qui locus illuſtratur. §. 32.

32. Nec minus ἐκ γνώσεως εἰς γνῶσιν. §. §. 33-35. Nituntur maxime τοῖς ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν. II. Cor. III. 18. Sed incassum, quod fuse ostenditur. §. 36. Pro nostra interpretatione phrases geminæ afferuntur. §. 37. Tautologum & penuria Græcarum vocum laborantem facit adversa sententia Grece doctissimum Apostolum. §. 38. Cujus contrarium evincunt plurimæ ex plerisque ejus epistolis adductæ phrases æquipollentes. §. 39. Ingentissima exemplorum copia demonstratur, factam ad Apostoli modum vocabuli alicujus repetitionem sermoni plurimum ponderis, elegantiæ & venustatis conciliare. §. 40. Triplex nova expositio ex duplici alia metathesi resultans. §. 41. Improbantur admodum supervacaneæ sacri textus methatheses, idque notabili exemplo confirmatur. §. 42. Nullam, nisi frivolam & nugatoriam, instituti sui reddere causam possunt, qui ἐκ πίστεως & εἰς πίστιν divellunt. §. 43. Neutiquam expositio nostra Justitiæ fidei præjudicat. §. 44. Promittitur diatribe de præcipuo epistolæ ad Romanos scopo cum modesta diversum sentientis doctissimi Viri confutatione.

§. 29.

Geminata fidei voce Interpretes bene multi *unam eandemque* designari *fidem* arbitrantur, quæ secundum alios & inchoet & absolvat gratuitum justificationis opus, sive plenius, quæ justitiæ Dei

ob

obtinendæ, retinendæ, & poſſeſſores de tanto bono certiſſimos reddendi, tranquillandique ac lætificandi eorundem conſcientias unicum quaſi inſtrumentum, conditio unica ſit, & *cauſa*, *ſine qua non* quicquam horum omnium effici queat; vel ut alii exponunt, quæ in ſingulis vere credentibus feliciter progrediatur, tamque valida capiat incrementa, ut ολιγοπιστοι in πλυπιστας abeant atque ſurgant. Neutra harum ſine altera eſt, & utraque fides eodem fere recidit. Multæ vero ſimilis ſtructuræ phraſes, quas Docti Viri in geminæ hujus expoſitionis gratiam coacervarunt, vereor, ne in tertio, quod vocant, comparationis, inveniantur ſecus ſe habere; atque HERM. WITSII, & quorundam ex cæteris interpretamenta magis pietatem ſpirent, quam ſolidum redoleant judicium.

§. 30.

Locutus cum Moſe Deus eſt פנים אל פנים ut LXX. ἐνωπιος ἐνωπιῳ, vel προσωπον προς προσωπον *facie ad faciem*, (86.) itemque פה אל פה *ex ore ad os*, (87.) cui geminum Johannis eſt στομα πρὸς στομα (88.) Verum an duo ſe mutuo

(86) Exod. XXXIII. 11. Deut. XXXIV. 10. coll. 1 Cor. XIII. 12. (87) Num. XII. 8. coll. Jerem. XXXII. 4. & XXXIV. 3. (88) Epiſt. v. 12. & III., v. 14.

tuo videntes, interque se colloquentes, *unam* habent faciem, os *unum*, aut *uno* hoc loquuntur *ambo?*

§. 31.

Expromunt porro Psalmi illud: *Ibunt* מחיל אל-חיל quod Alexandrini reddunt ἐκ δυνάμεως εις δυναμιν, *ex potentia ad potentiam*, quos sequuntur BELGÆ vertentes: *Van Kracht tot Kracht.* (89) At vero hoc, si quod aliud, κδὲν προς Διόνυσον. Rectius interpretantur TREMELLIUS & JUNIUS: *Ab acie ad aciem;* COCCEJUSque, SAL. *van* TIL. alii: *De turma ad turmam.* Sermo habetur de Israelitis maximo numero Hierosolymam ad cultum Numinis publicum festosque dies celebrandos confluentibus, qui in multas distributi catervas, quarum singulæ cohortis militaris vel turmæ præbebant speciem, iter facere consueverunt, ut hodieque Orientis populi, & cumprimis Turci catervatim proficisci amant, cujusmodi catervas *Caravanen* ex Persica lingua appellitant. Si qui igitur pede tam festino, fortiterque adeo graderentur, ut posteriore, cui primum adjuncti fuerant, a tergo relicta caterva, anteriorem consequerentur, illi ab agmine ad agmen ire dicebantur. Num vero unum hoc pacto intelligendum ve-

(89) Psal. LXXXIV. 8.

venit agmen. Nonne aliud deſerebant poſtque relinquebant terga, conferebant autem ſe ad aliud? Sed multo majorem vide ἀβλεψίαν firmantium hoc loco ſuam loci noſtri expoſitionem. Non caterva una alterave, nec ambæ ſimul dicuntur itineris incrementum capere, ſed *euntes* ex alia ad aliam, ex ſequenti ad præcedentem catervam; & hi tuentur, τὸ *ex fide ad fidem* ipſius fidei ſignificare incrementum. Imo vero non alius, qui quidem dexter ac ſobrius ſit, Hieropſaltæ phraſi Apoſtolicam illuſtrandi ſuppetit modus, quam ut ad τὸ ἀποκαλύπτεται incrementum referas, ſtatuasque, quemadmodum prodeuntes ex ultima ad penultimam, exque hac ad antepenultimam proficiſcentium turbam eximios itineris ſui velociſſimosque faciant progreſſus, ita τὴν ἀποκαλυψιν, *revelationem* juſtitiæ Dei magna capere incrementa, quæ ex fide τῶν ἀποκαλυπτόντων, *manifeſtantium* doctorum progrediatur ad fidem in auditorum, τῶν εὐαγγελιζομένων, *quibus annuntiatur Evangelium*, animis excitandam. Subſiſtere in utriusque loci comparatione ad utriusque VERBUM oportet, quod in altero eſt יולכן *ibunt*, ἀποκαλυπτεται, *revelatur* in altero.

§. 32.

§. 32.

Prima, quam GLASSIUS (90) nostro subjicit loco locutio est. Ἐκ γενεας εις γενεαν. *ex generatione in generationem:* quod interpretatur: *Progressu temporis jugi & continuo.* Largior. Sed quæso, an hæ duæ generationes sint *una generatio*, quæ solo gradu a se ipsa differat, quoniam progressu temporis celsiorem atque perfectiorem gradum indipiscatur? Sic enim ille phrasin: *Ex fide in fidem*, accipit, dicens, *progressum & incrementum fidei, seu fidem, quæ quotidie incrementum capiat*, ea intelligi. Hæc increscens fides una est ac eadem, uniusque & ejusdem vere credentis. Generatio autem, *ex qua*, & *ad quam* numero differunt, nec alteram ingreditur altera, ut cum ea in unam coalescat. Salomon ait: Γενεα πορευεται, και γενεα ἐρχεται. *Generatio abit, & generatio advenit.* (91) Num generatio abiens eadem est, quæ adveniens? Ne abire quidem & advenire posset, si eadem esset, sed ad seculorum usque consummationem perstaret immota. Rursus idem: *Thesaurus non est sempiternus, nec corona* durat Ἐκ γενεας εις γενεαν, *ex genera-*

(90) p. 1027. ed. Lipsi. 1705. (91) Eccl. I. 4.

neratione in generationem. (92) Generatio, qua datur corona, ſervaturque, diverſa eſt a generatione, qua aufertur. Concinunt τοῖς ἐκ γενεας εις γενεαν Virgiliani

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis. (93)

Non uni atque iidem deſignantur nati. Voce *natorum* inſigniuntur *filii*; *nati* dicunt *nepotes*, & *qui naſcentur ab illis*, *pronepotes*, *cæterosque poſteros* denotant.

§. 33.

Speciem habet απο δοξης εις δοξαν, a *gloria ad gloriam*; (94) quod plerique Interpretes *a gloria hujus ad futuræ vitæ gloriam* explanant; quam proinde, negari nequeat, unam eandemque eſſe gloriam, cujus tantummodo perpetuitas, incrementum & conſummatio geminatione vocis δοξα ſignificetur. Tantum enim abeſſe, addunt, ut vitam ſpiritualem æterna tollat, ut augeat & perficiat, teſtante Apoſtolo: *Non exuemur, ſed ſuperinduemur.* (95) Sed vero tam immenſis paraſangis fidelium his in terris gloriæ diſtat præſtatque eorundem cœleſtis gloria, ut nullo modo utramque

(92) Prov. XXVII. 24. (93) Aeneid. III. v. 98. (94) II, Cor. III. 18. (95) II. Cor. V. 2-4,

que statuere eandem, sed aliam atque aliam fas sit. Præeuntem habemus optimum suorum, quæ nobis objectant, verborum interpretem, Apostolum nostrum, qui de ipsa piorum viliori parte, mortali videlicet, ad glorioſissimam immortalitatem excitando corpore disertissimis id vocibus affirmat. *Sunt corpora*, inquit, *cœlestia, & sunt corpora terrestria, sed* ALIA *quidem cœlestium* GLORIA, ALIA *vero terrestrium. Alia gloria solis, & alia gloria lunæ, alia gloria stellarum: stella enim a stella differt in gloria. Ita & resurectio mortuorum. Seminatur corpus corruptioni obnoxium, excitatur incorruptum; seminatur* IGNOMINIOSUM, *excitatur* GLORIOSUM; *seminatur infirmum, excitatur potens, &c.* (96) Quæcunque ad gloriam Ecclesiæ, cum universæ, tum speciatim Apostolicæ in hoc mortali ævo pertinent, cognitionem, spem, ipsam fidem, porro donum linguarum, vaticinandi, miraculaque perpetrandi facultatem, ea præter unum amorem Paulus infantum studiis nugisque puerilibus confert, abolendasque dicit imperfectiones per succedentem ipsis perfectam, omnibusque numeris ac partibus absolutam cœlestem gloriam. (97) Si ergo abolebi-

(96) I. Cor. XV. 40-50. (97) I. Cor. XIII. 8-13. II. Cor. V. 7. I. Joh. III. 2.

tur, inque nihilum redigetur ſpiritualis piorum hujus vitæ gloria tantum non omnis, qua veritate hæc deſitura cum æternum permanſura conſtituitur eadem, & hanc illa tantummodo ad celſiorem evehere gradum perhibetur? Longe rectius atque accuratius απο δοξης, *a gloria* ſic accipitur, ut prior hæc gloria per tranſitum εις δοξαν, *ad infinitis modis majorem gloriam* relinquatur & amittatur, poſterior vero, tanquam nova, peculiaris, & a priori reapſe diverſa novis cœlitibus utendam ſe fruendamque per omnem æternitatem exhibeat. Si cui privato & civi, qui bonus ſit & patriæ amans, tam contingat eſſe fortunato, ut liberis populi ſuffragiis *ab obſequii gloria ad gloriam imperii* adſcendat, is nullam imposterum ex obsequio, ſed omnem ex imperio captabit gloriam & ſuffragatoris populi non retinebit modo amorem, ſed & plurimis augebit acceſſionibus. Similem ad modum, qui corporeis ſoluti vinculis a gloria militantis eccleſiæ ad triumphantis evehuntur gloriam, nulla amplius capiunt augmenta, progreſſus faciunt nullos reſipiſcentiæ, ſpei, fidei, & cæterorum, quibus Eccleſiæ ſubcœleſtis conſtat gloria, gratiæ donorum bonorumque; ſed omnibus his a tergo relictis, & alto quaſi ſupercilio, ſi dice-

dicere fas est, contemptis, unice το καθ υπερβολην εις υπερβολην αιωνιον βαρος δοξης, *excellenter excellenter æternum pondus gloriæ* anhelant, & actutum consequuntur; solum vero in largitorem gloriæ suæ Deum, Deique filios, gloriæ hujus socios & cohæredes, amorem non modo illibatum servant, sed & tam mirifice adaugent, ut eodem flagrantissimo, & ab omnibus repurgato fæcibus toti ardeant.

§. 34.

Μεταμορφωμεθα, *transformamur*, ait Apostolus. Proxime & præcipue metamorphosis non progressionem & augmentum, sed *mutationem* significat, qua res non *eadem* permanet, sed *alia* efficitur; id quod Ovidii & aliorum, quos Dissertatione in hunc Pauli locum cel. JKENIUS recenset, (98) Metamarphosium libri abunde probant. Μεταμορφοω & μεταμορφωσις, fateor, non semper de interiori ipsius naturæ aut conditionis, sed etiam, licet parcius, de sola externa faciei & status rerum mutatione usurpantur, sicut laudatus Vir dicto loco adjungit. Verum nec δοξα ad naturam & essentiam hominis pertinet, sed attributum est, quod abesse sine hominis interitu

98) Dissertat. Philol- Theol. p. 1569. fin. edit. Lugd. Bat. 1749.

poteſt, proindeque mutatio hominis a gloria ad gloriam fieri nequit, niſi duplex gloria ſupponatur, altera, quam auferat mutatio, &, quam conferat, altera.

§. 35.

In antecedentibus prolixam Apoſtolus inſtituit comparationem inter gloriam Vet. & Novi Teſtamenti, (99) & nemo infitiatur; quod omnes Judæi, qui ſcribente Apoſtolo noſtro, & ſtante adhuc templo, illa gloriæ ſpiritualis atque cœleſtis umbratili ſede, Chriſto nomina ſua dederunt, a gloria priſcæ œconomiæ ad gloriam novæ tranſiverint. Jam autem quæro, an tranſitione illa priſtinam gloriam retinuerint, imo an in eadem fecerint progreſſus, ejusdemque ceperint incrementa? Abſit, longiſſime abſit! Exuenda, abjicienda, ejuranda, vel ut leniſſime dicam, commutanda vetuſtior cum longe præſtantiori recente fuit. Hinc quaternis uno in capite vicibus (100) gloria καταργεμένη, *quæ aboletur*, antiquior iſta audit; & collata novæ gloriæ vix nomen gloriæ mereri dicitur. (101) Meminerimus, quid non minus graviter, quam fuſe Paulus de Israëlitica in ſe abolita gloria pronuntiet. *Nos*, inquit, *ſumus circumciſio*, *qui*

(99) II. Cor. III. 7-17. (100) II, Cor. III. 7. 11. 13. 14. (101) II. Cor. III. 10.

qui spiritu servimus Deo, & gloriamur in Christo Jesu, nec in carne confidimus. Quamquam ego habeo, de quo etiam in carne confidam. Si quis alius videtur fiduciam habere in carne, ego maxime habeo. *Circumcisus octavo die, ex gente Israelis, tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, religione Pharisæus. Quod ad zelum* attinet, *persequens Ecclesiam; quod ad justitiam, quæ est in lege, irreprehensus. Sed, quæ mihi erant lucra, hæc propter Christum putavi damnum* esse. *Quin etiam certe omnia existimo damnum esse propter eminentiam cognitionis Christi Jesu, Domini mei, propter quem omnibus istis me ipsum multavi, eaque duco pro stercoribus, ut Christum lucrifaciam. &c. &c.* (102) Quibus cunctis adducor, ut, si phrasis ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, *a gloria hujus ad futuræ vitæ gloriam* denotat, omnino malim *duplicem* & a se invicem vere distinctam, quam progredientem *unam*, crescentemque gloriam intelligere. Doctiss. vero BENGELIUS, testante cel. HEUMANNO in h. l. pag. 180. ita disjungit: *A gloria Domini in gloriam in nobis.*

§. 36.

Superpondii instar adjiciam loca nulli, aut admodum fallor, exceptioni obnoxia

(102) Philipp. III. 3-14.

atque expoſita. Primis diſcipulis ſuis Magiſter Optimus Maximus præcipit: Μη μεταβαίνετε ἐξ οἰκίας εἰς οἰκίαν. *Ne tranſite de domo in domum.* (103) Ἐξ οἰκίας εἰς οἰκίαν eſt ipſiſſima illa loquendi formula, quæ ἐκ πίστεως εἰς πίστιν. Quid ergo? An domus ſecundo expreſſa caſu eadem eſt, quæ quarto ſignatur? Vel ipſe ſtupor, neceſſe eſt, fateatur, tranſiri ex ædibus in ædes non poſſe, niſi ex *aliis* in alias. Aeque concipi nequit, quomodo per tranſitum hominis ex ædibus in ædes concilietur ædibus aut perſeverantia, aut incrementum, idquod tamen fidei obtingere per manifeſtationem juſtitiæ Dei ex fide in fidem, ſive, ut diſſentientes conſtruunt, per ipſam Dei juſtitiam ex fide in fidem, affirmatur. Alter locus eſt: Ὥσπερ ἡ ἀσραπὴ ἡ ἀσραπτουσα ἐκ της ὑπ' ὐρανον εἰς την ὑπ' ὐρανον λαμπει, K. A. Reddimus cum ſupplente ellipſin BEZA: *Sicut fulgur coruſcans ex una regione, quæ ſub cælo eſt, in alteram, quæ ſub cælo eſt, ſplendet, &c.* (104) Rurſum noſtræ hæc tam ſimilis eſt phraſis, quam ovum ovo, & guttæ gutta. Ecquis vero non diverſam intelligit eſſe eam ſub cælo regionem, *ex qua* fulget ſplendor, ab illa, *in quam* ſplendet?

§. 37.

Abſonum foret, putidamque ſaperet tautologiam, ſi quis diceret Arbor creſcit in arborem, in

(103) Luc. X. 7. (104) Luc. XVII, 24.

in undam unda, ignis in ignem, in hominem homo, & sexcenta id genus alia. Verum: Infans crescit in puerum, ex puero in adolescentem, ex hoc in juvenem, ex juvene in virum, tandemque vir decrescit in senem; hæc & ejusdem commatis multa alia lectorem non offendunt. Religioni nobis ducamus, stilum divini Spiritus præter necessitatem deformare, & suffundere frigidam revelationis supernæ cavillatoribus, quorum feraciſſima proh dolor! hæc, quæ vivimus, sunt tempora. Mihi sedet persuasissimum, si unius ejusdemque fidei incrementum in animo habuisset Apostolus indicare, non binis illum vicibus fidei vocabulo, idque ἀμέσως, alterum sequente statim altero, usurum, nec, cum fides incipiens infirmaque, & fides progrediens ac robusta valde inter se differant, utramque, nullo discrimine facto, simpliciter fidem appellaturum fuisse. Cave enim, existimes, Græcarum vocum penuria laborantem Spiritus Sancti amanuensem ad ejusdem vocabuli iterationem confugisse. Qui versatissimum se in Poëtis Græcis fuisse, petitis ex Arato & Homero, (105) Menandro vel Euripide. (106) & Epimenide, sive ut opinantur alii, Callimacho (107) suffragiis

(105) Act. XVII. 28. (106) I. Cor. XV. 33.
(107) Tit. I, 12.

demonſtrat, an ei in ſoluto ſermone Græco defuiſſe idoneorum Synonymorum cenſenda eſt copia ad animi ſui ſenſa dilucide, diſtincte, nervoſe & grata cum varietate efferendum?

§. 38.

Diverſis, non iisdem, appellationibus diverſos fidei gradus ἰδιώτης ὑπῶ τῷ λόγῳ, *idiota hic*, id eſt, *imperitus*, vel *rudis ſermone*, ut ſuperſtes etiamnum per ignominam vocitabatur, (108) notificavit. Aptiſſima plenaque roboris & nervorum ad ſupremum fidei exprimendum gradum eſt vox πληροφορία, *pleniſſima perſuaſio*, *fides certiſſima*. Ternis hanc vicibus in ipſius Epiſtolis uſurpatam invenimus; (109) quin imo ſemel πληροφορίαν πίστεως, *plenitudinem fidei*, vel *fidei certiſſimam perſuaſionem* adhibitam. (110) Nec minus τῷ πληροφορηθέντι de Abrahami omnem pæne fidem exſuperante fide uſus eſt, ſcribendo: *Contra ſpem in ſpe credidit, - - ac minime imbecillis fide - - adverſus promiſſionem Dei non diſceptavit incredulitate, ſed robuſtus factus eſt fide, - - καὶ πληροφορηθεὶς, ac perſuaſiſſimum ipſi fuit, Deum, quod promiſerat, poſſe etiam face-*

(108) II. Cor. XI. 6. (109) Coloſſ. II. 2. I. Theſſ. I. 5. Hebr. VI. 11. (110) Hebr. X. 22.

facere. (111) Habet insuper στήκετε ἐν τῇ πίστει, *state in fide*; (112) τῇ πίστει ἑστήκατε, *fide statis* vel *stetistis*; (113) περισσεύετε πίστει, *abundatis fide*; (114) αὐξανομένης τῆς πίστεως ὑμῶν, *augescente fide vestra*; (115) Χαρὰν τῆς πίστεως, *gaudium fidei*; (116) τῇ πίστει τεθεμελιωμένοι, *fide fundati*; (117) βεβαιούμενοι ἐν τῇ πίστει, *confirmati in fide*; (118) διὰ τῆς πίστεως τῆς ἐνεργείας τοῦ Θεοῦ, *per fidem efficaciæ divinæ*; (119) ὑστερήματα τῆς πίστεως ὑμῶν, *defectus fidei vestræ*; (120) Ἔργον πίστεως ἐν δυνάμει, *opus fidei in potentia*; (121) Supersedeo pluribus Apostoli nostri coacervandis phrasibus. Omnium vero longe maximam esse copiam, ex his, quas dedi, in proclivi est conjicere: nec dubito ullus, quin unaquælibet earum ad denotandam in singulari aliquo fideli progredientem per gradus proficientemque fidem multo significatior sit atque accomodatior, quam divulsum istud a proxime antecedenti τῷ ἀποκαλυπτεται, hincque obscurum & vagum τὸ ἐκ πίστεως εἰς πίστιν. Mulieri Chanaanææ dicit Jesus: *O! mulier* μεγάλη, *magna*

(111) Rom. IV. 18-21. (112) I. Cor. XVI. 13. (113) II. Cor. I. 24. (114) II. Cor. VIII. 7. (115) II. Cor. X. 15. (116) Phil. I. 25. (117) Col. I. 23. (118) Col. II. 7. (119) Col. II. 12. (120) I. Thess. III. 10. (121) II. Thess. I. 11.

gna eſt fides tua ; (122) petuntque ipſum Apoſtoli: Domine προσθες, *adde*, id eſt *auge nobis fidem.* (123) Quocirca putem, ſi divini ſcriptoris mens fuiſſet, augmentum fidei hoc loco indicare, illum pro ἐκ πιστεως εις πιστιν poſiturum fuiſſe ἐξ ὀλιγης vel ἀσθενους πιστεως εις αυξησιν, vel περισσειαν, vel χαραν, vel στερεωμα, vel ἐνέργειαν της πιστεως, vel εις πιστιν ἐν δυναμει, vel aliud quid his geminum, aut denique ſimpliciſſime ἐκ μικρας πιστεως εις πιστιν μεγαλην.

§. 39.

Contra ea, quando non de unius rei vel perſonæ diverſis gradibus, ſed de duarum pluriumve rerum aut perſonarum, quæ ad unum genus vel ſpeciem unam pertinent, numero autem differunt. & ſeparatæ a ſe invicem ſubſiſtunt, eadem natura, attributis iisdem, ſtudiis, moliminibus, factisque communibus & affinibus inſtituitur ſermo, tum uſitatiſſima apud bonos auctores eſt unius ejusdemque vocis, mutato plerumque caſu, repetitio; tantumque abeſt, ut iteratio iſthæc fraudi ſit ſcriptoribus, lectoribusque nauſeam creet, ut emphaſin, gratiamque ac venuſtatem ſtilo conciliet. Multa dabo exempla, & ſic tamen multo plura omittam: *Dies diei* copioſum elo-

(122) Matth. XV. 28. (123) Luc. XVII. 5.

eloquitur sermonem, & *nox nocti* indicat scientiam; (124) *Dies diem* docet. Ex *die* in *diem* differtur, scilicet ex hodierno sæpe in crastinum. Ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ, *die & die*, (125) hoc est singulis diebus, quotidiè, vel, ut HORATIUS, quotquot eunt dies. Uti *ex die in diem*, sic *ex hora in horam*, *ex hebdomade in hebdomadem*, *ex mense in mensem*, *ex anno in annum*, &c. OVIDIUS: *Una dies* Fabios ad bellum miserat omnes, ad bellum missos sustulit *una dies*. Unius illius diei, quæ miserat, incrementum non fuit una, quæ sustulit, dies. *Abyssus abyssum* vocat (126) In pluvia atque ex stillicidio *gutta guttam* continuo excipit: in fluvio & mari *undam unda* trudit, *fluctumque* sequitur *fluctus*. Rursum de fluctu decumano OVIDIUS: Qui venit hinc *fluctus*, *fluctus*, supereminet omnes; posterior nono est, undecimoque prior. De Seraphim Jesaias: Clamabat *hic* ad *hunc*; (127) & denuo: Confundam *Aegyptios* cum *Aegyptiis* - - pugnabit *civitas* contra *civitatem*, *regnum* contra *regnum*. (128) *Caeci cæcorum* duces: *cæcus cæco* viæ ducem se præbet (129) Dii immortales!

(124) Psalm. XIX, 3. (125) II. Cor. IV. 16.
(126) Psal. XLII. 8. (127) Jes. VI. 3.
(128) Jes. XIX. 2. (129) Matth. XV. 14. Luc. VI. 39.

les! *homo homini* quid præſtat! (130) *Homo homini* lupus. *Figulus figulum* odit. *Simile ſimili* gaudet. Non *ovum ovo* ſimilius, nec *guttæ gutta*. De *manu* in *manum*: *manus manum* lavat. *Vir virum* legit. (131) Eſt, ut *vir viro* latius ordinet arbuſta ſulcis. (132) *Littera littoribus* contraria, fluctibus undas, *arma armis*. (133) *Fortes* creantur *fortibus*. (134) Non *hoſpes* ab *hoſpite* tutus. (135) Infeſtis obvia *ſignis ſigna* - & *pilis* minantia *pila*. (136) *Uva* ab *uva* conſpecta livorem ducit. (137) De Caligula SUETONIUS: *A calvo ad calvum* duci imperavit. (138) Quæ BEROALDUS recte ita dilucidat, "Cum recognoſceret cuſtodias, (cuſtoditos) duo forte adſtrant calvi, alter in ſummo, alter in imo, ut inter duos calvos omnes cuſtodiæ (cuſtoditi) continerentur: tunc Caligula ſtans in porticu, in qua agebatur recognitio carceratorum, juſſit, ut carnifices ducerent ad ſupplicium cuſtodias (cuſtoditos) omnes, inci-

(130) Terentianus gnatho. (131) Virgil. XI. 632. Sueton. Auguſt. cap. 35. alii Conf. Nieupoort A. R. p. 488. ed. Arg. (132) Horat. III. Od. I. vers. 9. (133) Virgil. Aen. V. 628-29. (134) Horat. IV. Od. IV. 29. (135) Ovid. Metam. I. 144. (136) Lucan. init. (137) Juvenal. Sat. II. 81. (138) cap. 28.

incipiendo ab uno calvo, qui erat primus, & eundo ad alterum calvum, qui erat noviſſimus.„ *Ex faſcibus faſces. Ex odio odium*: nam qui alios odio proſequitur, viciſſim ab iis odio habetur. Contra *ex amore amor*: ut enim ameris, amabilis eſto. In Profeſſorum lectionibus atque collegiis *excitat auditor ſtudium*; hinc recte dixeris: *Ex ſtudio* creſcit *ſtudium*; nempe ex diſcentium ſtudio ſtudium docentis. His, quæ vivimus, temporibus licuit fari: *Ex bello in bellum*, ſcilicet ex Britanico Gallico in Auſtriaco-Boruſſicum. Et vice verſa: *Ex pace ad pacem*, videlicet ex reſtituta inter potentiſſimos Magnæ Britanniæ atque Galliæ Reges ad eam, quæ inita denuo eſt inter Auguſtiſſimam Hungariæ ac Bohemiæ Reginam, & Regem Sereniſſimum Boruſſiæ. *Germani in Germanos* arma movent. *Proteſtantes* occidunt *Proteſtantes*. *Imperatrici Imperatrix* auxiliares miſit copias, nimirum auguſtiſſimæ MARIÆ THERESIÆ ELISABETHA auguſtiſſima. Ruſſi *ab Imperatrice ad Imperatricem*, deſerto Imperatore, ſe contulerunt; nempe ab eadem, quæ modo honorificentiſſime nominabatur, ELISABETHA ad Auguſtiſſimam CATHARINAM II. PETRO III. relicto. Quid? quod noſtra videt ætas unum Principem, qui *ex Rege in Regem* ſic evectus eſt, ut

prior

prior Rex nullum ceperit incrementum, ſed poſterior, quod ante habuit, id omne retinuerit. Fuiſſe quondam utriusque Siciliæ, qui Hiſpaniarum nunc Rex eſt, potentiſſimum CAROLUM III. omnes novimus. Nec minus conſtat, ſucceſſiſſe ipſi in utriusque Siciliæ regno Filium ſereniſſimum, FERDINANDUM IV. Mutata igitur, non aucta eſt regia geminæ Siciliæ Majeſtas per Monarchiam Hiſpanam; & de uno ſummo ævi noſtri Principe affirmari ex vero poteſt, quod a Rege, qui nunc eſt, diverſus olim Rex fuerit, neque anterior hic, quem quaſi exuit, poſtquam Diadema ſibi Catholicum impoſuit, ex viciſſitudine illa Regis in Regem ullum fortitus ſit incrementum. Jam vero ſi de uno Rege unius repetitione vocabuli recte prædicatur, quod ex Rege in Regem progreſſus fuerit, annon potiori jure de duplici hominum genere, altero docentium, diſcentium altero, duplicem eorum ſignificaturus fidem Apoſtolus, duplicatum fidei vocabulum uſurpare potuit? Germanica iterationem hanc refugit lingua, ejusque loco ſemel poſito ſubſtantivo adjectiva *unus* & *alter* amat adjungere. Exemplo ſint verba Chriſti: *Si Satanas Satanam ejicit.* (139) Abſonus foret, & aurium, quarum teſte Cicerone

(139) Matth. XII. 26.

rone judicium superbissimum est fastidium, si germanice interpretareris: *So der Satan den Satan* austreibet. Convenienter LUTHERUS Teutonicæ linguæ genio, ut aliis plerumque locis, reddit: *So ein Satan den andern austreibet.* Ad eundem itaque modum contendo ego, heic loci πιστεως εις πιστιν verti oportere: *Von*, vel *aus dem einen Glauben zu dem andern*; alteraque præconum Evangelii, & altera patulas ipsis aures præbentium fidem intelligi.

§. 40.

Pl. ven. CHR. AUG. HEUMANNUS verba hoc collocat ordine: Δικαιοσυνη Θεϑ εκ πιστεως εν αυτῳ αποκαλυπτεται εις πιστιν. sicque interpretatur: *Justitia illa, quæ per fidem apud Deum acquiritur, eo manifestatur fine, ut credamus.* (130) Ferrem utcunque hanc expositionem, si præposito articulo scripsisset Apostolus: Δικαιοσυνη Θεϑ εν αυτῳ αποκαλυπτεται Ἡ ἐκ πιστεως εις πιστιν, quemadmodum in oratione dominica: Πατερ ἡμων ὁ εν τοις ϑρανοις, & sexcentis aliis est locis præfixus: quæ inter eminent illa, quibus in ipsa hac ad Romanos epistola de ipsa hac fidei justitia

(130) Biblioth. Brem. Tom. IV. p. 284. Nov. Syll. P. II. p. 94 & Germanica hujus loci cum Versione, tum Explanatione pag. 50.

tia loquens Paulus, itemque de oppoſita legis & operum agens juſtitia eundem articulum præmittere conſuevit. Ἔθνη - - καταλαβε δικαιοσυνην, δικαιοσυνην δε THN ἐκ πιστεως. (131) Μωσης γραφει την δικαιοσυνην THN ἐκ τε νομε. - - Ἡ δε ἐκ πιστεως δικαιοσυνη. (132) Interpretamentum, quod ex cel. BAUMGARTEN Comment. in epiſt. ad Rom. rev. adm. JOH. NIC. RICHTERUS affert, (133) a cel. HEUMANNI ſententia ſolo gradu ſublimiore diſcrepat, adeoque eodem premitur incommodo. Ad hunc enim ſe habet modum: *Juſtitia Dei, quæ ex fide proficiſcitur, eo fine per Evangelium manifeſtatur*, UT MAGIS CREDAMUS, *i. e. ad fiduciam in Deo collocandam commoveamur, inque ea confirmemur.* Laudatus tandem adm. rev. RICHTERUS *ſubjectum* enunciationis Paulinæ ſtatuit conſtituere ſequentia: Δικαιοσυνη Θεε, ἐκ πιστεως THΣ εις πιστιν, ejus autem *prædicato* ſola relinquit verba: Ἐν αυτῳ (ευαγγελιῳ) αποκαλυπτεται, adeoque ad δικαιοσυνην Θεε & ἐκ πιστεως & εις πιστιν retrahit, atque, ut poſterioris, quam putat, ellipſin ſuppleat, articulum της ei præfigit. (134).

§. 41.

(131) Rom. IX. 30. (132) Rom. X. 5. 6. (133) Bibliothec. hujus Novæ Brem. Claſſ. I. Faſc. I. pag. 104. (134) Ibid. p. 111. §. 6. init.

§. 41.

Quoniam in eo tres hæ interpretationes conveniunt, quod a τῷ ἀποκαλύπτεται proxime sequentia avellant, duæ priores τὸ ἐκ πίστεως, & tertia insuper τὸ εἰς πίστιν, una mihi nunc fidelia integrum erit non duos, sed tres dealbare parietes. Equidem religio mihi est, in exponendis divinis Scripturis, nisi summa exposcat necessitas, quæ nulla hic est, ad vocum Trajectiones confugere. Neque enim id hoc jam agit commate Paulus, ut doceat inculcetque, justitiam Dei ex sola fide absque bonorum operum merito proficisci, sed in prooemio etiamnum hærens causam tantummodo expromit, cur ipsum non pudeat prædicandi Evangelii, idque apud Romanos, rerum dominos & sapientissimos homines, sicut proxime antegresso versu 16. scripserat. Repetita conjunctio causalis γὰρ manifesto indicat, & repete sis, Lector, quæ huc facientia superiori dissertatione plus semel monui. Quodvis ex quovis exsculpere licet, si violenter licet orationis membra luxare, &, quorsum allubuerit, transferre. Unum solummodo, qui multa possum, idque ex ipso hoc primo ad Romanos capite dabo exemplum. Comma ejus quartum his constat vocibus: Τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης

συνης εξ αναστασεως νεκρων, Ιησυ Χριστυ τυ κυριυ ημων. *Deſignato Filio Dei in potentia ſecundum Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione a mortuis, Jeſu Chriſto Domino noſtro.* Provocavit ad hunc cumprimis locum, & alterum illum Act. XIII. 33. HERM. ALEX. ROELL, probaturus, appellari Filium Dei ſecundam ſacroſanctæ Trinitatis Perſonam non propter æternam ipſius ex Prima generationem, ſed præter cæteras hac potiſſimum de cauſa, quod a mortuis eam reſuſcitavit Pater cœleſtis. Quam levi opera peritum ex noſtro commate *Roellii* telum fracturi Antagoniſtæ fuiſſent, ſi voces εξ αναστασεως νεκρων loco ſuo motas, vel ſolas, vel cum præcedentibus εν δυναμει ad calcem rejeciſſent hoc modo: Τυ οριθεντος υιυ Θευ κατα πνευμα αγιωσυνης Ιησυ Χριστυ, τυ κυριυ ημων εν δυναμει εξ αναστασεως νεκρων. Quid enim! Annon ex facili ipſis fuit, colorem, eumque perquam ſpecioſum, huic ſuæ transpoſitioni addere! Annon Chriſtus Εν δυναμει, *in emphaſi* per reſurrectionem ſuam factus eſt Dominus noſter? Dicit Petrus: *Certo ſciat tota domus Iſrael, hunc factum a Deo eſſe Dominum & Chriſtum, hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis,* (135) ſcilicet, poſtquam excitatus ab inferis cœlum conſcendit, de quo in antece-

(135) Act. II. 36.

cedentibus verba Apostolus facerat. Noster quoque Apostolus ipsa hac ad Romanos epistola: *Ad hoc*, inquit, *Christus & mortuus est, & resurrexit, & revixit, ut & mortuis & viventibus dominetur.* (136) Neque etiam obverti potest, prima versus quarti verba, si illis εν δυναμει & εξ αναστασεως νεκρων adimantur, mutilum & inanem sine mente sonum, aut, si mavis, frivolum sensum fundere. Remanent hæc: Τυ ωρισθέντος υιυ Θευ κατα πνευμα αγιωσυνης, quæ si rem spectes, idem significant, quod Θεος φανερωθεις εν σαρκι εδικαιωθη εν πνευματι. (137) Quin imo neutra opus fuisset metathesi, sed ad eundem eliciendum sensum sufficisset unicum voci αγιωσυνης subjectum comma, sic nempe: κατα πνευμα αγιωσυνης, εξ αναστασεως νεκρων κ. λ. Licet vero cuncta hæc ita se habeant, tantum tamen abest, ut Roelliani Adversarii, ipseque eorum princeps CAMP. VITRINGA tam fœde sibi dilacerandum textum sacrum duxerint, ut ne quidem vidisse videantur, id eo, quo ostendi, modo fieri posse. Quid ergo? Num ego, qui vidi, omnibus illis fui oculatior? Cave, ut qui maxime, credas, & sat scio, cavebis, si paucula hæc memori teneas pectore: Casti & sobrii scripturarum inter-

(136) Rom. XIV. 9. add. Phil. II. 11. sed in nexu.
(137) I. Tim. III. 16.

pretes non quærunt, sed potius reformidant inanes subtilitates, cujusmodi imprimis supervacaneæ vocum metatheses sunt; subtilia vero, quæ non quærunt, ea nec facile vident. Nihil igitur mirum est, hanc quoque metathesin, quæ magis subtilis, quam solida est, perspicacissimorum quoque virorum effugisse oculos. Forsan tamen horum nonnulli eam ante me conspexerunt, indignam vero judicarunt, qua adversus clar. ROELLIUM uterentur, quia derisui eam locus parallelus Act. XIII. 33. exponit.

§. 42.

Si vel una idonea dari causa posset, qua adductus divinus scriptor ea, quæ mente conjunxerat, calamo statim disjungenda putaverit, multo mihi & breviori & leniori esse liceret. Frustra sunt, qui obtentui sumunt arctissimum inter justitiam Dei, fidemque nexum, quarum altera donum gratuitum; manus unica, quæ accipere queat, sit altera. Abunde ego demonstrasse mihi videor, non de ipsa Dei justitia, sed de ejus ἀποκαλυψει, *manifestatione*, sive præconio, quod potissimum viva Legatorum Christi voce peragendum fuit, hoc commate sermonem instituí, hancque veram & satis superque evidentem esse causam,

sam, quare τῷ ἀποκαλυπτεται, non autem τη δικαιοσυνη θεϑ τϑ ἐκ πιϛεως εις πιϛιν ἀμέσως subjungantur. Vim itaque faciunt Paulinis verbis, ausoque, non dicam quo & quanto, divinum scriptorem neglecti, atque confusi vocum ordinis postulant, qui a τῳ ἀποκαλυπτεται avulsa τϑ ἐκ πιϛεως εις πιϛιν ad τὴν τϑ θεϑ δικαιοσυνην obtorto quasi collo retrahunt. Quod si ex iis, qui solum το ἐκ πίϛεως ad δικαιοσυνην θεϑ rejiciunt, quærere lubeat *rationem* hujus, quam credere nos jubent, sive rejectionis sive trajectionis, nullam ipsos aliam video reddere posse, quam quod Apostolo visum fuerit, το ἐκ πιϛεως sua exturbatum sede, proxime ante το εις πίϛιν collocare, ut *Polyptoton*, figura illa Reperitionis oratoria, facilius in lectoris incurreret oculos. At quam dilutum & nugatorium est, statuere, divinitus inspiratum scriptorem ejusmodi puerilem captasse elegantiam? Felicior obtigit sors duobus ethnicis poetis, Virgilio atque Ovidio, quorum alterum in *Fratrem ne desere frater*; alterum in *Judice me fraus est concessa repellere fraudem*; ad separandum metri leges adegerunt.

§. 43.

Plerosque suspicor ægre laturos, quod τη τϑ θεϑ ἐκ πιϛεως δικαιοσυνη, regio Christianæ religionis dogmati in hac epistola, quæ ei

pleniſſime dedita opera exponendo, & a Judæorum, pro juſtitia ex operibus legis militantium, impreſſionibus vindicando conſcripta eſt, primum ſtatim comma, in quo & η δικαιοσυνη Θεϑ, & τα εκ πίϛεως εις πίϛιν concurrunt, eripuerim adeoque ſurripuerim Proteſtantibus Theologis princeps telum, quod torquere in Pontificios, & cum maxime in Lojolitas, hos Judæorum, ſua quondam fretorum juſtitia, hodiernam propaginem, queant. Sed vero reputent hi cum animis ſuis, tam dilucida & omni exceptione majora loca, quæ in danda divinitus juſtitia humanam univerſam proſcribunt juſtitiam, in datis ad Romanos literis tanta ſequi copia, ut nihil neceſſe ſit, ad ea locupletandum uno aliquo, apoſtolicam inſuper habere vocum conſtructionem, etſi in gratiam maximi momenti veritatis ſuſcipiatur. Largior ambabus, ſenſum, qui ex mutata hac verborum conſtructione emergit, ſanum fideique analogum eſſe; aſt cum & ille ſenſus, quem ſervatus vocum ordo fundit, dilucidus ſatisque Scripturæ conformis ſit, omne illum emendandi innovandique ſtudium aſpernabile & damnoſum judico. Bona cauſa futilibus argumentis non melior redditur, ſed pejor apud eos, qui illam eſſe malam opinantur, aut certe exoptant. Quod critica manus in pro-

profanos sibi auctores indulget, idem si arrogaverit sibi in stilum sacrum, temeraria & irreligiosa, & nescio, an suo jure τοις εξ εναντιας audit. Vellem, nostra Patrumque memoria scripturarum Explanatores AUGUSTINI pressissent vestigia, qui licet justitiæ fidei acerrimum se vindicem contra Pelagianos præstiterit, hincque *Pelagianorum* nuncupatus sit *Malleus*; tamen retento verborum ordine & τὸ ἐκ πίστεως & τὸ εἰς πίστιν non ad remotam δικαιοσυνην Θεϱ, sed ad proxime antecedens ἀποκαλυπτεται haud secus, atque ego refert, ut perspicere dissertationis superioris est principio.

§. 44.

Nisi præsens disquisitio mole jam sua propemodum laboraret, de cæteris, quæ pro sua interpretatione perquam rev. JOH. NIC. RICHTERUS exhibuit argumentis & præcipue illis, quibus Epistolæ ad Romanos primario, quem defendit, scopo superstructis, decertavit, judicium qualecunque meum & candide ferrem & modeste. Propediem utriusque faciendi factam mihi, B. L. videbis copiam. Enimvero dudum est, quod in definiendo palmario epistolæ ad Romanos fine desudaverim

atque elaboraverim, eaque jam diatribe profligata adeo eſt, ut in aſpectum lucemque ocyus prodire poſſit, nec ambigo ullus, quin rev. admodum RICHTERUS diſſenſum ſubinde meum in bonam ſit partem accepturus, præſertim ubi cognoverit, me fœcundiſſimo ipſius ingenio atque eximiæ eruditioni plurimum laudis tum etiam ex vero impertiri, cum veri ſtudio abire in diverſum cogor.

IV.

FERDINANDI STOSCH,

S. T. D. & V. D. M.

REG. GYMN. JOACH. PROF. ORD. ET EPHORI, SOCIET. LAT. JENENS. ET TEUTON. GOETTING. AC BREMENSIS COLLEGÆ.

EXERCITATIO PHILOL. EXEG.

QUA

OPTIMI SOSPITATORIS PROMISSIO

JOH. XIV, 2,

ENODATUR.

Joh. XIV, 2.

Ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ πατρός μου μοναὶ πολλαί εἰσιν. εἰ δὲ μή. εἶπον ἂν ὑμῖν; πορεύομαι ἑτοιμάσαι ὑμῖν τόπον

§. I.

§. 1.

Iſta divini Soſpitatoris ad diſcipulos ſuos oratio non unam habet difficultatem, quas etiam eruditiſſimi interpretes agnoverunt, ſeque iisdem vehementer implicari, candide profeſſi ſunt. Celeberrimos utriusque purioris ecclesiæ duumviros, LAMPIUM & HEUMANNUM, omnium inſtar excitaſſe ſuffecerit. Quorum ille tantam tamque ſollicitam indagando ejus ſenſu curam ſibi adhibendam eſſe duxit, ut, diverſa tentata via, quatuor diſcrepantes novas excogitaverit ſententias: hic vero, veluti re tantum non deſperata, ad diſſecandum nodum pronum ſe eſſe non diſſimulet; verba: εἰ δὲ μὴ, εἶπον ἂν ὑμῖν, ab aliena manu profecta, atque incaute textui adjecta eſſe ſuſpicans, eademque adeo penitus eliminata cupiens. Ego (dicendum enim) nimium audax fore facinus exiſtimo, contra omnium plane codicum conſenſum, vel verbum, nedum integram aliquam orationis partem, reſcindere; idque non aliam ob cauſam, quam, quoniam ingenio noſtro in ſenſum illius penetrare non datum videmus. Quænam, ut ipſius viri doctiſſimi verbis utar, ἀχρεῖα? ſi quis, quod non caperet, tanquam inſititium crudeli ſtylo con-

confoderet. *) Quam poteſtatem ſi, non dicam interpretum unusquisque, ſed vel ſoli tantum Heumanno pares conceſſam ſibi ſemel datamque haberent: quam multis, quam fortaſſis momentoſiſſimis dictis, ſacrum codicem mutilatum cerneremus! Equidem polygraphus clariſſimus, ne nimis temere falcem criticam in locum noſtrum immittere videretur: hanc conjecturæ ſuæ cauſam adfert, quod tam in proxime præcedente, quam ſubſequente commate, notabilis quoque deprehendatur varietas; quibusdam manuſcriptis **) in priore, verba: μηδὲ δειλιάτω addentibus; Syriaca autem verſione, in poſteriore, illa: ἢ ἐὰν πορευθῶ, ἢ ἑτοιμάσω ὑμῖν τόπον plane omittente. Verum, quam infirmum hoc ſit infelicis conjecturæ fulcrum, quis eſt, cui non ſtatim pateſcat? Quid enim? quod ibi phraſis quædam interpretamenti loco adjecta fuerit: id etiam hæc duo orationis membra, quæ ne ullam quidem interpretamenti ſpeciem, ſed proprium ſibi eumque plenum habent ſenſum, pariter ab alio adje-

*) Vid. ejus nova ſylloge diſſ. P. I. p. 209 & conf. quæ ibid. rectiſſime contra CLERICUM diſſerit p. 206. 207. quorum, noſtrum examinans locum, non ſatis videtur fuiſſe memor.

**) MILLIUS unum tantum *Bodlejanum* citat.

adjecta fuiſſe, ullo modo probabile reddet? Aut, quod hic, quidam, ſive deſcriptor, ſive interpres, ex ſupina negligentia, aut alio quovis errore, alia prætermiſerit, inde alia non minus prætermittenda quoque fuiſſe, ſub ullo juris prætextu concludere licebit? Aut denique, an vel iſtam valere dixeris argumentationem, quod, ubi antecedentia & ſequentia phraſeos aut dicti cujusdam, ob lectionum diverſitatem incertiora ſint, quin omnino in mendo cubent, ibi de illa ipſa interjecta phraſi aut dicto, per ſe ſanum probumve fundente ſenſum, idem colligere liceat? Criticum de profanis ſcriptis talia adſerentem merito valere juberemus. Admittamus ergo multo minus in ſacris ea audentem. Atque vereor profecto! ne tam infauſta licentia impune admiſſa, vix ullum futurum ſit novi teſtamenti oraculum, in quo non mutare, interpolare, abjicere, fingere ac refingere pro lubitu facile foret. Vereor præterea, ne, ejecta illa ſermonis parte: οι δὲ μη, ειπον αν υμιν, peſſime eidem conſulatur, isque quamplurimis hiulcus prorſus ac elumbis adpareat. Sed & vereor tandem (ingenue enim fatendum eſt) ne humani aliquid paſſus ſit cl. HEUMANNUS, Syroque interpreti injuriam faciat, dum eum omiſſionis primæ partis commatis ter-

tii

tii accuſat. *) Mihi certe non aliam illius a Græco noſtro textu diſcrepantiam animadvertere licuit, quam, quod cum aliis quibusdam, & ipſis Græcis infinitivum ἑτοιμασαι loco futuri aut aoriſti ſubjunctivi ετοιμασω, ab aliis prælati, adhibeat; quam ſolam quoque ad hunc locum MILLIUS & WETSTENIUS **) adnotarunt. Et his quidem ſic diſputatis, illos nunc theologos, quibus Vir venerandus rem examinandam relinquit, judices non reſpicio, ſed potius fore, ut ſuos mihi calculos adjiciant, plane confido.

§. 2.

Interim eſt omnino, ut dixi, hoc oraculum perdifficile, nec hactenus ſatis enodatum. Dignum adeoque, cui illi, quibus verbi divini ſcrutinium curæ cordique eſt, inſudent. Quum vero & ego non minori cura in eruendum verum illius ſenſum incubuerim; atque interdum fiat, ut, qui minore viſus acie præditus eſt, aliquid detegat, quod vel oculatiſſimi præterfugit oculos, explicatio-

*) Video nunc, probe id quoque jam animadvertiſſe cl. HENR. GUIL. CLEMMIUM *amoenit. acad*, faſc. I. p. 35.

**) Mirum vero, quod non & Perſam in auxilium vocaverit V. C. εἰ δὲ μη omnino ommittentem.

cationem meam cum eruditis exegetis communicare non dubitavi. Id itaque hac diſſertatione paucis agam, ut *primo* ſingularum vocum poteſtatem & ſenſum exponam; *deinde*, earundem ſtructuram & nexum inveſtigem; &, hoc facto, quomodo difficultates tollantur, indicem.

§. 3.

Nomen τȣ πατρος perſonaliter capi, idque addito μȣ, reſpectu æternæ generationis Filii, ſicque ſimul diſtinctionem perſonalem innui, nemo ſanioris doctrinæ principiis imbutus non videt. *) Neque opus eſt, ut de voce οικια in diſputationem abeamus. Nullam aliam ejus notionem, ac illam *cœli* obtinere hic poſſe, totius orationis Chriſti nexus & ſcopus prima ſtatim fronte adeo dilucide oſtendit, ut demonſtratione nulla opus ſit. Hæc cœleſtis majeſtatis ſedes eodem nomine venit 2 *Cor.* *V*, 12. **) coll. *Hebr.* XI, 10. & *Jud. v.* 6.

*) Judicent alii, num BENGELII in Gnomone ad h. l. adnotationi, veri aliquid ſubſit. Ineunte hac homilia, inquit, pronomen ſæpius addit Jeſus *patris* mentioni: in progreſſu autem & exitu, poſtquam ſuæ præ credentibus eminentiæ cavit, & diſcipulos ad fidem excitavit, magis quaſi communiter loquitur. *Pater*, ſcil. meus idemque veſter.

**) Vbi, quando ei opponitur επιγειος οικια τȣ σκη-

6. & hoc ſchemate opponitur templo, τῷ οἰκῷ ejus in terris 1 *Reg. VIII.* 27. 2 *Paralip. VI.* 18. *Jeſ. LXVI.* 1. *Act. VII.* 49. atque in eo dicitur Deus κατοικειν *Pſ. II.* 4. in templis manu fabricatis ε κατοικων *Act. VII.* 47. *XVII.* 24. Nec abludunt profani ſcriptores, ex quibus e. g. veruſtiſſimus poëta HESIODUS θεογ. 40. 41. δωματα πατρος Ζηνος, DOMUS PATRIS *Jovis*, & *v.* 43. δωματα τ' ἀθανατων, *immortalium* deorum *domus*, nec non in *ſcut. Herc.* 471. δωματα *) πατρος commemorat. Intelligimus ergo per *domum patris*, cœlum, ut Sacra ſcriptura vocat, cœlorum, cœlum interius, tertium, cœlum gloriæ & beatitatis æternæ, paradiſum Dei. 1 *Reg. VIII.* 27. 2 *Chron. II.* 6. 2 *Cor. XII.* 2. *Matth. VI.*

σκηνες, per hoc habitaculum corporis terrenum, ipſum mundum, recte intelligit vener. IABLONSKI diſſ. ad Job. XIX. 25. Francof. ad O. 1722. p. 9.

*) Alia quædam loca poſt alios indicavit PORSCHBERGERUS in Theocrito ſacr. ſcript. illuſtrante p. 71. & 155. Sed vid. præcipue SPANHEM. ad CALLIMACHI hymn. in Jov. v. 59. & in Dian. v. 151, cui add. rev. SCHLICHTERUM in decim. ſacr. p. 35. 41. Convenit inſcriptio apud SPONIUM Voyage Tom. I. p. 278. ubi de Diogene dicitur θανων ασιρας ΟΙΚΟΝ ιχει.

VI. 9. Jo. I. 51. Act. VII. 49. Eph. IV. 10. Hebr. IV. 14, VII. 26. Apoc. II. 7. &c. *) Metaphorica autem hac adpellatione non putem reſpici, quod quidam volunt, **) ſive ad tabernaculum, ſive ad templum Hieroſolymitanum, ſive ad ædes regias Davidis & Salomonis, ſive ad ſpatioſa orientis regum palatia, ſive denique, ad aliud aliquod ædificium ſingulare. Simplicem præfero expoſitionem, metaphoramque, non aliter ac apud poëtam, a quavis domo in genere ſpectata deductam eſſe exiſtimo. Porro, quamvis non negem, plures metaphoræ rationes dari, pluresve cœlum inter & domum comparationes inſtitui poſſe: ***) ſcopo tamen divini Soſpitatoris magis congruere mihi videtur, ut unum tantum, in quo conveniant, tertium, hic ſpectemus; illud nempe, quod do-

*) Vid. LAMPIUS ad l. n. cui adde cl. WOLLIUM Hermeneut. N. F, p. 172.

**) Valeat locus ille medius inter cœlum ac firmamentum, in quem Chriſtum adſcendentem e terris ingreſſum eſſe; quemve ſolum eſſe regnum cœlorum, ſomniat vetus auctor topographiæ Chriſtianæ a PHOTIO excerptus, apud FABRICIUM bibl. Gr. L. III. p. 609.

***) Vid HENR. ALTING themata theol. ad h. l. Groningæ 1641. & HELLENBROEK loc, inf. cit.

domus ad habitationis usum vitæque commoditates, (sive ad tempus, sive per vitam) aptatæ sint. Huc manu nos ducunt prædicata in oratione Christi occurrentia; *mansiones*, in quibus domicilium habeant, *locus* a Christo discipulis *præparandus*, & consortium suum iis promissum, παραλημψομαι υμας προς εμαυτον, ινα, οπου ειμι εγω, και υμεις ητε, nec non societas & conversatio cum Patre *v.* 12. 16. *&c.* Huc collineant plurima Christi dicta, consolaturi discipulos suos de discessu suo, eo primum argumento, quod secum iterum conjungendi sint in cœlesti patris domo. Hoc denique commonstrant alia illa loca jam adlata, in quibus eodem *domus* nomine *cœlum* venit, coll. *Jes. XL.* 22. 1 *Thess. IV.* 17. *Hebr. XI.* 9. 10. *Apoc. XXI.* 3. Hoc tandem est, quod tantum non ubivis in hac voce metaphorice adhibita primarium est. 1 *Tim. III.* 15. *Hebr. III.* 2. 5. 6. 1 *Pet. II.* 5. *IV.* 17. *&c.* Præsentes sumus, versamur, vitam sustentamus, negotia vitæ curamus varia in ædibus nostris: sic in cœlesti illa domo aderimus, movebimur agiles, perennis erit novæ illius, ad quam resuscitabimur, vitæ conservatio & actuositas, cœlo digna nos occupatos tenebunt negotia. Domus sartos nos tutosque præstant ab aëris injuriis, securos nos reddunt a pu-

blica vi & rapinis, a variis inſultibus periculisve nos defendunt, & quæ ejus generis plura ſunt: ſic in cœlo ab omnibus calamitatibus & damnis, ab omni inimica violentia, ab omni denique periculo immunes vivemus beatiſſimi. *Apoc. XXI.* 4. *XX.* 6. Domi noſtræ, poſt labores diurnos dulci noctis quiete nos recreamus. Ibi demum vera & plena, eademque dulciſſima, erit quies; *ibi*, qui mortui ſunt in Domino, requieſcunt a labore ſuo, & opera eorum ſequuntur eos. *Hebr. IV.* 10. *Apoc. XIV.* 13. In una domo plures, ſanguinis præcipue vinculo conjuncti, conjunctius vivere ſolent, adunatis viribus quisque domeſtica curant commoda, ſuaque omnia inter ſe habent communia: ſic in cælo tota in Chriſto adoptata familia Patris cœleſtis, tota beatorum cohors, cum hoc Patre ſuo primogenitoque Fratre & οικιας Servatore; inter ſe denique omnes, lætiſſima in conjunctione vivent, ſub uno ſuo capite uniti, communi omnes gloria, communi omnes gaudio, communibus bonis ac privilegiis in æternum fruentur. *Hebr. XII.* 22. 23. 24.

§. 4.

Quando autem Chriſtus ait: ἐν τῇ οικίᾳ τȣ πατρὸς μȣ, conſiderandum venit, cœlum *Patris domum* audire, quod iſte eſt eccleſiæ ſuæ

ſuæ, ſicut in terris militantis, ita & in cælo triumphantis οικοδεσποτης unicus, qui tum ipſe domum iſtam in rerum principio exſtruxit, *Hebr. XI.* 10. 16. electæque familiæ deſtinavit *Matth. XXV.* 34. tum ipſe etiam ut verus Pater omnium, qui filii adpellantur in cœlis & in terra *Eph. III.* 14. 15. hanc ſuam in Chriſto adoptavit familiam. *Rom, VIII.* 14. *&c.* eam per Spiritum ſuum ſanctum, mediante regenerationis ſemine, verbo ſuo ad cœleſtem vitam genuit, *Jac. I.* 18. 1 *Pet. I.* 23. æternoque teſtamento æternæ in domo ſua vitæ heredes ſcriptos voluit; *Hebr. I.* 14. 1 *Pet. I.* 3. *Apoc. XXI.* 7. tum denique domui huic præeſt ſupremus rector, cui obediunt, quem reverentur omnes, *Apoc. IV.* 8. 9, 10. qui infinitos bonorum ſuorum theſauros cumulate iis diſtribuit, *Rom. II.* 7. 10. 2 *Cor. IV.* 17. eos in oculis & ſinu ſuo gerit, *Apoc. XXI.* 3. 4. & ad quem ipſi viciſſim honorem omnem & gloriam referunt. 1 *Cor. XV.* 28. *Apoc. XV.* 3. 4. *&c.* *)

*) Liceat his S. V. Auctoris cogitationibus piiſſimis & ſolidiſſimis adjungere verba HENRICI BULLINGERI, τε παιν HULDRICI ZWINGLII in munere Succeſſoris, & ſtrenui Reformationis in Helvetia promotoris, quæ appoſitiſſima ſunt: *Patris commemora-*

§. 5.

Atque in hac jam domo Patris ſui Servator πολλας μονας eſſe ait. Vocabulum μονη, *manſio* *) in novi Fœderis pandectis

απαξ

tio plus habet ſuavitatis & dulcis conſolationis, quam Dei. Significari videtur praeterea & hoc, quod Filius Patris coeleſtis, eſt vere Filiusfamilias & unigenitus, Dominus univerſorum, maxime vero domus paternae, in quam introducere poteſt, quos vult. Nunc quidem ſumus peccatores, exules & peregrini, & quantum attinet ad naturam noſtram corruptiſſimam alieni prorſus a familia Dei. Filius vero Dei tradidit ſeſe pro nobis in mortem, atque ita a peccatis repurgatos, conſortes haeredesque fecit vitae ſempiternae: ut jam in domum Patris inducere & ibi collocare poſſit omnes credentes in ipſum. Sunt enim hi omnes Filii Dei &c. Ita loquitur p. 32. 33, peculiaris *Tractationis verborum Domini, in domo Patris mei manſiones multae ſunt ex XIIII. cap. Evang. ſecundum Joan. &c. Tiguri 1561. 8.* Prolixus in ea eſt in confutanda de *ubiquitate corporis Chriſti* ſententia. Jucundum autem omnino, ex collatione hujus Tractationis, quæ certe *Bullingeri* nomen in Eccleſia eximie tuetur, cum S. V. & Doctiſſimi STOSCHII Exercitatione cognoſcere, quam egregia a tempore Reformationis ceperint incrementa Hermeneutices & Litteraturæ Sanctioris ſtudia. N. B.

*) JUSTINUS L. XIII. c. 8. Perſuaſit, ut continuatis *manſionibus* ſecuro fuga ſua Eumeni ſuperveniant.

απαξ λεγόμενον, non a μονος *solus*, sed a μένω, *maneo*, derivandum, atque fere æquipollens τω Σταθμος, propria significatione contradistinguitur potissimum τη μεταβολη vel αναπαυχη seu *mutationi*, qua melior & præstantior erat. Ista nimirum minora erant loca aut ædificia in viis publicis, in quibus veredorum tantum fiebat mutatio: Illa vero amplis erant instructa ædificiis, stabulis, horreis, in quibus iter facientes manere, pernoctare, cibo potuque se recreare, & jumenta pabulari poterant, *) qualia hodieque multis in terris orientalibus, publicis sumtibus sustentantur. Hanc significa-

*) Conf. cel, WESSELING ad ANTON. itiner. p. 6. & ad itiner. Hieros. p. 549. 551. 552. Add. CUPER obs. L. IV. c. 2. p. 22. & BERGIERIUM de publ. & militar. imp. Rom. viis L. IV. sect. 9-10. in thes. Ant. Rom. GRÆVII p. 425. & seqq. HENNINIUM ibid. p. 743. & du CANGE gloss. Gr. h. v. Liceat mihi hic eruditi cujusdam amici meditationem subjicere. In urbe Roma, scribit, multæ erant mansiones Saliorum, in quibus ancilia nocte reponebantur, & Salii sese a labore reficiebant, genio indulgebant, & quietem capiebant. Has mansiones reparaverunt Pontifices &c. Et nos ancilia cœlestia habemus, & nos sacerdotes dicimur, & nos mansiones in cœlesti civitate habemus, & noster Pontifex ea nobis paravit. Et Christus multa more Romanorum egit. Hæc ille.

tionem negare non debuiſſet B. LAMPIUS *) Neque tamen etiam ego inficias eo, quod magnus Theologus urget, tum *quietem* in genere, tum *fixam* quoque *habitationem*, expreſſius διαμονην **) alias dictam, iſta voce denotari. Nec mirum, utramque iſtam notionem obtinere; ſiquidem innumera vocabula genus ſignificantia, ad exprimendas varias ejus ſpecies adhibentur. Sic e. g. μένοντες ἐν τῇ Ῥωμῃ, ***) dicuntur *imperii ſedem & ſtabile domicilium Romæ habentes*. Contra ὁ πωποτε ἐπι πλὼ μένων, ****) *qui nullo in loco diu ſubſiſtit aut ceſſat*. Similiter itaque derivatum μονη *manſionem* tum *firmam & perpetuam*, tum *ad tempus & mutabilem* notat. *****) Jam vero quum ex adjunctis ac nexu orationis, quæ notio

*) in not. ad Comment. in h. l. p. 100.

**) hæc vox etiam *ſepulcrum* notat in lapide in V. NYENBURG & HEYMANN Reiſen Tom. I. p. 81.

***) HERODIAN. IV. 3. 10.

****) ap. eund. III. 14. 6. μενων ανεπαυετο VII. 8. 2. ειδον ἐμεινε πτυχαζων. l. 13. 3. μενων επι πτυχιᾳ. Quæ adnoto ob adjunctam quietem. Conf. *Matth. X. 11. XXVI. 38.* &c.

*****) THUCYD *L. I. 131.* την μονην ποιεμενος *manens. VII. 47.* στρατιωτας ἀχθομενους τῃ μονῃ, *milites* manſione *gravari*. Sic CHARITON *L. I, c. 11,* ἀπελθουσε μονην ποιειν τῃ Καλλιῤῥοῃ. DIOGE-

notio obtineat, eruendum dijudicandumve sit: me veluti inter sacrum & saxum collocatum mihi videri, fateor; ita, quid eligam, anceps hæreo. Quid? ais: an in cœlesti domo quidquam instabile? an aliqua non perennis mansio? an ab una ad alteram mutatio quædam, seu progressus? Sed quidni? Non dicam de beatitudinis gradibus, quos pro eo, ut quisque capax erit, altiores altioresve nos conscensuros esse, qui & animæ naturam & Divini verbi placita attente examinant, inficias ire vix ac ne vix quidem poterunt. His in terris non datur progressus in infinitum, in cœlis dabitur. Hi vero gradus, a quorum uno ad alterum in infinito illo itinere pergendum erit, cur non mansionibus in terrestri itinere, metaphorica phrasi, pulcre eleganterque compararentur? Erigeret sic optimus Servator consternatos discipulorum animos eo argumento, quod, quum post abitum ejus

 mala

GENES ap. PLUTARCH. *Tom. II. p. 602,* ἐγω δε ἐκεινων ἐν Πορτω μονην. LUCIAN. Tom. I. p. 666. ἀχθομενος τε τῃ μονῃ, cui p. 659. erat διατριβῃ. Græcis recentioribus monasteria μονας adpellare sollemne est. Qua de significatione, præter loca a CANGIO adlata, videsis GENNADII CONSTANTINOP. orat. 54. &. 55. apud FABRIC. bibl. Gr. l. V. c. 43. p. 375.

mala multa iis imminerent, atque ex uno loco in alterum eſſent pellendi, *Matth. XXIII.* 34. cogitarent, fore, ut omnia illa fortiter perpeſſi, hanc poſt vitam in ſupera ad ſe ſint recipiendi tabernacula, ibique viciſſim ab uno beatitatis culmine ad alterum indeſinenter ſint perrecturi. Nemo non intelligit, hac ratione πολλας illas μονας omnes & ſingulas ad ſingulos pertinere diſcipulos, quorum non aliis alia quædam & diverſa cuivis ſua, ſed unicuique ſingulæ eſſent exſpectandæ.

Enimvero miſſis his cogitationibus, quas non multos habituras eſſe adprobatores, facile ſentio, quæve mihi ipſi non ſatisfaciunt: dicam potius nulla circuitione uſus, quid veroſimillimum mihi fiat. Adſurgo lubens toti interpretum turbæ ea in ſententia, quod πολλαι μοναι plures diverſæ diverſorum ſint manſiones, ſingulæ pro ſingulis. In alia autem omnia ab iis abeo, ubi jam eædem definiendæ ſunt & commonſtrandæ. Intelligo nimirum *animarum beatarum a corpore ſeparatarum ſtatus diverſos*. Procul, hoc dum adfirmo, mens mea abeſt ab omni ſive purgatorii, ſive limborum, ſive denique ſtatus vel dormitionis, vel inertiæ, vel purificationis, vel denique, ſi quæ ſunt his adfinia, commentorum, conceptu. Procul abeſt, ut veterum Gnoſtico-

rum

rum somnia de mentibus sphæras planetarum omnium gradatim pertranseuntibus & tandem ad cœlum his superius evehendis, velut ex orco revocare gestiam. Nec locum aliquem tertium, quicunque demum ab aliis ille concipiatur, ego mihi fingere aut repræsentare possum. Minime; μοναι quas ego intelligo, sunt in ipsa domo Patris, in cælo supremo gaudii & gloriæ. Sunt illi beatarum mentium status, in quibus inde ab illo momento, quo corporis deposuere exuvias, ad extremi & illustris illius ultimi judicii diem, versantur. Hoc nimirum intervallo discrepat omnino animarum status, ab illo, quo post resuscitationem & cum corporibus conjunctionem introductæ in regnum ipsis paratum, gaudebunt. Non nego, eos statim post corporis obitum & judicium particulare in cœleste domicilium commigrare, cœlestis patriæ cives evadere, cœlestis beatitatis consortes reddi. Certa fide adstipulor promissionibus Evangelii lætissimis, fore, ut statim post excessum ex hac vita tantam consequantur beatitudinem, quantæ quidem capaces sunt, atque summam adeo, quam tum quidem consequi possunt. Tantum nempe qui possidet bonorum, quantum capere potest: ei nihil deest, is summum intra sese terminat bonum. Sed & vicissim

ſim nemo negare cum ratione poterit, animas corpore ſolutas ad ſupremum beatitatis culmen, quod iis conſcendendum erit, nondum perveniſſe; ſiquidem vel hoc ſolum beatitati earum plenæ ac perfectæ adhuc deeſt, quod ſuaviſſimum & duriſſima vi a ſe divulſum comitem, corpus ſuum, ſecum conjunctum non habeant, ad eſſentialem illam homini cum eodem unionem nondum redierint, nec beatitatis ſuæ gloriæque fruitionis, hanc alteram ſui partem, conſortem habeant. *)

§. 6.

Dari talem ſtatum mentis a corpore ſuo ſeparatæ, tum res ipſa docet, tum Divina oracula haud obſcure confirmant. Res primo ipſa docet id adeo dilucide; ut dilucidius non poſſit. Etenim eo intervallo, quo mens corpori conglutinata non eſt, non poteſt non illa ſperare & exſpectare, ardenterque deſiderare ac optare, ſuum ad iſtud reditum, arctiſſimæque ac jucundiſſimæ illius unionis reſtitutionem; hujus ex mortis imperio, ex putredine, ex abjectiſſimo

*) Diſco ex ſupplem. ad nova acta erud. Tom. VII. ſect. 3. p. 101. & 106. etiam MURATORIUM & anonymum Anglum locum noſtrum in hanc ferme ſententiam expoſuiſſe.

simo statu, liberationem & resuscitationem, vitam denique illam beatam ac glorioſam in arctiſſima & ad ipſam hominis eſſentiam pertinente cum eodem conjunctione in æternum tranſigendam. At vero, ubi ſpes & exſpectatio, ubi deſideria & vota neceſſariorum bonorum locum habent: ibi nondum eſt plena perfectaque omnis beatitatis perfruitio. Sed & non pauca Sacræ ſcripturæ loca non minus luculenter id adſtruunt. Referimus huc *Pſ. XVI.* 10. coll. *Act. II.* 27. 31. *Non derelinques animam meam in* שאל, εις αδη, *in ſtatu deſiderii ſive mortuorum*; in quo Chriſti anima non magis ac corpus ejus in ſepulcro manſit. *Pſ. XVII.* 15. *Satiabor, quum expergiſcar, ſimilitudine tua*; nondum ſcilicet ante corporis reſurrectionem penitus exſatiatus, id eſt, plena & omnibus numeris abſoluta beatitate nondum totus perfuſus. *Matth. XXV.* 46; ubi demum poſt corporis reſurrectionem & univerſale judicium impii in ſupplicium æternum, juſti vero in vitam æternam, hoc eſt, illi in ſummos illos infinitosque cruciatus, hi in ſummam illam perfectiſſimamque beatitatem, abituri eſſe dicuntur; ita, ut non poſſint non concipi hactenus in alio & diverſo, nondum in hoc ipſo ſtatu, fuiſſe. Præterea huc pertinent *Luc. XVI.* 23. *XXIII.* 43. *Jo. XX.* 17. *Apoc.*

Apoc. VI. 9. 10. 11. *XIV.* 13. Docte & ſolide hanc doctrinam poſt alios expoſuit, ejusque cum libris eccleſiæ noſtræ ſymbolicis convenientiam probe oſtendit LEONARDUS BEELS, eccleſiæ Amſtelodamenſis haud ita pridem paſtor doctiſſimus, in libro: *'s Menſchen uiterſten overdacht en aangedrongen. Amſt.* 1748. & quidem in concione tertia in *Eccleſ. XII.* 7.

§. 7.

Atque hunc animæ corporis exuviis exutæ ſtatum vix elegantiore prægnantioreve vocabulo exprimere poterat Servator ac illo μονης. Eſt proprie μονη, ut vidimus, diverſorium commune, in quo pernoctant iter facientes, laſſum corpus dulci quiete reficiunt, eaque habent, quæ ſive ad ſuſtentationem, ſive ad recreationem, neceſſaria ſibi ducunt. Sic in cœleſtes has μονας divertunt omnes, quotquot per hunc inchoatæ beatitatis cœleſtis ſtatum certiſſima via ad aggregatam illam poſt corporis reſurrectionem omnium bonorum poſſeſſionem tendunt. Quum iter ad plenam Dei fruitionem in ſupremo demum judicio confici totum queat, his in beatis ſedibus, hoc in felici ſtatu noctem veluti mortis tuti lætique tranſigunt, in ſuaviſſima umbra requieſcunt a laboribus ſuis & tanquam in Patris

tris fidelium ſinu refocillantur; gaudent denique, frequentes veluti thronum Dei dextra lævaque circumſtantes, iis omnibus bonis, quibus interea beatitas illa, qua fruuntur, & ſuaviſſime conſervatur, & ad lætiora lætiorave incrementa perducitur. Per mortem veluti ſiſtitur ærumnoſum laboribusque plenum vitæ terreſtris iter, in his μοναις beatiſſima eſt animarum curis ſolutarum recreatio, donec corpori iterum ſociatæ ad perfectiſſimam beatitudinem in inacceſſa illa luce agiles alacreſve evolent. *)

§. 8.

Cur vero jam optimus Salvator πολλας μονας, multitudinem ejusmodi manſionum commemoret, perfacile intelligitur. Non exiguus nempe eſt ſalvandorum, ſed ingens omnino cœleſtis familiæ, numerus, *Apoc. VII.*

*) Conjicio, ſenſu iſto, quem vocabulo μονης tribuo, eam adhibuiſſe THEODORUM STUDITAM in ſerm. catech. 136. ap. FABRICIUM bibl. Gr. vol. XII. p. 293, ubi ſic inſcribitur: περι της αοκνως βαινειν εις την πνευματικην πορειαν ημων. μισειν τε τα ηδεα της τηδε βιω, και περι της μακαριας μονης ημων. h. e. De itinere ſpirituali impigre ineundo, vitæque hujus averſandis deliciis, deque manſionis noſtræ beatitudine.

VII. 4. *XIV.* 1. Hi porro, quis dubitet? licet unam conſtituant ſocietatem univerſalem; in plures tamen ſimul, quin longe plurimas ſocietates particulares diſtributi vivunt. Id quod tum ex *Ebr. XII.* 22. 23. tum ex variis Apocalypſeos Johanneæ locis clare ſatis edocemur & egregie demonſtravit Theologus eccleſiæ noſtræ celeberrimus, maxime reverendus NIC. NONNEN in *diſp. theol. de Hieroſolyma cœleſti, ſive ſponſa agni, particulari beatorum in cœlis ſocietate. Bremæ* 1750, §. *XVIII.* Multæ itaque illæ manſiones nihil aliud ſunt, quam harum ipſarum complurium diverſarumque ſocietatum diverſi ſtatus complures; beati omnes, ſed tamen ſive gradibus ſive occupationibus, ſive aliis modis, alii aliive. *)

§. 9.

Eo majori autem jure iſtam, quam hactenus adſtruximus, vocis μονη ſignificationem noſtro loco adcommodamus: quo magis cum perpetuo ferme Sacræ ſcripturæ lo-

*) Inter ſententias ex AUGUSTINO decerptas Tom. III. opp. edit. FROBEN. reperio col. 1073. Num. CCCLX. *Multae permanſiones in una vita varias meritorum ſignificant dignitates.* Quod quo tendat, nunc non diſquiro.

loquendi modo convenit. Quid frequentius in illa obtinet, quam vitæ humanæ cum itinere comparatio? Quoties illius cursus verbis πορεύεσθαι & περιπατεῖν exprimitur? Vide e. g. ex N. T. *Luc. I.* 6. 1 *Pet. IV.* 3. 2 *Pet. II.* 10. *III.* 3. *Jud.* 16. 18. *Rom. VI.* 4, *VIII.* 1. 4. 2 *Cor. V.* 7. *Gal. V.* 16. *Eph. II.* 2. 10. 1 *Joh. I.* 6. 7. *&c.* Quoties non minus discessus ex hac vita (ἔξοδος 2 *Pet. I.* 15.) priore verbo, eique Synonymo ὑπάγω, denotatur? *Luc, XXII.* 22. 23. *Matth. XXVI.* 24. *Act. I.* 10. 11. 25. 1 *Pet. III.* 22. *Jud.* 11.*) Quoties hinc tanquam peregrinantes hac in terra consideramur? *Gen. XLVII.* 9. *Ps. XXXIX.* 13. *CXIX.* 19. *Hebr. XI.* 13. 1 *Pet.* I. 17. II. 11. Quoties iterum vita nostra, sub *viæ*, quam emetiri debemus, imagine sistitur? *Ps. XXV.* 4. *CXIX.* 9. 105. *Matth. VII.* 13. 14. *XXII.* 16. *Act.* II. 28. *Rom.* III. 16. 17. *Hebr. X.* 20. 2 *Pet.* II. 15. 21.**) Quo-

*) Conf. GATHAKERUM de stilo N. T. p. 47. J. F. GRONOVII lect. Plaut. p. 290. cel. WESSELINGIUM in symb. liter. Brem. Tom. III. p. 329. WOLF. & HEUMANNUM ad Matth. & ad Lucæ l. c. nec non symbolas nostras ad Judæ ep. p. 12.

**) Frequenter hæc allegoria in profanis quoque scriptoribus obvia est. Elegans e. g. oratio LUCIANI in contemplant. p. 354. edit. GRÆVII.

Quoties denique cœlum exhibetur ſub emblemate patriæ noſtræ, ad quam tendendum eſt, firmæque & ſtabilis ſedis, in qua, itinere penitus confecto, in ſempiternum perennabimus? *Philipp.* III. 20. *Hebr.* XI. 10. 14. 16. XII. 22. *Apoc.* XXI. 10. 27. Quid itaque hiſce omnibus analogum magis fingi aut excogitari poteſt? quam ſtatus illius animæ ſeparatæ cum *manſione* in itinere ad perfectam beatitatem comparatio? Accedit, quod in primis notabile eſt, Servatorem in hac ipſa ſua oratione, de diſceſſu ſuo eadem metaphora ſemper uti. Noſtro ipſo in loco, inquit, ΠΟΡΕΥΟΜΑΙ ἑτοιμάσαι ὑμῖν τόπον. Et ſic *v.* 3. 12. 28. c. XVI. 7. 28. Nec denique diſcrepant ſtatus ſeparatarum animarum deſcriptiones aliæ, *Matth.* XXVII. 52. *Joh.* XI. 11. *Act.* XIII. 36. 1 *Cor.* XV. 8. 1 *Theſſ.* IV. 13. *Apoc.* VI. 11. XIV. 13. quibus tanquam ſtatus ſomni, quietis & refocillationis proponitur, qualis eſt divertentium in manſionibus. Atque fortaſſis huc etiam pertinent οἱ κόλποι τοῦ Ἀβραάμ *Luc.* XVI. 22. 23. ſi tum ad morem accumbendi apud veteres, tum ad Abrahami hoſpitalitatem, qua *amicus dei* adpellari meruit, *Jac.* II. 23. *) reſpici putemus. Siſti-

*) Vid. perelegantem S. E. WITHOFII diſſ. de Abrahamo, amico Dei, Duisburgi 1743. ſub præſidio cl. ABRAHAM habitam cap. II. §. 9.

Siſtitur nempe ſic menti noſtræ Abrahamus, blando comique, ut in terris advenas ſolebat, ſic animas corpore modo exutas & in cœlum advenientes, velut hoſpitio excipiens, ciboque & potu cœleſti recreans, quemadmodum hoſpitum in itineris manſionibus officium eſt. Conf. *Matth.* VIII. 12. *Luc.* XIII. 28. 29.

§. 10.

Enodata ſatis vocabuli μονη ſignificatione proximum eſt, ut τοπον conſideremus, ad quem diſcipulis ſuis parandum Servator ſe abire ait. Τόπον, *locum*, recte jam dudum definiverunt ſpatium quodvis, quo aliquid continetur aut contineri poteſt. Atque hic proprius eſt ſignificatus: quum cæterum metonymice pro eo, quod illo ſpatio continetur, ut pro regionibus, agris, urbibus, domibus, &c. poni, ex Lexicis notum ſit. *) Propriam ſignificationem hic præfero, tum, quia nihil adeſt, quod impropriam ſuadeat, tum quia & a *domo* Patris cœleſtis, & a *manſionibus* in illa, *locus* diſerte diſtinguitur. Similia duo exempla ſuffecerint. In ſandapila apud SMITHUM *notit. VII. eccl. Aſiæ p.* 18. legitur. Φαβιος

*) Adde, ſi lubet, cl. ABRESCH animadv. ad ÆSCHYL. p. 232.

Σωζιμος κατασκευασας σορον εθετο επι τοπῳ καθαρῳ. Vides hic σορον, *ſepulcrum* a τόπῳ, loco, quo continebatur, probe diſtinctum. Convenit inſcriptio alius marmoris *p.* 59. αγορασασα τόπον ϕειλον κατασκευασε το μνημειον, ubi pari modo *locus* a *monumento*, quod ille continet, diſcernitur. Conf. cum his *Matth. XXVIII.* 1. 6. *Marc. XVI.* 5. 6. Erravit omnino vir doctus in *Briefwechſel der Gelehrten* 1750. *p.* 258. hanc diſtinctionem non animadvertens. *) *Locus* itaque ſingulis parandus non alius eſt ac illud ſpatium; in quo ſinguli in ſuis eſſent habitaturi μοναις. Jam vero, quum localis omnis idea hic excludenda ſit: intelligimus merito per τοπον uniuscujusque ſtatum in ſocietatibus illis particularibus, quibus unusquisque adſcribendus foret.

§. II.

Neque nunc porro in obſcuro eſſe poteſt, quid ſit τὸ ἑτοιμαζειν τοπον, quod Dominus diſcipulis ſuis promittit, Adpoſite HEUMANNUS (cui præivit BEZA) *p.* 166. ſcribit: *Er beliebet aus zärtlicher Liebe zu ihnen*

*) Sequutus fortaſſis eſt FRIEDLIBIUM theol. exeg. Tom. II. p. 193. aut alios ſuperioris ætatis interpretes, quorum plurimi μονη & τοπος confundunt.

ihnen wie ein Quartiermeiſter zu reden, der voran reiſet, und die Herbergen auf das beſte zubereitet. Eadem phraſis occurrit *Apoc. XII.* 6. οπω εχει τοπον ητοιμασμένον απο (pro υπὸ) τ θεȣ. Plane autem ſynonyma noſtro ſunt loca *Matth. XXV.* 34. την ητοιμασμένην υμιν βασιλειαν, & *Hebr.* XI. 16. ητοιμασε γαρ αυτοις πολιν. Jam quemadmodum e. g. *Matth. XXVI.* 17. 19. ἑτοιμαζειν το πασχα, eſt, *facere, ut omnia parata ſint ad paſcha rite celebrandum*: ſic itidem ἑτοιμαζειν τόπον, βασιλειαν, πολιν, nihil aliud eſt, quàm, *efficere, ut locum, regnum, urbem, ſine mora occupare poſſimus, ut omnia ad receptionem noſtram ibidem promta atque parata ſint.* Hoc nempe etiam diſcipulis ſuis præſtiturus erat Chriſtus, ut ſtatim poſt obitum beatas illas cœlicolarum ſocietates intrare, omnisque in illis felicitatis conſortes evadere poſſint. At, inquis, qui intelligendus eſt Chriſtus nunc demum in diſceſſu ſuo ex his terris id præſtiturus eſſe, quod jam ante jacta mundi fundamenta perfectum fuit. *Matth. XXV.* 34. *Eph.* I. 4. 5. 6. Reſpondeo: Chriſtus nunc demum tanquam conſummatus mediator in cœlum rediturus erat, νυν ἐμφανισθηναι τῳ προσωπῳ τ θεȣ υπερ ημων *Hebr.* IX. 24. compariturus nempe coram Patre ſuo tanquam αρχηγος και σωτηρ *Act. V.* 31. poſtulaturus adeoque vi meriti ſui jam jam

perfecti, ut decretum omne divinum de ſalute ſuorum exſequutioni mandetur, prouti poſtulare jam cœperat, dum in terris adhuc verſaretur *Joh. XVII.* 24.; perpetuis porro precibus ad dextram Dei interceſſurus pro ſuis *Rom. VIII.* 34.; ſicque efficaciſſimo ſuo patrocinio totum ſalutis negotium firmiſſime ſtabiliturus, & immotum inconcuſſumque conſervaturus. *Joh. X.* 28. 29. 30. *)

§. 12.

His ita expoſitis, accedendum nunc ad crucem illam interpretum, ad verba: εἰ δὲ μὴ, εἰπον ἂν ὑμιν, horumque ſenſus & cum tota oratione nexus diligentius inveſtigandus eſt. Oſtendi jam alibi facillimam ea interpretandi viam, **) nec, quamvis illa viro cuidam docto minus placuerit, ***) ejusdem commonſtratæ hactenus pœnitere me potuit. Puto nimirum aut certo potius ſtatuo, verba: εἰπον ἂν ὑμῖν, interrogative

*) Cæterum homiletice hanc phraſin fuſius expoſuit ABR. HELLENBROEK bybelſche Keurſtoffen Tom. I. p. 189. & ſeqq.

**) Geſamleter Briefwechſel der Gelehrten 1750 9. Stück.

***) ibid 17 St.

tive esse capienda, ut sensus exsurgat: *sin vero minus, num dixissem*, sive (quod nunc malo) *num dicerem vobis*? *) Est hæc interrogatio non grammatica, sed rhetorica; qua adeoque, ut norunt qui nondum ære lavantur, fortius negatur id ipsum, quod interrogative enuntiatur. Hoc est: *non certe dicerem vobis, me abire, ut locum vobis parem; si hoc non ita se haberet, si in domo Patris mei multæ mansiones non essent.* Hanc orationis seriem ad unum omnibus, qui oculos habent, planam & perspicuam fore, non dubito.

§. 13.

Quod enim primo interrogationem in textu positam velim, quam hactenus sive codicum editores, sive interpretes, nondum agnoverunt, id neminem facile offendet, qui non ignoraverit, quantum inopinæ lucis & quam multis aliis locis, hujus subsidii hermeneutici ope viri docti quamplurimi adfuderint. Provoco nunc tantum ad ea,

*) Celeb. WOLLIUS l. c. post εἰ δὲ μὴ ellipsin mavult verbi πίστευσητε. Sed sensu certe perobscuro. Dubito quoque, fore, ut exegetis se probet vener. BRUCKERI explicatio h. l. in Tomo XIII. *Der h. S. des A. u. N. T. nebst einer vollständigen Erklärung* prolata.

quæ cel. HEUMANNUS adtulit ad *Marc. VII. 9.* & *Jo. V. 35.* de cujus etiam conſenſu in interpretando per interrogationem loco 2 *Cor. XI. 4.* *) eo magis mihi gratulor, quo ſæpius nos alias ab invicem diſſentire animadverto. Sed & præterea non deficiunt in N. T. argumentationes plane ſimiles, in quibus protaſin conditionalem apodoſis ſubſequitur interrogativa, rem ipſam eo fortius adſerens. Conferri velim e. g. 1 *Cor. VI. 2.* καὶ εἰ ἐν ὑμῖν κρίνεται ὁ κόσμος, ἀναξιοί ἐσε κριτηρίων ἐλαχίσων; SI *per vos mundus judicatur*: NUM *indigni eſtis minoribus judiciis?* hoc eſt, *minime indigni eſtis.* 1 *Cor. IX.* 11. 12. *XV.* 29. 30. 32. *Matth. VI.* 30. *XII.* 26. 27. *Luc. XI.* 18. 19. *&c.* **)

§. 14.

Equidem Vir doctus, qui jam olim hanc meam interpretationem improbare debere ſibi viſus eſt, contradictionis, graviſſimi omnino vitii, eam inſimulat. ***) *Denn*, ſcri-

*) Conf. Geſaml. Briefwechſel. l. c. pag. 132. 133.

**) Ejusdem interrogationis ope video etiam Summe reverendum PRATJENIUM locum noſtrum explicare in obſerv. Sacr. decuria 1. Stadæ 1759.

***) l. c. p. 258.

ſcribit, *ſind die Wohnungen da, ſo dürfen ſie ja nicht erſt bereitet werden, ſollen ſie aber allererſt bereitet werden, ſo ſind ſie nicht da geweſen.* Sed profecto! non vidit א) hanc difficultatem, non contra meam interpretationem, ſed contra ipſius Servatoris orationem moveri; qui omnino nunc demum ſe præparaturum eſſe locum pollicetur, qui tamen antea jam aderat. Sed & ב) libera a contradictione omnia ſunt, dummodo apud animum revocentur, quæ §. XI. de ſignificatione verbi ἑτοιμαζειν, & promiſſæ hujus *præparationis* modo monita fuerunt. Et, ג) quod non ex ultimis eſt, *locum*, quem paraturus erat, cum *manſionibus* confundit vir doctus, probe tamen ab his diſcernendum. vid. §. X. Majoris ponderis videri poſſet, quod idem ſtatim ſubjicit: *nunquam antea Chriſtum dixiſſe*: πορευομαι ἑτοιμασαι υμῖν τοπον. Conſequeretur enim hinc, Chriſtum ad tale ſuum dictum nunc etiam provocare non poſſe. Verum reſpondeo) Non omnia & ſingula verba Chriſti quovis tempore & loco prolata, Evangeliſtæ literis conſignaverunt. Potuit itaque tamen aliis vicibus eadem protuliſſe, & adeoque nunc diſcipulis in memoriam revocare. ב) Licet ipſiſſima hæc verba antea nunquam a Servatore dicta legamus: res tamen ipſa, ſe nempe effectu-

rum, ut secum cœlesti beatitate perfruantur, perpetuum ferme doctrinæ Servatoris argumentum est. vid. e. g. *Matth. XVI.* 25. 28. *XXV.* 10. 34. *Jo.* III. 14. 15. 16. *V.* 24. VI. 39. 40. 47. 54. VII. 33. VIII. 12. 51. XI. 25. 26. XII. 25. 26. 32. 3) Vertamus nunc verba: ειπον αν; *num dicerem?* h. e. *nunc, hoc ipso momento, profecto non dicerem vobis, me abire.* Sic illa plane evanescet difficultas.

§. 15.

Restat autem alia, quæ quidem nostram interpretationem non magis premit ac alias omnes, sed tamen non minus pro viribus removenda est: Movet eam & urget summe venerandus HEUMANNUS, *) indignum Domino sermonem esse ratus, in quo supponatur, quod aliquid dicere potuerit veritati contrarium, indignam discipulis rem, id exsistimare, aut aliquam de ejus fide ac veracitate dubitationem concipere. Non sine specie hoc dicitur, nec tamen eo me permovet, quo adductus fuit HEUMANNUS, ut vel propterea integra illa verba: ει δε μη, ειπον αν υμιν, e textu extrusa cuperet. Etenim N) cur non hic ad-

*) p. 163.

admitteremus axioma illud tum philoſophorum, tum rhetorum? *conditio nil ponit in re.* Deinde ב) quis eſt, qui non ex facili animadvertat? etiam alterum illud axioma locum hic cum maxime ſibi vindicare: *conditio impoſſibilis habet vim negandi.* Atque ſic certe hæc Servatoris oratio comparata eſt. Quin ג) interrogatio, quæ conditionem ſequitur, eo fortiorem negandi; negativa autem in adfirmativam converſa, adfirmandi etiam, vim habet. Tantum abeſt, ut Servator ſupponat, poſſe ſe inanes falſasque voces proferre, aut, quod tales proferat, diſcipulis in mentem venire poſſe: ut potius fortiſſime neget, Se, ea quæ ſequuntur, unquam, & nunc etiam, dicturum fuiſſe, atque adeo ſimul, infallibiliter vera certaque ſe dicere, confirmet. Quam certo (ſenſus eſt) fieri nequit, ut ego vos fallam: tam certo ſtatuite, in domo Patris mei plures eſſe manſiones, meque abiturum, ut veſtrum vobis locum parem. Denique vero ד) num adſeret HEUMANNUS diſcipulos de veritate dictorum promiſſorumve Servatoris nunquam aliquod concepiſſe dubium? Nonne contrarium manifeſtum eſt? e. g. ex *Matth. XVI.* 22. 23. *Luc.* IX. 45. *XXIV.* 22. 25. *Joh. XX.* 25. Et nonne tandem ה) plane ſimilis eſt

e. g.

e. g. oratio Servatoris *Joh. XVIII.* 23. *Matth. XII.* 27. & alibi. Vbi quemadmodum conditio nihil Servatore indignum ſupponit: ſic non magis aliquid in noſtro hoc ejus ſermone. Cæterum alia, eaque non contemnenda, contra hoc HEUMANNI argumentum, quoque jam attulit laudatus CLEMMIUS *l. c. p.* 44.

§. 16.

Quibus omnibus expoſitis, ſecuri nunc integra Servatoris verba reddimus: *In domo patris mei manſiones multæ ſunt. Si minus: num dicerem vobis? abeo, ut parem vobis locum.* Sic ſponte omnia fluunt, continuave & plana eſt orationis ſeries & nexus aptiſſimus: contradictio, a qua alias vix ac ne vix quidem illa liberari poſſet, facillime tollitur; vis denique illi ſua, rem promiſſam certiſſime adſerendi & fortiter confirmandi reſtituitur. Erat certe tanti momenti promiſſio digna, quæ verborum & figuræ ſumma emphaſi, argumentoque irrefragabili proponeretur. Servator, qui veritas ipſa erat, ὁ ἀμὴν, ὁ πιστὸς μάρτυς non polliciturus fuiſſet diſcipulis, cujus certa non eſſet exſpectatio. Ergo, dum pollicetur, eſt omnino certiſſima. Manebat eorum unumquemque ſtatim poſt obitum ſuus in

cœ-

cœlo ſtatus beatiſſimus, εν τῃ οικίᾳ τȣ πατρος μοναι πολλαι εισιν. Qua de re dubitare nulla ratione poterant. Ipſe enim Soſpitator mentiri neſcius promittit ει δε μη, ειπον αν υμῖν; promittit, inquam, ſe ipſum illuc præiturum, utque illius conſortes ſtatim evadant, effecturum. πορευομαι ετοιμασαι υμιν τοπον. *)

§. 17.

*) Ita BULLINGERUS *l. c. p. 35. 36. Caeterum ne quis vel tantillum dubitaret de veritate verborum Domini de manſionibus beatis per vehementiſſimam confirmationem vel aſſeverationem ſubjicit Dominus. Quod ſi ſecus eſſet, dixiſſem vobis, Docuit enim Dominus diſcipulos ſuos & nos, omnia ea quae maxime intereſt nos ſcire, docuit, inquam, omnia utilia, vera & neceſſaria. Ergo nunc. Niſi hoc, ait, quod dixi de manſionibus in domo Patris mei, prorſus verum eſſet, nec tanta fide aſſererem, nec diverſum diſſimularem aut ſubticerem. Pro compertiſſimo ergo habetote, manſiones in coelo a Deo paratas eſſe. Contemnamus ergo ſecure, quaecunque hic mundus immundus, mundani item homines & Epicurei deblaterant contra doctrinam certam Spei noſtrae de vita vel beatitudine aeterna. De diſtinctione & varia lectione hujus loci nihil hic afferam, cum videam alios hac in re ſudare abunde ſatis. &c.* Ita autem in explicatione hujus loci ſudaſſe, adeoque feliciter verba Servatoris vindicaſſe S. V. STOSCHIUM, ut porro alterius ſudore plane non opus ſit, quotusquisque Lectorum facile fatebitur. N. B.

§. 17.

Atque hoc jam divini Servatoris promiſſum ita intellectum, & in nexu cum ſequenti commate tertio conſideratum, graviſſimum certe conſolationis argumentum eſt, quo conſternati diſcipulorum animi erigi optime poterant. Eo enim potiſſimum ſpectant omnes illi, qui capite XIV. XV. ac XVI. continentur ſermones, ut diſcipulos ſuos ob diceſſum ſuum ſoletur, animosque eorum confirmet. Huc ſpectat ipſum exordium & ad diſcipulos adlocutio *v.* 1. μη ταρασσεσθω υμων η καρδια. Timorem vero jam angoremque pulſurus, quid primo ſtatim loco gravius? quid ſolatii plenius dicere poterat? quam hunc ſuum diſceſſum eo fine fieri, ut in cœleſtem Patris domum iis præeat, certiſſime ſe illuc ſequuturis. Quod ſi, ad ſuum exèmplum, tutum nullum in patria & gente ſua habituri eſſent locum, in cœleſti patria ac familia ſe eum illis eſſe paraturum. Quod ſi excommunicentur a ſynagogis, *cap.* XVI. 2. in triumphantem recipiendos eſſe eccleſiam; quod ſi vita privarentur, adeſſe aliam ſtatim poſt mortem unicuique in cœlis manſionem, ubi omnia ad eorum receptionem parata ſint futura; quin, quod *v.* 8. addit, ſe ipſum venturum, eosque in æternum ſibi conjuncturum.

V.

V.

ELIAE PALAIRET, AUCTORES SACRI CLASSICI.

MARCUS.

Cap. I. *v.* 1. Ἀρχη του ευαγγελιϰ Ιησου Χριϛϰ.) Hæc verba procul dubio pleonastice extant, pro Το ευαγγέλιον Ἰησϰ Χριϛου. Ita quoque videtur vox Ἀρχη redundare in aliis locis, ut *Hebr.* c. 3. *v.* 14. Ἐαν περ την αρχην της υποϛασεως - - - βεβαίαν καταϰχωμεν: pro Ἐαν περ την υποϛασιν - - βεβαιαν καταϰχωμεν. *Si ſpem - - firmam retineamus.* Ibid. c. 5. v. 12. Τινα τα ϛοιχεια της αρχης των λογιων του Θεου: pro Τινα τα ϛοιχεια των λογίων Θεου: *Quæ ſint elementa Oraculorum Dei.* Ita quoque apud Exoticos. *Coluthus* v. 10.

- - Ὠϰυπετης δέ τις επλετο νειϰεος αρχη:

pro Ὠϰυπετες νειϰοϛ. *Unde tam ſubito exorta fuerit contentio.* Item *Aeſchyl.* Sept. contra Theb. v. 694.

Κα-

- - Κακου δ' εκβαλε ερωτος αρχαν:

pro Κακον ερωτα. *Rejice pravum amorem.*

Vſ. 5. Και εξεπορευετο προς αυτον πασα η Ινδικη χωρα.) Sic *Philoſtrat.* vita Apoll. l. 3. c. 9. p. 99. Δρακοντων μεν γαρ δη απειροις μηκεσι κατεζωσαι πασα. η Ινδικη χωρα *Draconum nempe in immenſum porrectis corporibus tota ſuccingitur Indica regio.* Ceterum per diverſas conti guaſque periodos adhibuit τὸ καὶ Sacer Auctor: ut patebit cuique totum verſiculum inſpicienti. Id quoque fecit *Aelianus* hiſt. animal. l. 15. c. 11. Καὶ χερσαιη γαλη, οτε ην ανθρωπος ηκουσα. Καὶ οτι τουτο εκαλειτο, Καὶ οτι ην γόης καὶ φαρμακὲς, καὶ οτι δεινως ακόλασος ην, και αφροδίτην παρανομον ἐνοσει. Καὶ ταυτα εις ακοην την ἐμην αφίκετο. Καὶ ως εις τουτο τὸ ζωιν τὸ κακον ετρεψεν αυτην Εκατης της θεου μηνις, ουδε αυτο με λέληθεν. *Et muſtelam terreſtrem aliquando mulierem fuiſſe, audivi, & eodem nomine vocatam; & incantatricem & veneficam fuiſſe, & valde intemperantem, & in illegitimam venerem pronam fuiſſe. Et hæc ad aures meas pervenerunt, & in illud animal malum convertiſſe ipſam Hecates Deæ iram, neque illud me latet.*

Vſ. 7. Λυσαι τὸν ιμαντα των υποδηματων αυτου.) Sic Λυειν πεδιλον extat apud *Bionem* Idyl. 1. v. 83. Χαμὲν ἐλυσε πεδιλον Αδωνιδος. *Alius ſolvit calceamentum Adonidis.* Vox autem

autem Ὑποδήματα uſurpatur *Homero* odyſ. O. *v.* 368. Ποσιν δ' υποδηματα δησε. *Pedibusque calceos dans.*

Vſ. 9. Ἀπο Ναζαρετ της Γαλιλαιας.) ſc. πολεως. Sic *Tobias* c. 4. *v.* 21. Ἐν Ῥαγοις της Μηδιας. ſc. πολει. *In Pagis Mediæ.* ſc. *urbe.* Adde *Polyæn.* l. 8. p. 638. Ἐν Κολασαις της Φρυγιας. ſc. πολει. *In Colaſis Phrygiæ.* ſc. *urbe.* Plenius *Xenoph. Epheſ.* l. 3. p. 53. Ἄγουσιν οδον ερημον εις Πηλουσιον της Αιγυπτου πολιν. *Ducunt eos per viam deſertam Peluſium Aegypti urbem.*

Vſ. 10. Καταβαῖνον ἐπ' αυτον.) *Achill. Tatius* l. 2. p. 145. Ὄρνις ἐπ' αυτον καπεβη. *Avis ſuper ipſum deſcendit.* Et *Dionyſ. Halicarn.* l. 8. p. 553. Καπεβαινον ἐπι τους αγρους αυτων. *Deſcenderunt in agros ipſorum.*

Vſ. 15. Πεπληρωται ὁ καιρος.) *Heliodor.* l. 1. p. 42. Του χρονου πληρουμενου, θεωριαν εις Δηλον ηγομεν. *Cum tempus impleretur, profecti ſumus in Delum cum ſacro apparatu.*

Vſ. 16. Περιπατων δε παρα την θαλασσαν -- βαλλοντας αμφιβληστρον ἐν τη θαλασσῃ.) Prior formula occurrit apud *Diogen. Laert.* l. 1. p. 125. edit. Lonçolii, ubi narratur, *Pherecydem* παρα τον αιγιαλον της Ψαμμου περιπατουντα, και ναυν ουριοδρομουσαν ἰδοντα, ειπειν, ως μετ ου πολυ καταδυσεται. *Secus littus Pſammî deambulantem, & navem plenis velis currentem cum vidiſſet, prædixiſſe poſt paulum mer-*

gendam. Deinde notandum ἐν τῇ θαλάσσῃ, poni pro εἰς τὴν θάλασσαν. Sic *Homer.* Il. μ. v. 23. Καπτισον ἐν κονιησι: pro εἰς κονίας. *Deciderant in pulveribus*: pro *in pulveres.* Item *Hesiod.* θεογ. v. 189. Καββαλ' -- ἐνι πόντῳ: pro εἰς πόντον. *Projecit - - in ponto:* pro *in pontum.* Id quoque imitantur Latini. *Aurel. Victor* de Vir. Ill. c. 58. p. 228. *In Hispania* (pro *Hispaniam*) *legatus.* Sic *Deducere in Ida monte*, pro *Idam montem*, dixit *Hyginus* fab. 92. ubi *Munckerum* confer.

Vs. 19. Ὀλιγον.) *Homer.* Il. ψ. v. 424. Ὀλίγον δε παρακλίνας. *Parumque avertens.* Et *Aelian.* hist. animal. l. 10. c. 10. Εἰς ὑλην ολίγον ἀφεςωσαν. *In sylvam parum distantem.*

Vs. 26. Σπαραξαν αὐτον.) *Cinnamus* hist. l. 4. p. 156. Ὁ μεν ἐκειτο σπαραττων ὑπο ὀδυνης ὀκωτον. *Ille autem jacebat dilacerans præ dolore semet.*

Vs 32. Ὀψίας δέ γενομένης, ὁτε ἐδυ ὁ ἡλιος, ἐφερον - - τους δαιμονιζομένους.) Primo Ὀψίας, pro Δειλης ὀψίας. Plene *Alciphron.* l. 1. epist. 17. p. 66. Μόγῳ πως δειλης ὀψίας τυμεγέθη καμηλον ἐξειλκυσαμεν. *Nisi magno circa vespertinum crepusculum ingentem camelum extraximus.* Propius adhuc *Aelian.* hist. animal. l. 1. c. 14. Δειλης δὲ ὀψίας γενομένης. *Crepusculo vespertino suborto.* Insuper

per alia ellipſis obſervanda eſt in Ἔδυ ὁ ἥλιος ſc. ἐπι κλισιν. *Libanius* epiſt. 370. p. 182. Ἴσως δη καὶ αυτῳ σοι ταυτο γιγνεται δυντος ἡλιου. ſc. ἐπι κλίσιν. *Fortaſſe & idem tibi accidet, vergente Sole.* ſc. *ad occaſum.* Integrum habet *Dionyſ. Periegetes v.* 1095. Δυνοντος ἐπι κλίσιν ἡελίοιο. *Vergente ad occaſum Sole.* Verbum autem Δαιμονίζεσθαι uſurpavit *Thraſyllus* apud *Stobæum* ſerm. 242. p. 713. qui de quodam Niliaco lapide loquens, ait: Ποιει ἀριστα προς τους δαιμονιζομένους. *Conduxit optime dæmone vexatis.*

Vſ. 35. Καὶ πρωι ἐννυχον λίαν ἀναστας, ἐξηλθε.) Vox Ἔννυχον ſemel tantum in N T. proſtat, pro qua alii *Codd.* Ἔννυχα legunt. Si qua mutatione opus foret, legerem Ἔννυχος, quod tum adverbialiter pro Ἐννυχως uſurpatur. Ita occurrit apud *Euripid.* Hecuba *v.* 68.

Τί ποτ' αἰρομαι ἐννυχος ουτως ἐν
Δειμασι;
Quid tandem excitor nocturnus adeo in Terroribus?

h. e. *noctu:* ubi *Schol.* ἐννυχος) δέον ἐννυχως εἰπειν.

Vſ. 38. Κωμοπολεις.) *Cinnamus* hiſt. l. 3. p. 126. Περιηει τας τηδε κωμοπολεις ἀναριθμητους. *Circumibat ibi vicos magnarum inſtar urbium populoſos.*

Vſ. 45. Παντοχόθεν.) Vox ſemel lecta in N. T. pro quo alii *Codd.* vitioſe Παντθεν legunt. *Ariſtides* t. 1. p. 185. Παντοχόθεν παντας ανθρωπους επιστρέφοντες προς την πολιν. *Undecunque homines omnes convertentes ad urbem.* Et *Diodor. Sicul.* l. 13. p. 548. Στρατιωτας παντοχόθεν -- καπεγραφον. *Milites undecunque -- conſcribebant.*

Cap. II. *v.* 2. Ὥστε μηκέτι χωρειν.) h. e. *Continere.* Eodem ſenſu verbum hoc uſurpatur a *Platone* in Anthолog. Gr. l. 4. c. 18. epigr. 18. p. 491. ubi de lavacro ait: Ουδέ -- πλειας χωρησαι -- δυναται. *Neque -- plures continere -- poteſt.* Item *Damocharis* ibid. epigr. 40. p. 494. de lavacro: Χωρησαι τεσσαρας ου δυναται. *Quatuor continere non poteſt.*

Vſ. 4. Μη δυναμενοι προσεγγισαι αυτω.) Pro προσεγγίσαι alii *Codd.* legunt προσενεγκαι. Optima eſt lectio, & ſemel tantum uſurpatur hoc verbum in N. T. *Joſuæ* c. 3. *v.* 4. Μη προσεγγίσητε αυτη. *Maximus Planudes* in vita Aeſopi p. 18. Αλλα μη προσεγγίσης μοι. *Sed ne appropinques mihi* Et *Diodor. Sicul* l. 13. p. 628. Επλευσαν -- μηκέτι προσεγγιζειν τω στρατοπεδω. *Jubent -- non appropinquare exercitui.*

Vſ. 7. Ει μη εις ο θεος.) Pro εις μόνος. Sic elliptice occurrit apud alios. *Xenoph. Epheſ.* l. 1. p. 2. Ὡς ουκ ειδότων, ὁτι Εις καλος αυτος.

πος. *Ut qui ignorarent, quod unus* (ſc. *Solus*) *pulcher ipſe eſſet.* Plenius *Ariſtoph.* Plut. act. 4. Sc. 3. Εις ων μονος. *Unus Solus cum ſit.* Et Incert. Auctor in *Anthol. Gr.* l. 5. epigr. 122. p. 542.

- - Εις μουνος αριζυσας παρα δημους.
- - *Unus Solus victor apud populos.*

Vſ. 19. Μη δυναντα - - ἐν ῳ ο νυμφιος μετ αυτων ἐσι, νηϛευειν: οσον χρονον μεθ' ἑαυτων εχουσι τον νυμφιον, ου δυναντα νηϛευειν.) Jam oſtendimus verbum Δυναϑαι heic loci redundare, & verba Μη δυναντα νηϛευειν; Ου δυναντα νηϛευειν, vertenda eſſe, *Num jejunant? Non jejunant.* Sic apud *Dion. Caſſ.* l. 50. p. 426. Δια τουτο ουδε πιϛευσαι τω μυθολογηματι δυναμαι: pro πιϛευω. *Propterea huic fabulæ fidem non habeo.* Et *Homer.* Il. ζ. v. 100.

- - - Ἀλλ' ουδε λίην
Μαινεται, ουδέ τις οι δυναται μενος ἰσοφαριζειν.
- - - *Sed hicce valde.*
Furit, neque quisquam ei poteſt animis par eſſe:

pro ισοφαριζει, *par eſt.* Sic verbum *Poſſe* redundat apud Latinos. *Afranius* apud *Nonium.*

Ni poſſent homines delinimentis capi:

pro *ni caperentur*. Item *Rutilius* Itinerar. l. 1. *v.* 413.

Non indignemur mortalia corpora ſolvi;
Cernimus exemplis oppida poſſe mori:

pro *oppida mori*. Deinde Εν ῳ elliptice ponitur pro Εν ῳ χρονῳ. *Longus* Paſtoral. l. 4. p. 133. Εν ῳ δε εκεινον εφιλει. *Dum illum oſculatur*. Plenius *Dion. ſ. Halicarn.* l. 5. p. 317. Εν ῳ ταυτα επραττετο χρονῳ. *Dum hæc peraguntur*. Item Οσον χρονον, pro Εις οσον χρο ον. *Achill. Tat.* l. 6. p. 395. Οσον χρονον απελειφθη της κορης. *Quamdiu abfuit a puella*. Itidem *Menander* apud *Stobæum* Serm. 78. p. 279. Οσον χρονον ει κυριος. *Quamdiu dominus es*. Integre loquitur *Diodor. Sicul.* l. 4. p. 305. Εις οσον αν χρονον ζη το τερας. *Quamdiu viveret monſtrum*.

Vſ. 26. Επι Αβιαθαρ.) Hic Επι, indicans *Tempus quo*, minime *Hebraiſmum* redolet, ut *Vatablus* voluit. Contrarium patebit ex ſequentibus. *Diodor. Sicul.* l. 1. p. 56. Παραβαλοντων εις τας Θηβας επι Πτολεμαιου του Λαγου. *Profectis Thebas ſub Ptolomæo Lago*. Item *Dionyſ. Halicarn.* l. 1. p. 39. Επι δε της Κασσανδρου βασιλειας καθηρεθη. *Sub Caſſandri imperio deleta fuit*. Adde *Nicarchum* in Anthолog. Gr. l. 2. c. 8. p. 193. Λουσασθαι πεπρευται - - Επ' Αντιφιλου. *Lotum ivi abivit - - ſub Antiphilo*.

Vſ.

Vſ. 28. Ωϛε κυριος εϛιν ο υιος του ανθρωπου και του σαββατου.) Priorem phraſin habet *Dionyſ. Halicarn.* l. 5. p. 284. Της αυτης εξουσιας, ης συ, κυριος ων. *Ejusdem poteſtatis, cujus tu es, dominus cum ſim.* Et *Achill. Tat.* l. 8. p. 489. Ουκ επι ουδενος ει κυριος. *Nullius autem amplius rei dominus es.* Notetur inſuper Pleonaſmus in verbis Ὁ υἱος του ανθρωπου, pro ſimplici Ὁ ανθρωπος, quod Verſiones pleræque non animadverterunt. Ita quoque hæc formula accipi debet *Marci* c. 3. *v.* 28. Τοῖς υἱοῖς των ανθρωπων. pro ſimplici τοῖς ανθρωποις. Ubi, quæ dedimus jam, vide ſis. Adde *Epheſ.* c. 3. *v.* 5. Ουκ ἐγνωριϑη τοῖς υἱοις των ανθρωπων: pro τοῖς ανθρωποις. Adde τους LXX. *Pſal.* 8. *v.* 4. item 79. *v.* 17. *Ezech.* c. 2. *v.* 1. & *Daniel.* c. 7. *v.* 13. Simili pleonasmo Παιδες σοφων, & Παιδες γεωργων, pro Σοφοι & Γεωργοι, dixit *Achill. Tatius* l. 1. p. 57. Περὶ δε των Φυτων λεγουσι Παιδες σοφων, ἢ μυϑον ελεγον τον λὸγον ειναι, ει μη Παιδες ελεγον γεωργων. *Quæ de plantis narrant Philoſophi, fabulam eſſe putarem, niſi affirmarent Agricolæ.* Sic & *Horatius* carm. 2. 18. 34. dixit *Regumque pueris*, pro *Regibusque.*

- - - Aequa tellus
Pauperi recluditur,
Regumque pueris.

Cap. III. *v.* 5. Μετ' ὀργης.) *Ariſtides* orat. in Neptun. t. 1. p. 50. Ου μετ' ὀργης ηλϑον

ηλθον ἐπι τους τουτων δημιεργους. *Non cum ira venerunt ad horum opifices.* Item *Aristæn.* l. 1. epist. 7. p. 50. Ἡ δὲ ηρυθριασε μετ' ὀργης. *Illa erubuit cum ira.* Et *Euripid.* apud *Stob.* Serm 98. p. 322. Ουδεις μετ' ὀργης ουδεν ευ βουλευεται. *Nemo cum ira quicquam recte deliberat.*

Vs. 8. Οι περι τυρον κ) Σιδωνα.) sc. οι κ̀κοντες. Sic *Aelian.* hist. animal. l. 7. c. 18. Λεγουσι οι περι την - - κοπον. sc. οικουντες. *Dicunt vero qui circa - - Coptum.* sc. *habitant.* Plene *Isocrat.* orat. ad Philip. p. 165. Πλην των περι την Ἀδριαν οικουντων. *Præter eos, qui circa Adriam habitant.* Item *Eratosthenes* Catasterism. c. 38. Ἣν οι περι τους τοπους οικουντες Συριας θεον ωνομασαν. *Quam, qui circa loca ista habitant, Syriæ deam nominarunt.*

Vs. 12. Πολλα ἐπεπιμα.) Πολλα. h. e. *Valde, Vehementer.* Sic *Heliodor.* l. 1. p. 55. Πολλα την θεαν - - ὀνειδισας. *Valde Deam - - convicitatus.* Item *Hippocrat.* aphor. Sect 5. 34. Ἣν η κοιλιη πολλα ῥευη. *Si alvus valde fluat.* Et *Antipater* in Antholog. Gr. l. 3. c. 25. epigr. 8. p. 388. Σε δὲ πολλα κατωδυραντο *Valde te defleverunt.* Similiter *Multa* pro *Valde* occurrit apud *Virgil.* Georg l. 3. v. 225.

- - - *Ignotis exulat oris,*
Multa gemens. - - -

Vs.

Vſ. 17. ὁ ἐστιν, υἱοὶ βροντῆς.) Primo verte ὁ ἐστιν, *Quod ſignificat.* Ita & apud *Polyæn.* l. 8. p. 718. qui de Fabio loquens, ait: καὶ Μάξιμος ἀνηγορεύθη, τοῦτο δ' ἂν εἴη Μέγιστος. *Et Maximus cognominatus eſt, quod ſignificare poteſt* (Græce ſi vertas) *Megiſtus.* Deinde notandum verba Υἱοὶ βροντῆς poni pro Οἱ βροντῶντες, *Tonantes*, citra Hebraiſmum, quem poſt *Vorſtium* cl. *Wolfius* ad h. l. admittit. Simili ratione *Anacreon* alicubi dixit, Υἱὸς ἔρωτος, *Filius amoris*, pro ὁ ἔρων, *Amans.* Ceterum egregie quoque verbum βρονταν adhibuit *Eupolis*, qui de Pericle, facundiſſimo, loquens, ait apud *Diodor. Sicul.* l. 12. p. 505.

\- - - Περικλέης ὀυλυμπιος
Ἠστραπτεν, ἐβρόντα, συνεκύκα τὴν Ἑλλάδα.
\- - - *Pericles Olympius*
Fulgurabat, tonabat, miſcebat Græciam.

Ita quoque τὸ *Tonare* apud Latinos proſtat. *Columella* 1. præf. 30. *Neque ille ipſe Cicero territus ceſſerat Tonantibus Demoſthenis Platonique.*

Vſ. 20. Συνέρχεται πάλιν ὁ ὄχλος.) *Dionyſ. Halicarn.* l. 6. p. 371. Συνελθόντος δὲ ὄχλου συχνοῦ. *Cum conveniſſet frequens turba.* Et *Herodian.* l. 4. p. 205. Ὡς δὲ πᾶν συνηλθε τὸ πλῆθος. *Simulac confluxit tota turba.*

Vſ. 21. Ἔλεγον γαρ οτι ἐξέση.) ſc. του Φρονειν, vel των Φρενων. Elliptice quoque *Ariſtænet.* l. 1. epiſt. 5. p. 40. Συγγίνωσκε μοι, φησιν, ἐξέσην. ſc. του Φρονειν, vel των Φρενων. *Parce mihi, inquit, fui extra.* ſc. *mentem.* Plene *Iſocrat* orat. ad Philip. p. 164. Μη δια τὸ γηρας ἐξέσηκα του Φρονειν. *Ne propter ſenium eſſem extra mentem.* Item *Dionyſ. Halicarn.* l. 3. p. 157. Ἐξέσηκας των Φρενων υπο της ηδονης. *Extra mentem fuiſti præ voluptate.* Itemque *Euripid.* Oreſte *v.* 1025.

- - - Ως ἰδουσ' ἐν ὀμμασι
Παιυσατην πρόσοψιν, ἐξέσην Φρενων.
- - - *Quam videns oculis*
Ultimum adſpectum, alienata ſum
mente.

Vſ. 26. Καὶ ει ὁ Σατανας ανεση ἐφ' ἑαυτὸν - - ου δυναται σταθηναι, αλλα τέλος ἐχει.) Ad verba Ἀνέση ἐφ' ἑαυτὸν obſervat Ill. *Grotius* vocem ἐπι Helleniſtarum eſſe locutionem qua *hoſtilis conatus* indicatur. Contrarium liquebit ex *Aeliano* var. hiſt. l. 10. c. 11. ubi de Iſocratis panegyrica oratione loquens, ait: Πρωτον μὲν Φίλιππον ἐπι την Ἀσίαν ανέσησεν. *Primum quidem Philippum contra Aſiam excitavit.* Formulam autem Τέλος ἐχειν habet *Iſocrat.* Trapez. p. 547. Τέλος εἰχε τὸ πραγμα. *Finem habuit res,* Item *Dio-*

Dionyſ. Halicarn. l. 10. p. 675. Τα μεν καθ' ημας τελος εχει. *Res noſtræ finem habent.*

Vſ. 27. Εισελθων εις οικιαν αυτου.) *Achill. Tatius.* l. 6. p. 377. Εισελθων εις την οικιαν ἐβόα παλιν. *Domum ingreſſus clamavit iterum.* Nec non *Dionyſ. Halicarn.* l. 4. p. 242. Πριν εις την οικιαν αὐτὸν εισελθειν. *Priusquam ille domum ingreſſus fuerit.*

Cap. IV. *v.* 19. Καὶ αἱ μέριμναι του αιωνος τουτου - - καὶ ακαρπος γίνεται.) Pro αιωνος *Cod. Cantabrig.* legit Βίε. Id gloſſam redolet. Αιων plus vice ſimplici *Vitam* denotat. Ita uſurpavit *Homer.* Il. ε. *v.* 685.

- - - Ἔπειτα με κὴ λίποι αιων
Εν πολει υμετερῃ - - -
- - - *Poſtea me etiam deſeret vita*
In urbe veſtra - - -

ubi *Schol.* αιων) ὁ του ανθρωπου βίος. Ceterum, quemadmodum heic loci Λόγος dicitur ακαρπος, ſic & πόνος a *Bauhylide* apud *Stobæum* Serm. 254. p. 838. qui de nimia ſollicitudine ait: Ἄκαρπον εχει πονον. *Infructuoſum habet laborem.*

Vſ. 21. Ο λοχνος ερχεται.) Proba lectio eſt, pro qua alii *Codd.* vitioſiſſime legunt, Καιεται, vel Ἅπτεται. Græcis Ἔρχεσθαι pro *Afferri* læpiuſcule uſurpatur. *Libanius* epiſt. 358. p. 181. Ἡ δὲ (ἐπιστολη) ερχεται. *Ea autem* (epiſtola) *affertur.* Item

Dion.

Dion. Caſſ. l. 48. p. 339. Οἱ χρηματα ἐκ της Ἀσίας ἠλθε. *Ipſi pecuniæ ex Aſia - - allatæ ſunt.* Sic & *Venire* pro *Afferri* apud *Ciceron.* Famil. 11. 24. *Dum tibi literæ meæ veniant.*

Vſ. 28. Ἀυτοματη γαρ η γη καρποφορει πρωτον - - ειτα.) Priorem vocem uſurpavit *Heraclides Ponticus* Allegor. Homeric. p. 447. Ἀνίενται - - αυτοματοι φλόγες. *Proſiliunt - - ſponte flammæ.* Item *Cratinus* in *Stobæi* Florileg. tit. 103. p. 424. Ἀυτόματα τοισι θεὸς ανοιγει τ αγαθα. h. e. illuſtr. *Grotio* vertente: *Sunt ſponte nata, queis Deus pandit bona.* Nec non *Philoſtrat.* Icon. l. 2. p. 840. Ἀυτοματη η γη αναπεμπει ταυτα. *Sponte terra edit hæc.* Inſuper verbo καρποφορειν utitur *Evenus* in Antholog. Gr. l. 1. c. 6. egigr. 1. p. 18.

Κην με φαγης ἐπι ριζαν, ομως επ καρποφορησω.
Etſi me devores radicitus, tamen adhuc fructus feram.

Item *Antipater* ibid. c. 20. epigr. 1. p. 39.

Ανσδαιμων ἐω' ἐμην υβριν ἐκαρποφὸρεν.
Infelix in mea damna fructus tuli.

Denique ultima formula Πρωτον, ειτα, occurrit & apud Exoticos. *Appian. Alexandr.* de bel. Pun. p. 66. Τα δ' υποζυγια πρωτον, ειτα

ειτα τους ἱππους ἐπι τοῖς ὑποζυγίοις εθυον. *Primo jumenta, dein equos poſt jumenta mactarunt.* Item *Achill. Tatius* l. 4. p. 223. Πρωτον μεν την Φυσιν του θηριε καταλέγων, ειτα καὶ τὸν τροπον της αγρας. *Primo quidem naturam feræ, deſcribens, & dein modum ejus capturæ.*

Vſ. 34. Ἐπελυε παντα.) h. e *Explicabat omnia.* Sic *Maxim. Planud.* vita Aeſopi p. 48. Τα πεμπομενα των προβλημαων -- ἐπελυε. *Problemata, quæ mittebantur -- ſolvebat.* h. e. *explicabat.* Eodem ſenſu ſimplex Λυειν uſurpatur *Libanio* epiſt. 38. p. 19. Συ λυσεις το αινιγμα, *Tu ſolves ænigma.* Sic *Solvere* pro *Explicare* apud Latinos. *Manilius* Aſtronom. l. 1. v. 102.

--- Ventos quæ cauſa moveret,
Pervidit, ſolvitque animis miracula rerum.

Itemque *Sidonius Apollinaris* l. 4. epiſt. 11. v. 10. de Claudiano quodam ait:

Doctus ſolvere vincla quæſtionum.

Vſ. 35, Διελθωμεν εις το περαν.) Sic *Achill. Tatius* l. 8. p. 535. Και διεγνωκαμεν διελθειν εις τὸ Βυζαντιον. *Et decrevimus -- tranſire Byzantium.* Et *Appian. Alexandr.* de bel. civil. p. 692. Διηλθε γαρ ἐς χωρία ἰδια. *Tranſiit enim ad ſua prædia.*

Vſ.

Vſ. 37. Καὶ γίνεται λαιλαψ ανεμου μεγαλη. τα δὲ κυματα ἐπιβαλλον εις τὸ πλοῖον.) *Homer.* Il. δ. v. 278. Ἄγει δέ τε λαιλαπα πολλην. *Adducitque turbinem magnum.* Item *Statyllius Flaccus* in Anthолog. Gr. l. 3. c. 22. epigr. 17. p. 358.

Λαιλαπα - - προφυγόντα θαλαττης
Ἔκτανε λυγρὸς ἐχις - -
Turbinem - - effugientem maris
Occidit dira vipera - -

Inſuper Δὲ in Τα δε κυματα pro Καὶ ponitur. Sic apud *Euripid.* Oreſte v. 707.

Μισει γαρ ο θεὸς τας αγαν προθυμίας,
Μισουσι Δ' ασοὶ. - - -
Odit enim Deus nimios impetus,
Oderunt Et cives - - -

Adde Eund. Phæniſ. v. 1708.

Γενναιότης σοι, μωρια Δ ἐνεσι τις.
Generoſitas tibi, Et ſtultitia ineſt quædam:

ubi *Schol.* μωρια δ'.) ὁ Δε αντὶ του Καὶ, τουτεστιν, Ευγένεια και μωρια ενεσι σοι. Denique notanda ellipſis in verbis Κυματα ἐπεβαλλεν. ſc. ἑαυτα. Sic & in Ἐκβαλλειν apud *Diodor. Sicul.* l. 2. p. 127. Ἐκ θατερου δὲ μέρους ουσης λιμνης μεγαλης εις ποταμὸν ἐκβαλλουσης. ſc. ἑαυτην. *Ex altera parte cum eſſet locus magnus, emit-*

emittens (ſc. *ſe*) *in fluvium.* Eadem Ellipſis obtinet & in Latio. *Proba Falconia* in Corp. Poetar. Latin. t. 2. p. 1658. *v.* 221.

Conſurgunt venti, & fluctus ad ſidera tollunt.

ſc. *Se.* Nec non *Cneus Geïlius* apud *Aul. Gellium* Noct. Attic. l. 18 c. 12. *Poſtquam tempeſtas ſedavit* (ſc. *Se*) *Atherbal taurum immolavit.*

Vſ. 38. Ἐπὶ τὸ προσκεφαλαιον - - ἡ διεγειρουσιν αὐτὸν.) Emphaſin quærens *Eraſm. Schmidius* in verbo διαγειρουσι, vertit, *Diverſimode excitant ipſum.* Fruſtra eſt. Ponitur pro ſimplici ἐγειρουσι. Ita quoque uſurpavit *Herodian.* l. 2. p. 63. Ἐπισαντες δὲ αὐτου κεκλεισμένης της οικίας ταις θυραις, διεγειρουσι τον φυλακα ὄντα. *Quum januam ejus domus occluſam offendiſſent, excitant janitorem.* Vox autem Προσκεφαλαιον ſemel tantum in N. T. occurrit. *Dion. Caſſius* l. 43. p. 218. Ὑπο τὸ προσκεφαλαιον ὑπεθηκε. *Sub pulvinari repoſuit.* Item *Ariſtoph.* Lyſiſtr. p. 893. Προσκεφαλαιον ουκ ἐχεις. *Pulvinar non habes.*

Cap. V. *v.* 2. Ἐξελθόντι αὐτῳ - - ἀπηντησεν αὐτῳ - - ἀνθρωπος ἐν πνευματι ἀκαθαρτῳ) Ultimum αὐτῳ redundat, non ex Hebraiſmo, ut voluerunt Viri Docti. Id evicit cl. *Raphelius* ad *Matth.* c. 14. v. 26. Adde

Matth.

Matth. c. 8. *v.* 5. & *v.* 23. Item c. 9. *v.* 27. Idem Pleonaſmus apud Latinos obtinet. *Suetonius* p. 276. *Thallo a manu - - crura Ei fregit*: ubi celeberr. *Oudendorpium* confer. Ut & *Cato* apud *Aul. Gell.* Noct. Attic. l. 15. c. 12. *Quum Romam profectus ſum, zonas, quas plenas argenti extuli, Eas ex provincia inanes retuli.* In ultimis verbis Ἄνθρωπος ἐν πνευματι ακαθαρτῳ, ſupple αν, prouti plene extat *v.* 21. Καὶ γυνη τις ουσα ἐν ῥυσει αιματος: ubi Hebraiſmum invita Minerva cuderunt quidam. Liquebit ex ſequentibus exemplis. *Herodian.* l. 3. p. 128. Ησαν δέ οι στρατιωται ἐν πολλη ἀθυμία. *Erant milites in magna animi anxietate.* Item *Iſocrat.* orat. amartyr. p. 604. ὁ γαρ Νικίας ην ἐν ταῖς συμφοραῖς. *Nicias vero erat in calamitatibus.*

Vſ. 4. Πέδαις - - δεδέσθαι, καὶ διεσπάσθαι ὑπ' αὐτου τας ἁλυσεις.) *Philoſtrat.* Apoll. epiſt. 56. p. 400. Κροῖσος - - ἐδέθη πέδαις. *Croeſus - - compedibus ligatus fuit.* Item *Diodor. Sicul.* l. 3. p. 182. Πέδαις δεδεμενοι προσκαρτεροῦσι τοῖς ἔργοις. *Compedibus vincti in opere perſeverant.* Pro ὑπ' αὐτου poſt διεσπάσθαι alii *Codd.* legunt ἀπ' αὐτου. Proba eſt Lectio, quam vindicat *Dion. Caſſius* l. 5. p. 424. Διεσπάσθη ὑπο των περιεστηκότων. *Diſcerptus eſt a circumſtantibus.*

Vſ.

Vſ. 5. Κατακοπῶν ἑαυτὸν λίθοις.) *Achill. Tatius* l. 5. p. 341. Κατακόπει με πληγαῖς. *Concidit me plagis.* Item *Polyæn* l. 2. p. 214. Κατέκοψε τοὺς λοχῶντας. *Concidit in inſidiatores.* Et *Aelian.* var. hiſt. l. 7. c. 19. Πολλοὺς τῶν Μεγαρέων κατέκοψεν ἀνόπλους. *Multos Megarenſium concidit inermes.*

Vſ. 7 Ὀμνύω σε τὸν θεὸν.) *Xenoph. Epheſius* l. 3. p. 44. Ὀμνύει τὴν πατρίαν θεὰν Ἀρτεμιν ξυμπράξαι πάντα ὅσα ἂν αὐτοῦ δεηθῇ. *Adjurat per patriam deam Dianam, juvet quibuscunque rebus habuerit opus.*

Vſ. 12. Πέμψον ἡμᾶς εἰς τοὺς χοίρους.) Hic ſimplex Πεμπειν pro Ἀποπεμπειν ponitur. *Herodian.* l, 3. p. 169 Τοὺς μὲν πρεσβεις αὐτῶν ἀπράκτους ἐπεμψεν. *Legatos quidem eorum, re infecta, dimiſit.* Sic & *Homer.* odyſ. o. v. 74.

Χρὴ ξεινον παρέοντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πεμπειν.

Oportet hoſpitem præſentem diligere, volentem autem dimittere.

Vſ. 13. Ἦσαν δὲ ὡς διαχίλιοι.) Pro ὡς alii *Codd.* legunt ὡσει quod planiſſime idem eſt. *Diodor. Sicul.* l. 14. p. 662. Ἠκολουθησαν ὡς διακόσιοι. *Sequebantur circiter ducenti.*

Vſ. 19. Ὅσα σοὶ ὁ Κυριος ἐποίησε.) Pro Παντα ὅσα σοι. Elliptice quoque *Aelian.* var. hiſt. l. 3. c. 17. Ἡμας δρασαι ὅσα θέλουσιν.

Nos facere (sc. *omnia*) *quæ volunt.* Plenius *Longus* Pastoral. l. 1. p. 7. Ἐπαιδευον ἡμᾶς παντα οσα καλα ἡν. *Docuerunt quoque omnia quæ pulchra erant.* Et *Achill. Tatius* l. 4. p. 261. Καταλέγει παντα οσα ἡμῖν ο Χαιρέας διηγησατο. *Exponit omnia quæ nobis Chæreas narraverat.*

Vs. 22. Πίπτει προς τους πόδας.) *Maximus Planudes* in vita Aesopi p. 5. Πεσων πρὸς τους του δεσποτου πόδας, αναχέσθαι μικρὸν ἐδειτο. *Prolapsus ad domini pedes, ut se parum sustineret orabat.* Item *Xenoph. Ephes.* l. 5. p. 81. καὶ πιπτουσι πρό των ποδων αυτου. *Et prolabitur ad pedes ejus.*

Vs. 23. Οτι τὸ θυγατριον μου ἐσχατως ἐχει, ἵνα ἐλθων ἐπιθῇς αυτῃ τας χειρας.) Primo notanda ellipsis του ἑαυτην in ἐσχατως ἐχει. Frequens est in verbo Ἐχειν cum adverbio mali quid denotante. Sic *Polyæn.* l. 3. p. 295. Ἐκέλευσε τους αρρωστως ἐχοντας (sc. ἑαυτους) χωρὶς τίθεσθαι τα οπλα. *Jussit, ut qui male haberent* (sc. *Se*) *seorsim deponerent arma.* Item *Achill. Tatius* l. 2. p. 101. Μητηρ τότε μαλακως ἐχουσα. sc. ἑαυτην. *Mater tum male habens.* sc. *Se.* Plenius *Dionys. Halicarn.* l. 4. p. 241. Καὶ κακως ἑαυτὸν ἐκ του πτωματος ἐχων. *Et male se ex lapsu habens.* Eadem ellipsis civitate Latii gauder. *Livius* 8. 6. *Bene habet.* sc. *Se.* Etiam *Plaut.* Pseud. 4. 1. 25. *Optume habet*

bet. (ſc. *Se.*) Addit *Florus* 4. 2. 68. *Bene ſe habet imperator.* Deinde obſervandum in verbis Ινα ἐλθων ἐπθῃς variare *Codd.* Alii τὸ ἐλθων omittunt: alii ἐλθέ, ἐπθες; alii ἐλθέ, ινα ἐλθων legunt. Recepta lectio ſana eſt, ſi attendamus τὸ Ἐλθων redundare. Jam oſtendimus. Sic & in aliis locis. *Matth.* c. 14. *v.* 33. Οἱ δὲ ἐν τῳ πλοιῳ, ἐλθοντες προσεκυνησαν αυτῳ. Verte: *Qui in navi erant, adoraverunt eum.* Item *Epheſ.* c. 2. *v.* 17. Καὶ ἐλθων ἐυηγγελίσατο. Verte: *Et evangelizavit.* Sic *Euripid.* Hecuba v. 725.

- - Τί μέλλεις παῖδα σην κρυπτειν ταφῳ
Ἔλθουσ; - - -
- - *Quid cunctaris filiam tuam*
Sepelire? - - -

Itidem *Sophocl.* Antig *v.* 1223. Ἀρα νυν ταδ' ἐλθων. h. e. *Fac nunc iſta.* Id. Oedip. Col. *v.* 79. Δημοτοις λέξω τἀδ' ἐλθων. *Populariibus hæc nuntiem.* Nec non *Libanius* epiſt. 10. p. 3. Πρὶν ο τὸν δεσμον μηχανησαμένος ἐλθων ελυσεν. *Priusquam is, qui vincula frabicaverat, ſolviſſet.* Denique in verbis. Τὸ παιδίον - - αυτῃ, Syntaxis ad ſenſum pertinet. Sic eodem cap *v.* 42. Καὶ κρατησας της χειρὸς του παιδίου, λέγει αυτῃ. Sic *Matth.* c. 28. *v.* 19. Τα εθνη - - αυτους. *Galat.* c. 3. *v.* 16. Τῳ σπερματί σου, ος ἐστι Χριστος. Et

ibid. c. 4. *v.* 19. Τέκνα μου, ους παλιν ωδίνω. Item *Philem. v.* 10. Περι του ἐμου τεκνου, ον ἐγεννησα. Similiter *Tobias* c. 1. *v.* 21. 22. Καὶ ἐζητηθη υπο του βασιλέως τα σωματα - - πορευθεις δέ εις - - υπεδειξε τῳ βασιλει - - οτι εθαψεν αυτους. *Et quæsita sunt a rege corpora - - prodiens autem aliquis - - indicavit regi - - me sepeliviſſe eos*: pro *ea*. Adde *Callimach.* Hymn. in Cer. *v.* 48. Τέκνον πολυθεξε τοκευσι. *Fili multum dilecte parentibus.* Item *Palladam* in Anthолog. Gr. l. 2. c 42. epigr. 1. p. 242. Τεκνον αναιδειης αμαθέσατε. *Fili impudentiæ indoctiſſime.* Et *Homer.* odyſ. O. *v.* 125. Τέκνον φίλε: quem verſum citans incertus Auctor de *Solœciſmo* p. 198. ait: αντί του, Τεκνον φίλον.

Vſ. 25. Ρυσει αιματος.) *Hipppocrat.* aphoriſm. Sect. 3. 20. obſervat, quòd *vere fiant* αιματος ρυσεις, *ſanguinis fluxus.* Et *Polyæn.* l. 5. p. 601. Αιματος ρυσιν αυτω γεγονέναι. *ſanguinis fluxum ipſi accidiſſe.*

Vſ. 26. Πολλα παθουσα υπο πολλων ιατρων.) *Cebes* Tab. p 208. Μη τι παθη υπ' αυτων; *Num quid mali pati poſſet ab illis?* Sic & *Herodian.* l. 7. p. 328. Ὅτι δη ταυτα υπο Ρωμαίων - - παχουσι. *Quod ſcilicet hæc a Romanis - - patiantur.* Nec non *Philoſtrat.* vita Apoll l. 2. p. 149. Ἃ υπ' αυτων ἐπαθεν. *Quæ ab ipſis paſſus eſt.*

Vſ.

Vſ. 27. Ἀκούσασα περὶ τοῦ Ιησ.) *Meliſſa* in Opuſc. Mythолog. p. 749. Τί ἀκουσαι περὶ γυναικος εὐκοσμίας. *Aliquid audire de mulieris decoro.* Item *Palæphat.* p. 8. Ως ἀκόυσιεν περί ἑκασου. *Quomodo audiverint de unoquoque.* Et *Xenoph. Epheſ.* l. 5. p. 65. Οὐδὲ ἀκουσαι περί σε. *Neque audire de te.*

Vſ. 29. Ἡ πηγη του αιματος - - οτι ἰαται απο της μασιγος.) Sic & apud Veteres vox Πηγη cum aliis Subſtantivis reperitur. Sic Πηγη ἐλαίε, *Fons olei,* apud *Philoſtrat.* Icon. l. 2. p. 844. Addatur *Antipater* in Anthолog. Gr. l. 3. c. 25. epigr. 46. p. 399. Πηγαι γαλακτος. *Fontes lactis.* Ultimam phraſin, omiſſa tantum præpoſitione απο, habet *Philoſtrat.* vita Apoll. l. 1. p. 15. Ἰασομαι αὐτὸν τουτωνὶ των παθων. *Sanabo ipſum ab hiſce morbis.*

Vſ. 37. Ἀυτῳ συνακολουθησαι.) *Diogen. Laërt.* l. 3. p. 288. Οὐ φασί Ευριπιδην αὐτῳ συνακολουθησαι. *Ubi ajunt Euripidem eum comitatum eſſe.* Nec non *Polyæn.* l. 3. p. 259. Ἐξαίφνης ἐπισας συνηκολούθησεν αὐτοῖς. *Repente ſuperveniens ſimul ſequebatur eos.*

Vſ. 38. Και ερχεται εις τὸν οικον.) Incertus Auctor in *Anthолog. Gr.* l. 2. c. 6. epigr. 9. p. 192. Οικον Ἀριϛοφανους ἠλθεν ἐς ἀϛρολόγε. *Venit in domum Ariſtophanis aſtrologi.*

Vſ. 40. Οπου ην τὸ παιδιον.) ſc. θηλυ Addit *Diogen. Laërt.* l. 10. p. 1103. Την δὲ

δὲ προῖκα τῷ θηλει παιδίῳ, ἐπειδὰν εἰς ἡλικίαν ἔλθῃ, μερισατωσαν. *Dotem vero puellæ, cum ad ætatem nubilem pervenerit, dent.*

Vſ. 43. Ειπε δοθηναι.) Ειπειν, *Dicere*, pro *Jubere*, fruſtra Hebraiſmi labe inficitur a *Vatablo*, & *Deutſchman* in Theſ. theol. phil. t. 2. p. 151. *Antonin. Liberal.* c. 25. p. 200. Αυτους ειπεν ο θεὸς ιλασσασθαι. *Eos juſſit Deus placare.* Item *Homer.* odyſ. χ. v. 427.

- - - Ειπατε δ' εσω
Δμωῃσιν - - δαιτα πενεσθαι.
- - - *Jubete quoque intus*
Ancillas - - convivium apparare.

Cap. VI. *v.* 6. Καὶ ἐθαυμαζε δια την απιστιαν αυτων, καὶ περιηγε τας κωμας κυκλῳ.) Pro ἐν κυκλῳ. Plene habet *Joſephus* antiq. Jud. l. 1. c. 1 p. 7. Ποταμου πασαν ἐν κυκλῳ γην περιῤῥεοντος. *Fluvio omnem in circuitu terram circumfluente.* Priorem autem formulam, cui Hebraiſmum adfricuit *Grotius*, adhibuit *Aelian.* var. hiſt. l. 12. c. 6. Αυτον δὲ θαυμαζομεν δια τα ἐργα. *Ipſum vero admiramur propter res geſtas.*

Vſ. 9. Υποδεδεμένους σανδαλια.) *Philoſtrat.* Apoll. epiſt 63 p 404. Ανδρας υμων ἐθεασαμην - - υποδεδεμένους υποδημα Ιωνικόν. *Veſtros viros vide - - calceatos calceis Jonicis.* Et *Ariſtoph.* Concion. p. 731. Υποδειδε δ' ως ταχι-

ταχισα τας Λακωνικας. *Subligate quam citiſſime Laconicas crepidas.*

Vſ. 14. Φανερὸν γαρ ἐγένετο το ονομα αυτου.) *Philoſtrat*, Apoll. epiſt. 44. p. 395. Τουτε γαρ ουδ' υμῖν τοις αδελφοις - - γέγονε Φανερὸν. *Hocce enim ne quidem vobis fratribus - - innotuit.* Et *Polyæn.* l. 5. p. 442. Ινα μη Φανερα γένοιτο παση τεχνη. *Ne ars omnibus innoteſceret.* Vox autem Ονομα heic loci *Famam* denotat. *Philoſtrat.* Apoll. epiſt. 47. p. 396. Περιποιων υμῖν - - ονομα. *Acquirens vobis - - famam.* Itemque *Aelian.* var. hiſt. l. 2. c. 13. Πολυ γαρ ην το του Σωκρατους ονομα. *Magna enim erat Socratis fama.* Similiter apud Latinos *Nomen* pro *Fama* occurrit. *Virgil.* Aen. 2. *v.* 89. *Et nos aliquod nomenque decusque geſſimus.*

Vſ. 15. Αλλοι ἐλεγον - - αλλοι δε) pro Αλλοι μεν, ſi quidem ſubſequitur δε Addit *Homer.* odyſ. O. *v.* 169. & 174. Αλλὸς Μὲν γαρ τ' ειδος ακιδνότερος - - αλλος Δ' αν ειδος μεν αλιγκιος αθανατοισιν. *Aliusquidem forma inferior - - alius autem rurſus forma ſimilis immortalibus.*

Vſ. 20. Ηδέως αυτου ηκουε.) *Diogen. Laert.* l. 2. p. 224. Των μεν μιμουμένων θρηνους ηδέως ακουομεν, των δε κατα αληθειαν αηδως. *Qui lamentationes imitantur, lubenter audimus, veras autem illibenter.*

V. 21. Ημερας ἐυκαιρου - - τοις μεγιστοις αυτου.) *Herodian.* l. 1. p. 8. Νυν δε καιρὸς

ρὸς Ευκαιρος ἐμοι κριθῆναι. *Nunc mihi tempus opportunum est judicandi.* Adde *Psal.* 103. *v.* 28. Δουναι την τροφην εις Ευκαιρον. *Dare cibum ipsorum in tempore opportuno.* Merito vocem Μεγισανες a *Perisimo* contra *Olearium* & *Salmasium* vindicavit doctiss. *Georgius* Hierocrit. l. 3. c. 3. p. 257. *Cinnamus* hist. l. 1. p. 25. Εν μεγισασι τῆ στρατηγοις. *Inter magnates & duces.* Item *Artemidor.* Oneirocrit. l. 3. p. 168. Μαχεσθαι - - βασιλευσι, μεγισασιν. *Pugnare cum regibus - - magnatibus.*

Vs. 22. ορχησαμένη.) Hic impudicam saltationem innui jure notavit cl. *Wolfius* Cur. Philol. t. 1. p. 238. Eodem sensu verbum hocce usurpavit *Aristænetus* l. 1. epist. 26. p. 168. ubi de Pantomima quadam loquens, ait: Τις ου τεθαυμακεν ὀρχουμένην; τις ιδων ουκ ηρασθη; *Quis non miratus est eam saltantem? quis eam videns non amavit.*

Vs. 23. Εως ημίσους.) sc. μερους. Sic *Polyæn.* l. 6. p. 565. Τὸ ημισυ (sc. μέρους) κερδανας *Dimidium* (sc. *partem*) *lucratus.* Plene *Dionys. Halicarn.* l. 7. p. 433. Ων τὸ ημισυ μέρος ωνητον ην. *Quorum dimidia pars empta fuerat.*

Vs. 25. Εισελθουσα ἐυθεως μετα σπουδης.) Optime *Henric. Stephan.* vertit verba μετὰ σπουδῆς, *Magno studio*: deficit enim πολλης. *Appian. Alexandr.* de bel. Pun. p. 38.

Μετα

Μετὰ σπουδης (ſc. πολλης) αλληλους ἐκ της δίωξεως ἐκαλουν. *Cum ſtudio* (ſc. *magno*) *alii alios a perſequendo revocabant.* Plenius dixit *Polyæn.* l. 5. p. 458. Οι Συρακουσιοι μετα πολλης σπουδης ἐπριαντο. *Syracuſani cum magno ſtudio coemebant.* Item *Herodian.* l. 6. p. 276. Ἄνυσας την οδὸν μετα πολλης σπουδης. *Conficiens cum magno ſtudio iter.*

Vſ. 30. Οσα ἐδίδαξαν.) Eodem modo loquitur *Bion.* idyl. 3. *v.* 13. Οσσα δ' ερως μ' ἐδίδασκεν ἐρωτυλα παντ ἐδιδαχθην. *At quæcunque me docebat amatoria Cupido, cuncta didici.*

Vſ. 31. Δευτε υμεις αυτοι - - ολίγον.) ſc. Χρὸνον. *Heliodor.* l. 7. p. 351. ολιγον ἐπιμειναι παρακαλέσας. *Cum petiviſſet ut parum operiretur.* Item *Dionyſ. Halicarn.* l. 1. p. 18. Ολίγον καπεμεινεν ἐν Ιταλία. *Paruni* (ſc. *temporis*) *moratus eſt in Italia.* Plene *Xenoph. Epheſ.* l. 2. p. 36. Ικετευει αυτὸν αναμειναι ολίγον χρὸνον. *Orat autem ipſum, ut parum temporis exſpectet.* Et *Diodor. Sicul.* l. 1. p. 5. Τα μὲν γαρ αλλα μνημεια διαμένει χρὸνον ολιγον. *Alia enim monumenta durant parum temporis.* Eadem ellipſis obtinet apud Latinos, quibus dicitur *Ad breve.* ſc. *tempus.* Sic *Sueton.* Tiber. c. 68. *Qui noctu etiam & tenebris viderent, ſed ad breve.* ſc. *tempus.* Plene *Seribonius* 213. *Ad breve tempus.* Item *Cicero* offic. 2. 16. *Ipſaque illa delectatio multitudi-*

EXORNABUNT CUM ALIIS ALIA,
PUBLICAM GRATITUDINIS TABULAM
SUSPENDIT
EDITOR.

SERIES
CONTENTORUM
FASCICULI SECUNDI
CLASSIS QUARTÆ.

I. OLAI CELSII, Continuatio Historiæ *Linguæ & Eruditionis Arabum*, Caput 3. & 4. pag. 203.

II. DANIELIS HENRICI HERING, *V. D. M. ad ædem Cathedralem Halensem*, Dissertatio *de voce* ΠΟΡΝΕΙΑ *in decreto Apostolico*, ACT. XV, 20. 29. pag. 289.

III.

III. ELIÆ PALAIRET, Continuatio *Auctorum Classicorum*, & quidem MARCI pag. 326.

IV. LITTERARIA pag. 346.



I. OLAI



I.

OLAI CELSII,

HISTORIAE LINGUAE ET ERUDITIONIS ARABUM*)

CAPUT TERTIUM

DE

FATIS LINGUAE ARABICAE,

SUB

MUHAMMEDE ET IMPERATORIBUS MUSLIMICIS.

Sub Muhammede literæ exſtinctæ. Muhammedes legendi ſcribendique ignarus. Sergius Monachus Corani autor. Coranum qui refutarint.

*) Capita duo priora leguntur Claſſis hujus Quartæ Faſcic. I. p. 1. ſqq.

rint. An & ubi Arabice editus? partes Coranî editæ Arabice. In quas linguas tranfuſus Coranus, & a quibus. Islamiſmus ſtudiis Arabum pernicioſus; linguæ non item. Omari juſſu libri Bibliothecæ Alexandrinæ combuſti. Walidus Græcam ſcriptionem abolevit. Abbaſidæ literas priſtino nitori reſtituere. Al Mamon Græcos libros transferri in Linguam Arabicam curavit. An & Latinos? Qui libri Arabice verſi? Qui apud Arabes docti? Librorum apud Arabes multitudo. Quæ ſcholæ? Quæ ſtudia? Theologiam excoluere Arabes. Juriſprudentiam. Medicinam. Philoſophiam tam Theoreticam, quam Practicam. Matheſin. Hiſtoriam. Eloquentiam. Poeſin.

§. 1.

Ex dictis facile patet etiam ante Muhammedis tempora frequentata apud Arabes ſtudia fuiſſe. Cæterum, cum circa A. Salvatoris noſtri DC. in Arabia emerſit ille bonarum artium juratus hoſtis; omnis literarum ſplendor denſa ignorantiæ caligine exſtinctus eſt. Hic enim impoſtor, cum Deum non poſſet, miſſum a Deo prophetam ſe venditare ſtatuit, & credulam plebem novæ religionis fraude circumvenire. Itaque confuto, aliorum tamen ope-

ra,

ra, ex variis ſuperſtitionibus Alcorano, voti ſui pſeudoprophetarum feliciſſimus, abunde factus eſt compos. Quo autem facilius ignari componerentur in religionis illius veſaniam, quam præſcripſerat, ne animos ulla ſcientiarum humanitate mitigarent, lege cavit. Et vero quod peregrinam quamvis ſcriptionem antiquaret, non potuit non ad omnis priſtinæ eruditionis interitum vergere. Ita autem factum teſtatur Leo Africanus *Lib. I. c.* 25. cum ſuo jam tempore, per annos CM. ſolos Arabicos literarum characteres in illis terris obtinuiſſe affirmet. Idem paulo ante, ubi de librorum per Africam abolitione, dixerat: *Sic enim perſuaſum habebant, quamdiu penes Africæ incolas eſſet aliqua naturalis ſcientiæ aut bonarum diſciplinarum cognitio, fore, ut ſuperbia eos indies ad tumultum atque ad Mahumeticæ legis contemtum magis ac magis provocaret.*

§. 2.

Muhammedem autem fuiſſe tam ſcribendi quam legendi ignarum tum ipſe in Alcorano ſæpius, tum Arabum alii fatentur, atque pro miraculo habent idiotam tam doctum opus edidiſſe. Sic enim Beidavi celebris ille Corani Scholiaſtes apud Hottingerum in *Hiſt. Or. c.* 5. &c. *Idiota autem dicitur, qui nec ſcribere poteſt, nec le-*

gere. Hoc vero attributum illuſtrationis ergo additur, quod perfectio ſcientiæ ejus, cum primario eius ſtatu coüata, ſit unum ex miraculis ejus. Sed ut jam diximus, Alcoranus non a Muhammede ipſo, ſed ab alio autore & adjutore eſt conſcriptus, quem Chriſtiani Sergium quendam, monachum Neſtorianum fuiſſe traditione acceperunt. Quod quamquam neget D. Beſpierius in notis ad tractatum *l'Etat preſent de l'Empire Ottoman. par S. Ricaut*, ex ipſo tamen Alcorano probabile fit. Nam Surata XVI. Meccani objiciunt, *doceri Muhammedem ab homine.* Quod & ipſum Georgius monachus, ſcriptor Arabs, ſed Chriſtianus confirmat apud Ludovic. Marraccium in *Prodr. Refut. Alcorani.*

§. 3.

Hunc librum credulæ turbæ impoſtor vaferrimus ita commendavit, ut ſimul perſuaſerit divinum, æternum, & increatum eſſe, quippe e cœlo a Deo per Gabrielem datum, nihilque ſimile ab hominibus poſſe excogitari. Ita Ahmed Ben Edris ap. Hottingerum. *Attulit namque Alcoranum* [ſc. Muhammedes) *eo tempore, quo eloquentiſſimi floruerunt viri, & facundiſſimi, a quibus omnibus ille petiit, ut ſimile quid afferrent. Sed inferiores eſſe demonſtravit omnes.*

omnes. Et Abulfaragius p. m. 166. *In quo ipſo* (Alcorano) *hoc pro miraculo habent, quod cum conati ſint eloquentiſſimi quique ei par aliquid elaborare, ne capitulum quidem unum ipſi conferendum proferre potuerint.* Quod adeo non miror, ut mirum hominem exiſtimem, qui id mirari auſit. Neque enim Homeri opus, (*Vellej. Paterc. Lib.* I. *c.* 5.) aut Ariſtotelis, quisquam æmulari facile, aut exæquare poterit, quorum ſcriptis tamen propterea nulla divinitas vindicatur. ſic (*Horat. Carm. Lib.* IV. od. 2.)

Pindarum quiſquis ſtudet æmulari,
- - ceratis ope Dedalæa
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.

Muhammedi autem, cum ſciret Hiſtorias Chriſtianorum & Judæorum in Arabia ignotas fere eſſe & peregrinas, Thraſonice & ſupercilioſe αδυναμιαν idem tentandi aliis exprobrare, facile fuit. Porro ſingularem in illo ſtyli elegantiam admirantur Arabes plerique; ſed imaginariam & illam eſſe, exemplo ex Surata Solis adducto, oſtendere conatur Maraccius *lib. cit.* Quanquam fieri potuit, ut liber hic paulo elegantiore ſtylo conſcriberetur: apud Coraiſchitas enim compoſitum eſſe conſtat, quorum dialectus omnium politiſſima & defæcatiſſima

erat, quod illi Arabiæ quasi centrum possidentes, a gentium exterarum commercio essent remotiores. Res autem continere dicunt sapientiæ plenissimas, cum tamen ex nugis & fabulis sit consarcinatus, pluribus fere, *quam olim muscarum est, cum caletur maxime*, uti Plautus loquitur. Unde factum est, ut plures invenerit, qui stylum in se strinxerint. Inter quos nominari merentur Joannes Damascenus; P. Paschasius, P. Cluniacensis, Aeneas Sylvius, Joannes Cantacuzenus, imperator, Theodorus Abucara, Carum Episcopus, Richardus, Prædicatorii Ordinis Monachus, Joannes de Turre Cremata, Euthymius Zigabenus Dionysius Carthusianus, Nic. Cusanus Cardinalis, Ludovicus Vives, Hieronymus Savonarola; Phil. Guadagnolus, Clericus Regularium Minorum; Euodius monachus, Bonavent. Malvasia, Jos. Martellinus, Joh. Andreas, Maurus conversus; Tyrsus Gonzales de Santalla Hispanus, & nuperrimus Ludovicus Maraccius Inocentio XI. non ita pridem Pontifici Romano, a sacris confessionibus, qui instar reliquorum omnium esse poterit. Plures habebis in Voëtii Biblioth. Theol. & Possevini Biblioth. &c. Arabice totus, excusus vix exstat. Exempla enim editionis Venetiis An. Ch. 1530. procuratæ omnia cremata esse

non

non dubitandum. Suscepit ergo Cel. Thomas Erpenius suis illum typis imprimendum; (ipse in *conf. de stud. Arab. feliciter instit.* & *præf. Hist. Josephi.*) Sed mors præpropera, ut fidem liberaret, haud passa est. Post illum Ludovicus de Dieu eundem promisit, & in Germania superiore Joh. Zecchendorfius, teste Joh. Fabricio in *præfat. ad testam. Muhammedis*, quorum tamen neutri edendi illius gloria contigit. Deinde Jac. Golius illum prelo paravit, Elzeviriisque imprimendum commisit, sed non feliciore, quam cæteri, successu. Vid. Golium *præf. Lex. Arab.* Post hunc idem tentavit Hottingerus, ut ipse fatetur in *Biblioth. Quadripartito p.* 388. Sed & Vir Cel. Christianus Ravius Berlinas Alcoranum, verum literis Latinis, edere constituit; cujus instituti executionem alia prohibebant negotia.

§. 4.

Hoc autem tempore quatuor omnino diversis locis eum prelo parari accipimus. Primo Patavii, edente Ludovico Maraccio; deinde Hamburgi procurante D. Abrahamo Hinckelmanno; Tum Vratislawi, opera Andreæ Acoluthi, qui non ita pridem Obadiam Armenum emisit, & luculentum de Aquis Amaris tractatum. Denique Jenæ typis nitidissimis & versione D.

Joh. Danzii. Particulæ ejusdem in usum discentium jam pridem variæ sunt editæ. Suratam I. dedit Petrus Kirstenius, & præter eum alii non pauci. Suratam Josephi, quæ XII. est, Thomas Erpenius Leydæ 1617. Suratam Abrahami XIV. & Hegiræ XV. Joh. Nisselius Lugd. 1655. Suratam Locmanni XXXI. & Aciei LXI. Jacobus Golius. Suratam Fraudationis LXIV. Thomas Erpenius. Sutatam Romæ XXX. & XLVIII. Apertionis s. Victoriæ literis Hebr. Matthias Fridericus Becchius Aug. 1688. Suratam Potentiæ XCVII. Joh. Fabricius. Quasdam etiam Latine reddidit Joh. Zecchendorfius, item Chr. Ravius, cum Hottingero & aliis. Manuscriptus habetur variis in Bibliothecis, tam publicis, quam privatis, cum proximis hisce annis non adeo difficile fuerit victoribus Europæis illum ex oriente apportare. Tredecim ejus Manuscriptos codices in Bibliotheca *Christinæ Reginæ* exstare indicat Sam. Bochartus operum suorum pag. 855. & Cel. Hottingerus in Bibl. Orient. p. 105. *audivi non semel*, inquit, *in bibliotheca Serenissimæ Reginæ Sueciæ exemplar esse Alkorani splendidissimum, ab ipso antehac (ut magni viri conjiciunt) Imperatore Turcico, Romanorum Imperatori oblatum.* In linguas porro plurimas est traductus. Nam quod Gabriel

briel Sionita de *Urb. & moribus Oriental. p.* 70. ſcribit, *Alcoranum nulla alia lingua excepta Arabica, reperiri*, aliter uſu obtinere conſtat. Perſice namque inveniri certum eſt. Bartonus apud Hottingerum Hiſt. Orient. lib. II. 5. *Videram*, inquit, *non procul à Buzantio Beſhik taſhi Alcoranum in octavo pulcherrime ſcriptum, cum Perſico rubris literis interlineari.* Et ad eundem Hotting. ſcripſit Cel. Golius, Corani ſe inſtructum paraphraſi quadam Perſica. Latinam verſionem, juſſu & auſpiciis D. Petri Abbatis Cluniacenſis adornavit Robertus Retinenſis Anglus, Hermanno Dalmata adjutus circa A. Ch. MCXLIII., quo tempore juſſu Friderici Imperatoris, alia quoque ſcripta Arabica varia in Latinam linguam transfuſa ſunt. Hæc ab Oporino Baſileæ excuſa eſt A. 1543. & (ſcribente Cel. Erpenio præf. Hiſt. Joſephi) *non immerito à viris eruditis culpatur tanquam parum accurata, & extra manifeſtas hiſtorias, veram Arabiſmi ſententiam ſatis raro fideliter exprimens.* Vid. & D. Chytræum *in Orat. de ſtatu Eccleſiar. in Græcia*, Scaligerum in *Epiſt. ad Hubertum*, Levin. Warnerum in *Epiſt. de ſtylo Timuri.* Aliam hujus editionem dedit Theodorus Bibliander Tiguri 1550. Diverſam autem verſionem Latinam edidit Joh. Segebienſis, teſte Bibliandro in *Apol.*

pro edit. Alcorani. In linguam Arragonicam tranſtulit, cum gloſſis & libro Sunæ Joh. Andreas Maurus ad fidem Chriſti converſus. Italam Verſionem procuravit And. *) Arrivabene A. 1547. 4. ſed non, quamvis ille ſimulet, ex Arabico, verum Latina tralatione; unde factum, ut plurimis in locis & illa ſenſus oſtendat ab Alcorano Arabico prorſus alienos; quod & de Germanica dictum ſit, quam edidit Salomon Schweiggerus Norimb. 1623. 4. Quæ quoque tranſit in linguam Belgicam. Gallice ex Arabico vertit D. Andreas du Ryer, Toparcha in Malezair, idque elegantiſſime, judicio Cel. Hottingeri, qui in clave Etym. Harm. *ea*, inquit, *verſione accuratior non habetur.* Lucem illa vidit Pariſ. 1647. 4. & deinde aliquoties recuſa eſt. Porro e Gallico in Anglicum eſt transfuſus Lond. 1649. 4.

§. 5.

Hoc ſceleſto codice confecto, mirum quot homines vaferrimus Muhammedes ad nefarium Islamiſmum pellexerit; quem certum eſt non tantum linguæ Arabicæ, quantum ſtudiis attuliſſe detrimentum. Cum enim ipſe ferro & armis longe lateque propagaretur, quod literarum ſplendori detriverat, id in lingua ejusque ampliatione voluit

*) Latet ſub hoc nomine A. *Mocenigo* Nobilis Venetus. N. B.

luit reſarcitum. Sic Aegyptum ſub Omaro, teſte Abulfaragio p. 112., ſic Perſiam ſub Oſmano docuit Arabice loqui non modo, ſed & ſcribere. Cæterum Omaro Chalifæ, qui ſecundus Muhammedi ſucceſſit, idem erga meliores quaſque literas, qui Pſeudoprophetæ, animus fuit. Nam cum *Amrus* illi ſubjugaſſet Aegyptum, & capta Alexandria, bibliothecam Regiam obſignaſſet, Johannes Philoponus Profeſſor Alexandrinus, illam ſibi aliiſque ſtudiis operam dantibus relinqui intactam poſtulavit. Amrus autem, quamvis Johanni hoc officio libenter gratificari vellet, injuſſu tamen Imperatoris, non auſus eſt huic petitioni ejus ſuffragari. *Itaque datis ad Omarum literis, notum ei fecit, quid dixiſſet Johannes, perlatæque ſunt ad ipſum ab Omaro literæ, in quibus ſcripſit. Quod ad libros, quorum mentionem feciſti: ſi in illis contineatur, quod cum libro Dei conveniat, in libro Dei* (eſt) *quod ſufficiat abſque illo; quod ſi in illis fuerit, quod libro Dei repugnet, neutiquam eſt eo nobis opus, jube igitur e medio tolli. Juſſit ergo Amrus Ebno'l As diſpergi eos per balnea Alexandriæ, atque illis calefaciendis comburi. Ita ſpatio ſemeſtri conſumti ſunt. Audi quod factum fuerit, & mirare.* ſcribente Gregorio Abulfaragio *Hiſt. Dyn. p. m.*

m. 181. Balnea illa fuiſſe numero MMMM. teſtatur Elmacinus in *Hiſt. Sarac. Lib. I. c.* 3.

§. 6.

Nec melius Walidus Chalifa XIII. Ommiadum autem VI., qui anno Arabico *XXCVI.* Chriſtiano autem DCCV. faſces ſuſcepit, literis conſultum voluit, cum, dicente Abulfarag. *p.* 201. *Chriſtianorum ſcribis, ne amplius Græce, ſed Arabice libros exararent, interdiceret.* Quod edictum utut illos tantum ſcribas, quos *notarios* vulgo adpellamus, ſpectaſſe exiſtimet Celeb. Pocockius, cum in verſione poſt *libros*, vocem *rationum* ponat; librum tamen ullum poſt illud Walidi edictum in terris Saracenici imperii Græce ſcriptum eſſe, nullo adhuc indicio fuit probatum. Hoc quoque tempore Romanam ſcriptionem penitus ab iis rejectam arbitramur, cum hucusque in monetis cudendis ſignandisque recepta fuerit. Anno autem Hegiræ LXXVI, qui reſpondet Chriſtiano DCXCV, moneta Arabice cudi cæpta, docente Elmacino in *Hiſt. Saracenica. Lib.* I. *c.* 12. Unde liquet ab illo ævo in patriam noſtram illatos eſſe numos Arabicos haud ita pridem Oerebroæ effoſſos, quorum meminit B. Schefferus in Upſalia Antiqua; item eos, niſi

iidem

iidem sint, qui jam inter acta Collegii Antiquitatum custodiuntur (vid. Catalogum lib., qui in Hist. & Antiq. Patriis sub imperio Clem. Regis Caroli XI. publicati sunt, edit. Holm. 1690.) unumque, qui duplici literarum Arabicarum ambitu ornatus penes me asservatur. De numis Arabicis plura reperies apud Hottingerum *de Num. Oriental.* item Morellum in fine *speciminis*, & tractatum de re Numaria Sveog. D. Eliæ Brenner, qui ab antiquitatum curiosis jam diu anxie expectatur.

§. 7.

Neque alius videtur sequentium Ommiadum Chalifarum erga studia animus fuisse. Quamvis enim legi, linguæ, ac medicinæ sub Ommiadibus operam dediſſe Arabes dicantur, Abulf. *p.* 246. nihil tamen horum ad sapientiæ cultum, artiumque studia pertinet. Medicinam enim ut saltem non spernerent, necessitas exigebat; quam tamen paucis notam fuisse fatetur Abulfaragius l. c. Doctrina autem Muhammedicæ religionis, cum juris civilis notitia & eloquentia, diligenter ut imbuerentur, inter sancita Muhammedis pœne præcipuum fuerat. Igitur Ommiadibus Chalifatum administrantibus, nullam, aut certe exiguam inter Arabes, jam

jam Islamismi fraudibus circumventos, scientiarum curam fuisse certum est.

At ubi Deus Hashemidas ad imperium evexit, & ad ipsos regnum transtulit, reversi sunt animi ab incuria sua, & experrecti intellectus à deliquio suo, docente Abulfaragio *p.* 246. Primus a. Hashemidarum Abu'l Abbas fuit, unde iidem postmodum Abbasidæ dicti. Ille anno Hegiræ Muhammedicæ CXXXII. Christiano DCCXLIX. Regni gubernaculis assidere cæpit, nec pluribus, quam annis IV. imperium administravit. Hunc secutus est Abu-Jaafar Al-Mansur A. Chr. DCCLIV., de quo ita Abulfaragius *pag: cit. Primus autem eorum, qui scientiis operam dedit, fuit Chalifa secundus Abu Jaafar AlMansur, qui præterquam quod legis peritia excelluit, Philosophiæ etiam studio incubuit, ac præcipue Astronomiæ*. Tertius Abbasidarum fuit Al-Mohdius; hic adeo poësi afficiebatur, ut Merwano pro LXX distichis, quæ recitaverat, numerari jusserit staterum LXX millia, teste Elmac. *Hist. Sar. lib. II.* 4.

§. 8.

Quintus fuit Harun AlRashid Ebno'l Mohdi, imperio potitus A.Ch. DCCXXCVI. de quo Elmacinus in hunc modum loquitur: *Quod ad naturam, summæ inter Chalifas*

lifas fuit humanitatis, & liberalitatis, maxime in Poetas; vehementer enim delectabatur bonis versibus. item: *Neque in aula ullius Chalifæ tot convenerunt consiliarii, judices, Docti, eruditi & Poetæ, atque in aula Rasiidi*; addit idem Elmacinus, *cum principe, dum peregrinaretur, centum doctos peregrinari solitos.* Floruit inter hujus Chalifæ medicos Johannes fil. Masawaihi (*vulgo Mesuæ*) Syrus, sed religione Christianus; cui commisit Raschid interpretandos libros medicos antiquos docente Abulf. *p.* 237. hunc summæ autoritatis habitum, Scholam Bagdadi instituisse; atque libros composuisse elegantes idem Abulfaragius testatur *loc. cit.*

§. 9.

Anno Ch. DCCCXIV. Chalifatum suscepit AlMamun, Harunis AlRaschidi filius. Is, Abulf. teste *p.* 246 *perfecit, quod exorsus fuit avus suus AlMansur, & scientiam locis suis quærere aggressus, cum Græcorum Regibus intercedens petiit ab illis, ut, qui apud ipsos essent, libros Philosophicos ad ipsum mitterent; qui cum ad ipsum, quos haberent, misissent, conquisitis ille interpretibus peritis, eos ipsis accurate vertendos imposuit, cumque qua fieri potuit diligentia versi essent, homines ad eos legendos incitavit,*

vit, eorumque perdiscendorum desiderium ingessit, ipseque doctis vacare, & eorum disputationibus interesse (solitus), *& eorum dissertationibus delectari.* Id quod Leo Africanus *in vitis Philos.* apud Hottingerum in *Bibliothecar. Quadrip. p.* 248. & Gerhard. Vossium *de Philos.* plenius sic narrat: *Iste Mamon immane quanto desiderio antiquorum scientias addiscere avebat: maxime cum eo tempore de nulla scientia quid Arabice conscriptum videret. Ideoque dictus Mamon congregavit complures, qui diversas linguas edocti essent: quæsivitque ex iis, tum Auctorum, tum librorum nomina, qui qualibet lingua, Græca, Persica, Chaldæa atque Ægyptia conscripti exstarent. Recensito itaque ingenti voluminum numero, multos ex iis, quos sibi familiares habebat in Syriam, Armeniam atque Ægyptum misit, libros sibi nominatos emtum; quorum sarcinas infinitas dein emtas attulere. Discretos itaque bonos atque utiles, in Medicina, Physica, Astrologia, Musica, Cosmographia, Chronologia, describi & transferri in Linguam Arabicam jussit. Versionis autem Græcæ curam Joanni, Mesuah filio, demandavit, quoniam illo tempore Christicolæ Græcis studebant literis, adjunctis ei quamplurimis aliis. E lingua vero Persica Mahan dictusque Mesuah, ejus jussu Galeni opera transtulere: quibus absolutis,*

tis, omnia Ariſtotelis opera Arabica Lingua ab iis, multorum etiam aliorum opera adjutis, donata ſunt. Huc faciunt etiam illa Georg. Elmacini in *Hiſt. Sarac. lib. I. c. 8. neque inter Abbaſidas quiſquam fuit eo eruditior, nec præſtantior. Didicerat egregie Aſtronomiam, & ventorum ſtationes. Unde & inter peritos hujus ſcientiæ, etiam nunc, notus eſt ventus AlMamonis.* Ita vertit Erpenius; Sed obſervant eruditi in editione Erpeniana pro الريح quod *ventum* ſignificat, legendum eſſe الزيج i. e. *tabula* vel *comparatio Aſtronomica.* Unde hunc Elmacini locum ſenſu commodiore ita reddunt: *didicerat egregie Aſtronomiam, & computationem Aſtronomicam, quæ inter eruditos hujus ſcientiæ etiamnum celebris habetur.* Vid. Golium ad *Alferg. p.* 67. & Hott. *Analect. p.* 240. De eodem AlMamone ſcribit Zonaras *Tom.* 3. *in Theoph.* quod a Theophilo, Imperatore Conſtantinopolitano, Leonem Philoſophum & Mathematicum mitti ſibi petierit, nec impetraverit. Fuit itaque AlMamon & literis, & litteratis hominibus Princeps ſine exemplo favens, quo nomine impenſe quoque illum laudat R. Abraham Zacutus *lib. juchaſin p.* 146. וימלוך מאמון בן רשיד אחיו תחתיו והיה אוהב החכמה ואוהב החכמים ואנשי השם; i. e. *ſucceſſit ei* (ſc. Al-Amino)

no) *Frater Mamon fil. Reschid, Philoso-phiæ, doctorum hominum et præstantium Virorum amicus summus.*

§. 10.

Inter alia opera, quæ immortalem illi gloriam pepererunt telluris est dimensio, quæ a celeberrimis ejus temporis Mathematicis in Babyloniæ campis, illo curante, instituta est; & observationes cœlestes, quæ, non minus ac tabulæ Alfonsinæ, in scriptis Astronomorum tam Arabum, quam Latinorum frequentissime laudantur. De his ita Greg. Abulfaragius *p.* 161. *Cum vellet AlMamun stellarum observationes fieri, ipsum* (Yahia Ebn Abil Mansurum Astronomum) *aliosque complures observationum, & instrumenta conficiendi peritos illud facere jussit: qui illud præstiterunt in loco Shemasia* (dicto) *in provincia Bagdadensi, & in monte Casio prope Damascum.* De eadem dimensione Mamonica vid. Abulfedam *in proleg. ad Geogr.* apud Golium ad *Alfrag. p.* 72.

§. 11.

Porro sub AlMamone העתקו ספרים רבים מלשון יוני אל לשון הערב *plurimi libri Græci in sermonem Arabicum translati sunt*, scribente R. Abr. Zacuto, in *lib. cit.* Quo ipso majus beneficium posteritati præstitit Al-

AlMamon, quam ut dignas illi grates unquam persolvere possit. Factum enim eo, ut, præter illos Græciæ Sapientes, qui nostro orbi innotuere, multi adhuc inter Arabes supersint, de quibus jamdiu etiam inter Græcos ipsos conclamatum est; adeo ut hoc, scribente Th. Erpenio *de L. Arab. p.* 14. *viros nonnullos eruditione apud nos claros moverit ut dixerint, si scientiæ Græcæ apud nos periissent, ex lingua eas Arabica restitui posse, ut certe superiore seculo, antequam literæ Græcæ florerent, non pauci scriptores Græci ex Arabismo in latinum sermonem sunt traducti, qui postea restaurata literatura Græca à summis viris suo sermone nobis communicati. vid.* eundem *in præf. ad Gram. Arab. ed. Leidæ* 1713. Joh. Gravium in *Præf. ad Abulfedæ Descript. Chorasmiæ & Mawaralnahræ.* Gesnerum *in Bibl. p.* 18. a. Sic Cel. Edwardus Pocockius in Orat. præf. Carmini Tograi. *Linguæ Arabicæ beneficio factum, ut non penitus perierint bonæ literæ, quam prope abest ut dicam? Vix ante seculum est, cum nullum e Græcorum Philosophis, Mathematicis, Medicis, nisi ex Arabico legerent nostri. Merito jam post captam Constantinopolin, Linguæque Græcæ cognitionem propagatam fontibus ipsis cesserunt lacunæ* (alludit, & occulte quasi respondet ad Magni Scaligeri verba, quæ ad-

ferimus infra cap. V.) *ſed ingrati ſimus, ſi non aliquem honorem iſti linguæ, vel eo nomine deferamus, cui tantum aliquando debuimus.* & poſt pauca: *Nec deſunt, qui ſi Arabum excuterentur ſcrinia, adhuc etiam plurimis, quæ e præſtantiſſimorum Græciæ ſcriptorum operibus deſideramus,* παλιγγενεσιαν *polliceri audent.*

§. 12.

Cum autem etiam poſt AlMamonis tempora Græcos libros Arabice translatos eſſe conſtet, hoc loco nonnullos ſub ipſo redditos recenſere lubet. De Apollonii Pergæi Conicorum libris ita loquitur Greg. Abulfaragius *p.* 41. *Translati ſunt ejus in linguam Arabicam tempore AlMamonis ſeptem tractatus, monſtrat vero proëmium octo eſſe debere,* Inter libros, quos ex oriente apportaverat Jacobus Golius, fuiſſe V. VI. & VII. id eſt, tres poſtremos Apollonii libros Arabice verſos, qui apud noſtros diu deſiderati ſunt, e Catalogo Bibliothecæ Leidenſis apparet; idemque Voſſius de *ſci. Math. p.* 55. confirmat, & Wilh. Schickardus in *præf. reſponſi de Mercurio ſub* ☉ *viſo.* Præterea Apollonii ſcriptum de Sectionibus Conicis ſe in bibliotheca Joh. Gravii vidiſſe teſtatur Hottingerus *Anal. Diſſ.* VI. *p.* 253. Porro AlMamonis juſſu ver-

versum Ptolomæi Almageſtum ſ. Μεγίση Συνταξις, & quidem ex Yahia Abu Zacharia, qui & Euclidem tranſtulit, docente apud Hottingerum *Anal. p.* 251, Muhammede Ben Iſaac; ſecus ac ex MS. codice Latino Almageſti docet Jac. Chriſtmannus, lib. de *Connexione annorum* cum Alfergani Elementis edito, *p.* 471. ibi enim hæc verba fuiſſe notata: *Liber hic præcepto Mamonis Regis Arabum, qui regnavit in Baldach, ab Abhazer fil. Joſephi, filii Matre Arithmetici, & Sergio filio Elbe Chriſtiano, in anno* XII. & CC. *ſectæ Sarracenorum, translatus eſt.* Ex Veterum Perſarum lingua, Hermetis Trismegiſti fragmentum, quod in Leidenſis Bibliothecæ MS. codice extat, ſpeciminis ergo in Arabicum ſub Mamone translatum docet Cel. Elichmannus in *Epiſt. de vitæ termino ad Joh. Beverovicium.* E lingua Chaldæorum libros plures tranſtuliſſe Ibn Vaſchia, Chaldæum, Muhammed Ben Iſaac refert apud Hottingerum *Anal. p.* 250. Idem Autor prolixum texit catalogum metaphraſtarum, qui ex variis linguis (ſc. Syriaca, Perſica, Indica,) libros eo tempore in linguam Arabicam tranſtulerint. An vero Latinos quoque libros reddiderint, ut quidam ſibi perſuadent, (vid. Th. Erpen. *de L. Arab. p.* 54. & *præf. N. Teſt. Arab.* Hottinger.

Anal. Diſſ. VI. p. 252. Bedwell. *Præf. in Epiſt Johan. Arab.* alioſque) haud immerito in dubium vocari poteſt tantiſper dum Latinum aliquod ſcriptum inter Arabes videre liceat laudatum. Verendum interim, ne fruſtra Juſtinianeum codicem Leunclavius, fruſtra alii Titi Livii libros deperditos in Lingua Arabica quærant. Subjiciam itaque adhuc Græcorum quorundam ſcripta ſub AlMamone & ſequentibus *Chalifis* in Arabicam Linguam translata, ſuntque Platonis opera, item Ariſtotelis libri, ab Avicenna & Alfarabio Arabice redditi, teſte Abulf. *p.* 61. Theophraſti item, quos e lingua Syriaca in Arabicam tranſtulere Yahia, Ebn Adda, & Ibrahim Ebn Tacwin Abulf. *p. cit.* Euclidis, quos Arabicos fecit Abuzaid Ben Honain, item Naſireddinus Tuſenſis, cujus eſt verſio Euclidis Arabica, quæ typis excuſa eſt; commentariis vero illuſtravit Thebet Ben Corra Anno ab Hegira Muhammedis 282. *Maronitæ de Morib. Orient.* Hippocratis; Dioſcoridis; Galeni, quos Albattanium in Arabicum convertiſſe Serapion autor eſt ap. Paſchalim Gallum de ſcriptis Medicorum. Ptolomæi, Pappi Alexandrini Libri Mathematici, Themiſtii & Alexandri Aphrodiſæi commentaria in Ariſtotelis Analytica poſteriora, quæ apud nos deſiderantur; item

item Comment. Themistii & ejusdem Al. Aphrodisæi in Poëtica Aristotelis, quæ tamen alicubi extare Venetiis Gesnerus monet; item eorundem explicatio in librum Arist. de Cœlo & Mundo: & in lib. de Generatione & corruptione. Ammonii in ejusd. Topica; Porphyrii, in librum Physicæ Acroaseos Aristotelis; Heronis *Barulcus* s. de movendis gravibus, libri tres in Biblioth. Leidensi inter libros Golianos; Archimedis; Theodosii Tripolitis libri de Figura Sphærica; Cebetis Tabula; item Patrum Opera, Chrysostomi, Basilii, Eusebii, Clementis Alexandrini, quæ omnia cum innumeris Patrum scriptis aliis in oriente, vel in Europam transportata adhuc superesse Cl. Ravius *in obtest. sua ad Europam Constantinopoli scripta p.* 10. Hottingerus *Anal. p.* 1. *p.* 254. *& Bibl. Orient. p.* 63. Golius in *Catalogo Bibl. Lugdun.* Gesnerus in *Biblioth.* aliique docent.

§. 13.

Eorum autem, qui libros ex aliis linguis in Arabicam transfuderunt, plures memorat Muhammed Ben Isaac apud Hottinger. *Anal. p.* 251. & inter eos Stephanum, qui jussu Chalidi fil. Jezid fil. Maviæ multa transtulerit; item Patricum, qui tempore & hortatu AlMansoris vertisse dicitur mul-

ia من الكتب القديمة *ex libris Vetuſtis*, & Honain Ben Iſaac, atque alios. In Bibliotheca Leidenſium liber Arabicus MS. extat, hiſtoriam Medicorum ſecundum gentes & ætates diſtinctam continens. Cujus nonum caput continet claſſem medicorum metaphraſtarum, qui libros Medicos alioſve tranſtulerint ex lingua Græca in Arabicam. Autor habetur Ben Caſem apud Seldenum *præf. Orig. Eccleſ. Alex.* Plurium Metaphraſtarum nomina reperies apud Hottingerum Biblioth. Orient. *pag.* 219. *ſeqq.* Quos omnes in vertendis Græcorum operibus nonnunquam haud ita fideles ſe præſtitiſſe, ſi quiſquam criminari velit; is cogitet, maximam verſionum illarum partem inferiori ævo Græciæ circa 900. annum, ideoque corruptiori exiiſſe, monente Cel. Salmaſio in *præf. ad Tab. Cebetis Arabice editam.* Inſignem autem injuriam interpretibus *iſtis* facit Ludovicus Vives, quod ſcribit Ariſtotelis, aliorumque Græcorum ſcripta, non ex Græcis translata eſſe fontibus, ſed Latinis rivulis. Ita enim habent verba ejus in de Cauſ. Corrupt. Art. lib. V. p. 179. *In qua transfuſione ex Græcis bonis facta ſunt Latina non bona; ex Latinis vero malis, Arabica peſſima.* Scire equidem debuit vir alias doctiſſimus, Latinos ex Arabibus Ariſto-

ſtotelem aliaque Græcorum ſcripta accepiſſe, non hos a Latinis, apud quos tum temporis ſpiſſa regnavit barbaries; quod non ignoravit ſuus æqualis Philippus Melanchton, quem propterea laudamus *Cap. V.*

§. 14.

Porro iſthac ætate non modo eruditi affatim ſuppetebant, qui libris Arabice vertendis operam dedere, ſed & plurimi inter ipſos Arabes propria, eaque longe doctiſſima ſcripta elucubravere. Quorum nomina (ſed præcipuorum tantum, nam omnes recenſere infiniti foret laboris) ſimul & ætatem in brevi quaſi tabella repræſentare non erit ab inſtituto alienum.

Paulo ante Mamonem, nempe ſub Harune Rashido An. Arabum CXC. Ch vero CCMV. natus eſt Abu Temam, Poëta excellentiſſimus, qui veterum Poëtarum floſculos excerpſit, unoque volumine exhibuit, quod vocatur Alhamaſah; In hoc commentarium ſcripſit Marzuchi. A. Ch. CCMIIX illo ipſo, qui Haruni fatalis fuit, quoque Chalifatum ſuſcepit AlAminus, mortem obiit Al Jauharius celeberrimi illius Lexici, quod Jacobus Golius, in ſuo concinnando potiſſimum ſequendum duxit, Autor. A. Ch. CCMXV. ſub Ma-

mone Thaalabus Grammaticus natus eſt. A. Ch. CCMIXX vita abiit Muhammed Ebn Edris Alshafejenſis, Philoſophus inſignis & omnimodæ eruditionis penu. Mamonis XV. obiit Ebn Hesham, Hiſtoricus celebris, qui librum de Hamyatenſium ſ. Homeritarum genealogiis & Regibus reliquit. Porro ſub Al-Mamone, AlMo'taſemo, ejusque filio Ahmede floruit etiam Jacobus Abu Juſeph filius Iſaaci Cendæus, Alkindus vulgo dictus. Philoſophus hic erat celeberrimus, qui libros quoque nonnullos in Matheſi conſcripſit, quorum inter libros Bibliothecæ Lugduno Batavæ unus extat de metiendis agens diſtantiis. Anno Chriſti CCMXXXIII Mamoni defuncto in Chalifatu ſucceſſit AlMo'taſemus, ſummus Medicorum, ſi R. Abrah. Zacuto *in Juch.* credimus, amator. Cujus ætas, ſi quæ alia, nobilium ingeniorum ferax fuit. Inter alios ſub eo vitali aura frui cæperunt Thebet Ebn Corra Sabæus; Saidus Batrikides, & AlTabarita, quorum hi Hiſtorici laudatiſſimi, ille inſignis eruditionis Medicus, Mathematicus & Philoſophus fuit. Sub Alwatheco Chalifa Abu Ma'ſher (vulgo Albumaſar & Abumaiſar) Aſtronomus celebris floruit. Qui obiit anno Heg. 272. Ch. 885. Selden *præf. Eutych. Alex. Eccleſ. Orig.* Regnante AlMutewaccelo claruiſſe etiam

etiam viros excellenter doctos atque eruditos ex Hist. Saracenica Elmacini discimus. Al Mo'tamedo imperante Honain Isaac Abadita Medicus floruit; Albattanius (vulgo *Albategnius*) Arraccensis observationes suas auspicatus est, & Alfraganus (rectius *Alferganus*, *à Fergana* urbe natali ad fluvium Jaxartem) sua Elementa Astronomica, quæ illustri cum commentario lucem non ita pridem publicam adspexere, edidit. Quos ad Ptolomæum aliosque veteres Astronomos legendos facilem aperuisse viam Cel. Gravius testatur in *præf. ad Shah Cholgium*. A. Ch. CMII. imperium administrante Al-Moctasio floruit Abu AlRihan Albirunius, Mathematicus eximius, qui canonem (Ptolemæum imitatus) Geographicum concinnavit, omniumque Geographorum sui temporis industriam longe superavit, teste iterum celeb. Gravio, *præf. ad Nasireddini & Ulugbeighi tabb. Geogr.* De eodem eximia prorsus scribit Abulfaragius *p.* 229. Sub Alkahero vixit Ebn Amid, Imperator exercitus Rucnoddaulæ, quem ita laudat Mutenabbis Poeta apud Golium *not. in Alferg. p.* 37. *Arabica erat e lingua, Philosophicus intellectus ejus, & Persica ipsius festa.* Alkahero abdicato successit Al Radi Billa, Imperator Doctus, Poeta magnæ eloquentiæ, munificus, liberalis,

Do-

Doctorum, & præſtantium Virorum colloquiis, eorumque conſeſſu gaudens, ac multis virtutibus præditus, teſte Abulfaragio in ejus vita, & Elmacino in *Hiſt. Sarac. pag.* 207. Illo regnante vixit Abu'Naſr AlPharabius, Philoſophorum inter Arabes facile princeps, & Medicus inſignis, a quo Avicenna multa deſumſit, ſi Gabrieli Sionitæ credimus in *de urb. & morib. Orient. cap.* 13. Bagdadi Philoſophiæ ac Medicinæ ſtudia ſumma cum laude profeſſus eſt, quamquam non ex hac, ſed de *Farab* Turcomanniæ non ignobili urbe oriundus. Poſt longos labores in Meſopotamiam ſe recepit, ubi Ariſtotelis de auditu librum nactus, quadrageſies perlegit, eidemque ſuperſcripſit: *Vellem iterum legere.* Ita Sion. *de Urb. Or. p.* 16. & Ebn Chalecan, apud Hotting. *Anal. p.* 308. Idem Alfarabius vix Ariſtotele ipſo inferior habitus eſt, quem cum quidam interrogaſſent *ede nobis, uter doctior tu, an Ariſtoteles?* tulerunt reſponſum tanti Viri eruditione & modeſtia dignum: *ſi illum magiſtrum aſſecutus eſſem, omnium, quotquot unquam habuit, diſcipulorum maximus eſſem.* Ex Meſopotamia Damaſcum profectus mitem ibi principem invenit Saifoddaulam, qui poſtquam cognoverat, quem in ſcientiis omnibus gradum obtineret, quantumque intellectu polleret, ipſum

ipsum dignitate & honore affecit, usque dum Damasci moreretur A. Heg. CCCXXXIX. Chr. CML. Abulfar. *p.* 208. De Eodem Saifoddaula Alepi Domino ita scribit Elmacinus *Hist. Sarac. Lib.* 3. *c.* 4. *Eratque habitaculum ejus Synagoga virorum Doctorum, & aula Domicilium liberalitatis, & receptaculum eruditorum & Poetarum. Nec quisquam ab aula ejus recessit, quin benignitatem ejus laudaverit. Erant autem in aula ejus multi Poetæ: & inter alios quoque Mutenabbis, qui in Diwano suo, septem de eo habet carmina: Item Abulfarhus Alwawas, & Chalidæus ac Abulfarhus Albagas, multique alii. Quin & ipse bonos fecit versus.* Sub Almotio e vita discessit Grammaticus excellentissimus, Abu Jaafar Ahmed Ebn Muhammed, qui cum Abu Abbate Ahmed Ebn Abdollahi & Marzuchi in septem Moallakat scholia elucubraverat. Sunt autem Almoallakat poemata selecta ex septem his autoribus, Amriol Kais; Tarafah; Zohair; Labid; Antarah; AlHareth; Amru Ebn Calthum; alias Almodhahabat, i. e. *aurea* vel *deaurata* dicta, quod panno serico Ægyptiaco auri liquore inscriberentur. Pocock. *not. Spec. Hist. Ar. p.* 381. Obiit quoque sub hoc Imperatore AlMutannabi Poetarum Arabum princeps, & literis & armis præstantissimus, qui natus fue-

fuerat in vico Cufæ Cendah A. Ch. 915. Floruit etiam illo tempore Abu Naſr Commita, qui de inſtructionibus in Aſtrologiam librum conſignavit. Anno ab Heg. CCCLXIII. illo ipſo, quo AlMotio ſucceſſit Altayeus, naſcitur Abul Ola AlMoarri, Poeta celebris, cujus carmen elegans cum verſione orbi noſtro dedit cel. Golius in Gram. Erpenii & in *Spec. Arabico* cl. Fabricii. A. Heg. CCCLXX. Abu Ali AlHoſain Ebn Sina Alſchaich AlRaiis; (vulgo *Avicenna*), Bocharita, (falluntur enim qui Cordubenſem vel Belchenſem fuiſſe putant) naſcitur. Is omnium ſtudiorum ſuorum gradus evaſerat, antequam XVIII. ætatis annum attigiſſet, ut legere eſt ap. *Abulf. p.* 231. ubi fuſe ſui ipſe vitam atque hiſtoriam deſcribit. Manethis errores refutavit teſte Abulfar. *p.* 83. Libros fere centum compoſuit, referente Ebn Caſem apud Gabr. Sion. *lib. cit.*, inter quos fuere de Medicina plurimi, de Philoſophia, & eloquentia nonnulli, epiſtolæ item familiares, & carmina tum de anima, tum etiam de ſanitate conſervanda. Figmentum eſt, quod nonnulli, tam glorioſam illi famam invidentes, tradunt, eum, excellentis cujusdam Medici, cui famularetur, ſcripta, clanculum exſcripſiſſe, ipſoque mortuo vulgaviſſe, atque tantam exinde fa-

famam ſibi comparaviſſe. Cum annos 58. impleſſet, mortuus eſt Hamadani A. Heg. CDXXVIII. defunctoque ſequentes verſus ſcripti ſunt: (Abulfar. *p.* 354.)

Non profuit AlRaiſo de ſapientia ipſius Medicina;
Neque ipſius in ſyderum (ſcientia) *peritia.*
Non ſanavit ipſum (liber ſuus) *Alſhepha* (i. e. ſanitas
Nec liberavit ipſum (liber) *Alnajato* (i. e. liberatio.)

Sub Alkadero Billa, paulo ante annum a nato Salvatore milleſimum Mebſiirus Fatikides inter Ægypti Arabes floruit, qui ſcholia in Hermetem Triſmegiſtum Arabice verſum conſcripſit, A. MXXX. Abu Rihan Chowarezmita, qui Canonem in Matheſeos ac aſtrorum intelligentiam reliquit. Imperante Alkayemo, circa A. H. CDXXXVII. Alkodajus Hiſtoricus vixit. Natus autem eſt A. H. CDXLXI. AlHariri, qui Pocockio, in calce notarum *ad Spec. Arab.* autorum Arabum elegantiſſimus, & liber quem ſcripſit, & المقامات vocavit, elegantiarum Arabicarum penu locupletiſſimus audit. A. CDL. naſcitur Al-Gazalius Tuſenſis; qui librum احيا علوم الدين compoſuit, quem Abul Fadli Ahmed

med Ebn Muſa in compendium redegit. Mortuus is eſt A. H. DV. Multa præterea, & præclara ſcripſit, ut in aliis diſciplinis, ſic in Philoſophia. A. H. CDLXVII. quo AlMoctadi Chalifa in locum Kayemi ſucceſſit, Shareſtanius Philoſophus Scholaſticus, & AlZamachſarius, commentarii in Alcoranum, quod AlCeſhaf vocatur, autor, naſcuntur. A. Heg. DXV. Imperante Chalifa AlMoſtarſhedo Abu Iſmael AlHoſain Poeta, alias Tograi dictus, periit. Ejus Poema Lamiato'lAjam non ita pridem editum eſt ab Edwardo Pocockio Oxon. in 8. Paulo poſt, AlMoctafio Chalifatum tenente, Almotarezzi, autor Lexici, quod AlMogreb vocatur; item Phacroddin Rhazi multis ingenii monumentis, ac præcipue celebri in Alcoranum commentario, clarus, & Ebnol Athir, uterque, fratres & Hiſtorici inſignes nati ſunt. Floruit etiam ſub illo Al-Edriſi, Geographus excellens, cujus librum, *egreſſio cupientis ad paragrandas terræ regiones*, MS. ex Syria advexit Edw. Pocockius (ipſe in *not. ad Spec. Arab. p.* 128.) & ex Ægypto Joh. Gravius (*ipſe in præf. ad tabb. Georg. Naſireddini*) qui Pocockiano & antiquior & in multis emendatior, teſte ipſo Pocock. *l. c.* Ejus epitomen eſſe Geographiam, quæ Romæ Arabice prodiit, quamque verſione

sione Latina donarunt Maronitæ Parisiis A. 1619. iidem Doctissimi viri, nec non Nobil. Ludolfus *Comm. in Hist. Æth. p.* 22. cum aliis nos instruunt. Sub AlNasero A. H. DXCV. Ch. 1198. Maroccæ diem obiit magnus ille Philosophus & Aristotelis commentator, Averroës, Cordubensis, Arabibus *Ebn Roshd* dictus. De illo plura leges apud Leonem Afric. *de vitis Philos.* Erpen. *de Ling. Ar. p.* 80. Pocock. in *elencho scriptor. Arabum notis speciminis subjuncto, & illo Epistolæ Abi Jaafar Ebn Tophail præfixo.* Nascitur autem biennio post Nasireddinus Tusensis, vir, teste Joh. Gravio *præf. ad hujus autoris tabb. Geogr.* apud Persas magni nominis, & qui Geometriam ac Astronomiam ea diligentia excoluit, ut præclarisMathematicis antiquis, si non præferendus, saltem conferenduseſſe videatur. Quid præstiterit tabulis suis, quid præterea scripserit, quantumque in omni scientiarum philosophicarum genere versatus fuerit, vide sis apud Abulfaragium *p.* 358. & Gravium *l. cit.* item Salmasium *præf. ad Diatr. de annis Climactericis.* A. H. DCVIII. Ebn Chalican Historicus celeberrimus nascitur. Obiit vero A. H. DCXVII. Muhammed Ben Casem, Historicus itidem, qui librum titulo: *Hortus rerum delectabilium*, scripsit. Sub AlMostasemo Chalifa-

rum Abbaſidarum ultimo floruit Muhammed Ibn Abdillatif, qui de plantis Ægyptiacis earumque virtutibus A. H. DCXLVI. librum compoſuit. Eodem anno Damaſci obiit Ibn Beitar, Medicus excellens, totiens Abenbitaris titulo laudatus, Doctiſſ. Bocharto in Hierozoico ſacro: A. H. DCXXII. quo tempore rerum ſumma penes Hulacum Ilechanum, Moſtaſemo devicto reſidebat, obiere Naſireddinus ſupra dictus, atque Othman Abu Omar, Grammaticus inſignis, qui *Caſiam* atque *Sciaſiam* de Grammatica ſcripſit, teſte Gabr. Sion. *lib. cit. c.* 5. Natus autem eſt Abulfedas, Hamæ, quæ Syriæ urbs eſt, Princeps. Is & Hiſtoriam & Geographiam reliquit. Hanc Erpenius & Schickardus edidiſſent, niſi immatura morte, in medio ſtudiorum curſu, fuiſſent abrepti. MS. habuere Gulielmus Poſtellus; (*ipſe in præf. ad compend. Coſmogr.*) Sebaſtianus Tegnagelius C. thaleris emtam. (Schick. in *Tarich. Reg. Perſ. p.* 186.) Cel. Edw. Pocockius, ut ipſe teſtatur *in notis ſpecimini Arabico ſubjunctis, p.* 36. & alii. Agmen claudet, quem toties laudavimus, Gregorius Abulfaragius, Hiſtoricus, ſi quisquam, ob fidem & adcuratam diligentiam laudandus; unde & paſſim apud ſuos *Rex Doctorum*, *corona excellentium*, *ævi decus*, & *ſeculi*

Pha-

Phœnix audit. Præter Hiſtoriam univerſalem, quam edidit in Anglia Edw. Pocockius, Grammaticam quoque Syriacam & multa alia compoſuit. Floruit autem paulo ante id tempus, quo Ottomannidæ rerum potiti, literas Arabicas, quæ tot jam ſeculis viguerant, penitus exſcidere.

§. 15.

Præter jam recenſitos plurimi etiam alii fuere inter Arabes viri longe doctiſſimi, qui ſcriptis & libris eruditis, gentem ſuam patriamque illuſtrem reddidere. De quo ut minus dubitemus, eorum facit induſtria, qui vel vitas eruditorum Arabum ſcripſere, vel nomine tantum tenus eosdem enumeravere. Quales ſunt inter Arabes ipſos Jacutus Hamathæus, qui vitas Philologorum in genere exhibet; Grammaticorum, Sejutus & Ahmed Kiſæus; interpretum Alcorani Sejutus; idemque Theologorum Theoreticorum, & Poetarum. Ebn Chalecan Hiſtoriam ſcripſit virorum illuſtrium, qui floruerunt ſub Arabum imperio; Ibn Chaldun de variis Arabum antiquitatibus, imperio, & doctrina librum reliquit, qui exſtat in Biblioth. Leidenſi. Ibn Sebekus Arabum ſapientum claſſes reliquit. vid Hotting. *Bibl. Or. p.* 274. Aben Aſſebhy ſcripſit de vitis virorum Doctorum. Aben

Alhafli de vitis Philoſophorum. Ibn Caſta Hiſtoriam Philoſophorum. Ben Caſem Hiſtoriam, quam Viridarium appellat; cujus libri argumentum exhibet Cel. Hottingerus *Anal. p.* 292. Aben Nedin Philoſophorum Arabum indicem; Nuveirius Bibliothecam Arabicam; Abulfergius catalogum librorum Philoſophicorum, Mathematicorum, & Medicorum qui primis CD. annis Hegiræ compoſiti fuerunt vel verſi; quibus addi poſſunt alii non pauci. His accedant qui ſpeciatim vel Medicorum, vel Mathematicorum, aliorumque vitas ac nomina annotavere; ut Razis in opere quod الحاوي *complectens* vocatur; item Ebn Abi Öſaibea, qui de medicorum vitis hiſtoriam conſignavit. Inter Europæos autem Athanaſius Kircherus. qui *in Suppl. Prodr. Copti cap. X. p.* 160. Mathematicorum, aliorumque Philoſophorum Arabum integrum exhibet catalogum; Joh. Henricus Hottingerus, qui Bibliothecam Arabicam dedit in *promt.* ſ. *Bibliotheca Orient. p.* 58. cui pro appendice adnexuit Catalogum librorum MS. Bibliothecæ Laurentinæ in Eſcuriali Regis Catholici, confectum a Licentiato Caſtillio, item eorum, quos Bibliothecæ Leidenſi legavit J. Scaliger; & Bibliothecæ Th. Erpenii, atque Baptiſtæ Raimundi.

§. 16.

§. 16.

Quin & immensa librorum copia, qua Arabes etiam supra Græcos & Latinos luxuriare, Cl. Erpenius *in præf. N. Test.* Arabice a se editi testatur, evidenter evincit, studia istis temporibus ab Arabibus eximia diligentia fuisse exculta. Non loquor de iis libris, qui in Europam advecti sunt; quorum tamen numerum haud exiguum esse suo loco videbimus: sed de illis, qui in Oriente adhuc asservantur. *A testibus oculatis*, ait Vir celeb. modo laudatus in Orat. de L. Arab. p. 35. *& fide dignissimis habeo, in una Bibliotheca Fessana triginta duo millia voluminum Arabicorum asservari.* Et Orat. II. p. 64. *Scripsit Constantinopoli D. Haga Illustrissimorum ordinum nostrorum apud Imperatorem Turcicum legatus, duas esse ibidem Bibliothecas Arabicas, quarum singulæ æstimantur centum ducatorum millibus, i. e. ut loquimur, quatuor auri tonnis: unam autem, quæ quadringentis æstimetur ducatorum millibus, i. e. sedecim tonnis auri. Quinque aut sex anni sunt; quod Regis Maroccani Bibliotheca Arabica à Nearcha quodam Massilienſi improbe in Hispaniam avecta, & in Regis Hispaniarum Bibliothecam translata fuit. Ea referente ipsiusmet Regis Maroccani legato, Codicibus justis & distin-*

distinctis constat septem mille & octingentis. Fuit etiam Tuneti Bibliotheca eximia, de qua Paulus Jovius lib. XXXIV. *In ea arcis direptione tria incomparabilis jacturæ detrimenta Mulcasses deploravit. Arabicorum voluminum imprimis, quæ conturbata atque direpta Bibliotheca perierunt. Asservabantur enim antiquissimi codices, non disciplinarum modo omnium præcepta, sed superiorum etiam Regum res gestas, & Muhametanæ superstitionis interpretationem continentes: quos Rex ipse postea, me audiente, se unius urbis pretio, si fieri posset, avide redemturum differebat.* Bibliothecæ Collegii Mostanserienſis meminit Abulfar. *p.* 342. Autor Archontologiæ Cosmicæ *Lib. II. p.* 677. *Haud longe*, inquit, *à cubiculo magni Turcarum principis cœnaculum amplum est, in quo servatur Bibliotheca variis & curiosis libris instructissima, qui omnes eleganter ligati compactique sunt, & hæc sigillatim appellatur Bibliotheca principis. Est enim etiam alia, in usum nobilium puerorum, & ministrorum aulæ, plena voluminibus omnium artium & linguarum.*

§. 17.

Hinc, inquam, æstimare licet, quam gnavi illa tempestate Arabes fuerint ad lite-

ras

ras omnis generis, artiumque ſtudia excolenda. Computa, Erudite Lector, quantum librorum dederint univerſi, cum ſinguli ſæpe centurias, quid? non raro aliquot millia voluminum conſcripſerint. Ahmed Ebn Edris Sanhagius apud cel. Hotting. *Anal. p.* 234. ita ſcribit: *Illa enim* (ſc. gens Arabum) *tot ſcientiarum compoſuit* (ſyſtemata) *quot nulla unquam religio, adeo ut doctus quidam, & inſignis Eremita mille, quorum quiſque ſuos habet Tomos, in diverſis ſcientiis conſcripſerit libros.* De Ebn Elbia refert Chalecanides, *quod libros conſignaverit mille & quingentos*, & de Abu Amru Ben Ela, quod *hominum Doctiſſimus fuerit in Ethicis, Philologicis, Alcorano & poëſi, libris autem, quos conſcripſit, de ſcientiis, ſuam impleverit domum ad tectum fere uſque.* De Abu Obeida, quod *tractatus dederit ducentos propemodum.* De Dejaddino, quod *de Shaphæorum religione reliquerit commentaria, viginti contenta tomis, nec tamen plane abſolviſſe.* Hæc vero minime a veritate eſſe aliena, extantia hodieque Arabum monumenta abunde comprobant. Neque Arabum nomine jam intelligo gentem ſolum illam, quæ جزيرة العرب uti Abulfedæ & aliis Geographis Arabum adpellatur, id eſt, peninſulæ

ſulæ illius terminis concluditur, ſed omnes illas regiones, quas cum gladio & lingua Arabica religio Muhammedana longe lateque pervaſerat. Perſiam dico, Ægyptum, Barbariam, Numidiam, Hiſpaniam &c. quæ omnes eruditionis ſplendore ac jubare, quod apud Arabes primo, Chalifis illorum omni in id incumbentibus ſtudio, illuxerat, reſperſæ ſunt, colluſtratæque. Quarum ſi quis ſtudia ſpeciatim cognoſcere lubet, multa de iis apud Hermannum Conringium in Antiquitatibus Academicis, eisque adjectis ſupplementis, atque alios, inveniet.

§. 18.

Qui hanc eruditorum inſignem copiam ac multitudinem conſideraverit, non mirabitur, innumeras quoque Scholas, Academias, ac Lycæa per illa tempora in ampliſſimo Arabum imperio erecta fuiſſe conſtituraque. Quorum illuſtriora, quia ſic fert occaſio, hic enumerare non erit nobis ſenio. Illuſtriora dico; nam prius ſolem condam, quam omnia recenſuero. Incredibile enim eſt dictu, quantum ſcholarum illa ætate per Aſiam, Africamque enatum ſit; neque temere celebrior aliqua urbs fuit, quin eadem nobiliſſimis fuerit ſcholis exornata. *Arabes*, ait Cel. Erpenius

nius *Or. de L. Ar. p.* 30. *in singulis fere civitatibus suis nobilioribus Academias habuerunt florentissimas, virisque in omni scientiæ & literarum genere oppido quam versatis instructissimas.* Et Orat. II. p. 52. *Saraceni usque adeo fuere literis & studiis addicti, ut solum illud imperium plures & nobiliores Academias habuerit, quam totus unquam reliquus habuit orbis. Dubitatis ea de re? Legite Joh. Leonis de Africa librum, videbitis in sola ea orbis parte ad triginta celebres fuisse Academias; & longe plures habuit Asia, in iis enim tractibus, in quibus vix literas unquam noviſſe homines arbitramini, iis, inquam, qui Sinarum Regno, & Indiæ sunt vicini. Nullæ autem aut raræ eorum fuerunt Academiæ, in quibus non aliquot millia fuere studiosorum & Professorum, ac illustrium virorum, in omnibus facultatibus magnus numerus.* In Babylonia, quam Iracam Arabes adpellant, Cufam, Basoram, atque Bagdadum Scholis florentioribus abundasse constat; de quarum Ultima sic Maronitæ in de Urb. & Morib. Orient. cap. 2. *Urbs hæc nobilis est scholis, quæ omni scientiarum genere floruerunt.* Et Greg. Abulfaragius scholas Bagdadenses a Chalifa Almostansero restauratas fuisse scribit *Hist. Dyn. p.* 315. Exstruxit quin etiam de novo collegium ibi quoddam AlMostanser, de quo

idem Abulfaragius, quæ adferantur, digniſſima ſcribit: *Exſtrui etiam juſſit collegium quod AlMoſtanſeriah audit, cui non aliud in mundo par exſtructum eſt. Exſtructum ſiquidem eſt optima, quæ deſcribi poteſt, ratione, quod ad formam, materiam, amplitudinem, ornamenta, ſtudioſorum numerum, & reditus ei aſſignatos. Prælectoribus ſalaria menſtrua conſtituit, paniſque & cibi, quantum unicuique ſtudioſo ſufficeret, & amplius. Exſtruxit etiam illis intra collegium balneum ipſis proprium, & Medicum aſſignavit peculiarem, qui quotidie mane accedens illos inviſeret. Apothecam etiam, in qua eſſent omnia ciborum parandorum genera, aliamque, in qua omnia potulentorum, & medicamentorum.* Tradit porro p. 316. *nullum fere diem præteriiſſe, quin in collegium inſpiciens, quomodo ipſum, & quomodo ſtudioſorum res ſe haberent obſervaret, ipſosque intueretur, atque in ſtatum eorum inquireret.* De Cufenſi & Baſorenſi ita Cel. Erpenius Comment. ad Giarum p. 6. *fuerunt autem olim Cufa & Baſora, nobiliſſima & ampliſſima Aſiæ oppida, Academiis florentiſſimis gaudentia, quarum Profeſſores in pleriſque Controverſiis tum Grammaticalibus, tum aliis, haud aliter diſſenſerunt, atque in doctrina ſcholaſtica Thomiſtæ & Scotiſtæ.* In Syria, & quidem Damaſci nobilem quo-

que

que ſcholam fuiſſe, Ben Caſem teſtatur, dum Muhammedem Abi Abdillah publice hac in urbe Philoſophiæ ſtudia profeſſum aſſerit apud Maronitas *lib. cit. c.* 4. In Perſia Corcangh, Choraſmiæ metropolin, ſcholis frequentem fuiſſe tradit ex Arabſiade Cel. Hottingerus *Hiſt. Eccleſ. Sec. XV. p.* 673, In Ægypto Alexandriæ atque Alcairi multa admirandi operis collegia, atque Μυσεια ſub ipſis etiam Mamaluchis exſtructa fuiſſe, paſſim docet Leo *in Deſcr. Africæ.* vid. imprimis *Lib. VIII. c.* 4. & 17. In Barbaria plures, Hubeddenſis, Sigilmeſſenſis, Conſtantina, Tunetana, Tripolitana, Feſſana, & Maroccana memorantur; quarum duæ poſteriores, præ cæteris clarorum ingeniorum ubertate excelluiſſe videntur. Hic enim libri immenſæ copiæ, hic plurima, eaque ſplendidiſſima Muſarum ædificia, hic alia doctorum veſtigia innumera, autore jam ſæpius in teſtimonium vocato Leone in *Africæ Lib.* 3. *c.* 24. & *Lib.* 2. *c.* 45. & Nic. Clenardo in *epiſtolis ſuis* paſſim. Porro poſtquam Saraceni Hiſpaniam armis ſuis occupaverant, quod contigit A. H. XCVI. Chr. DCCXIV, Walido Chalifatum tenente, etiam illa ſcholis doctiſque repleta eſt; ut evidenter liqueat, quocunque imperium Arabum ſeſe porrexerit, quocunque arma

eorum

eorum penetraverint, eodem eruditionem quoque eorum radios suos diffudisse.

§. 19.

Eruditionem autem illam ne quis existimet intra unius tantum alteriusque disciplinæ terminos substitisse, quicquid uspiam scientiarum bonarumque artium, quicquid uspiam doctrinæ extitit, id apud Arabes tum viguisse certum est. *Nihil*, ait Cel. Pocockius in notis ad Spec. Arab. *in ullo literarum genere intactum reliquerunt. Nihil habuit Græcia eximium, quod non suum fecerint, de suo quæ non acceperunt, multa non minus eximia protulerunt.* Et in Orat. præfixa Carm. Tograi. *Hoc fidenter asſero, quod ad humaniores disciplinas attinet, non magis Arabes aliarum linguarum ope indigere, quam Arabicæ alias; nec pauciora habere eos, quæ alios doceant, quam quæ ab illis discant.* Sic D Jordanus Edenius ὁ μακαρίτης in Epist. ad Hottingerum. *Nec literarum gloria eos* (sc. Arabes) *reliquis cessisse, magno consensu plurium seculorum historiæ testantur, ut nihil pæne lectionem Græcorum Latinorumque scriptorum nobis commendare possit, quod non eodem sibi jure vendicent Arabum libri.* Imo usque adeo nullam libera-

beralioris eruditionis partem reliquam fecerunt, ut scientiæ liberales riteque institutæ peculiari nomine studia Arabum, & Arabica studia vocari cœpta sint ab Europæis, a quibus tum exulabant, tanquam genti huic unice propria. Vid. Selden. *not. ad Eutych. p.* 156.

§. 20.

Et primo quidem vix dici potest, quanta cura diligentiaque Theologiæ suæ incubuerint. Versabatur autem præcipue illa circa Muhammedicæ religionis placita, quæ Alcorano maxime continebantur. Huic recte intelligendo, huic dextre interpretando, haud pauci annos suos ætatemque insumserunt, testantibus abunde scriptis monumentisque eorum, quæ in hoc argumento longe plurima, eademque luculentissima extant. Conf. Bibl. Orient. Hottingeri.

§. 21.

Sic juris quoque disciplinam summo fuisse studio cultam, ex codicum MS. in eo argumento copia, satis superque constat; Non Romani quidem; neque enim illud Orientalibus illis populis cognitum fuit; sed naturalis & Civilis; ex naturalibus nempe & positivis gentium, ac Muhammedis, aliis

aliisque conflati. In quo excolendo tot insignes viri operam collocarunt, ut juris scriptores CL. enumeret Ben-Sidi Ali in suo de dogmatibus Moslemanorum libro vid. Gabr. Sionitæ *tract. de Urbib. & Morib. Orient. Cap.* 13.

§. 22.

De Medicina non est quod multa in testimonium adferamus, cum unicuique constet longe illam excellentius ab Arabibus, quam a quibuscunque aliis gentibus excultam fuisse. Ex uno Avicenna cuncta hujus ævi remedia manare diserte fatetur Joh. Heurnius in dissert. de stud. Medic. & praxin Arabum infinitis modis excedere praxin Veterum Græcorum, Savilius gravis autor est apud Pocockium *in Orat. præmis. Lamiato'l Ajam.* Si Avicennæ omnia e medio tolli deberent, non tantum paginas, sed integros tractatus, sed libros quoque recentiorum eadem opera tollendos ait Cel. Kirstenius ad *Lib. II.* quem Breslæ edidit, *Canonis Avicennæ.* Unde concludit (*loc. cit.*) hunc Canonem tanquam verum artis Medicæ συστημα merito in omnibus bene constitutis Academiis, Medicinæ studiosis diligenter prælegendum. Sic Erastus de Causis M. p. 99. *Arabibus debetur restitutio Medicinæ in Europa* & *p.* 103. Arabes vocat

cat *ingenioſiſſimos & doctiſſimos.* Jac. Sylvius præf. in Meſuem. *Arabes præclara multa remedia à ſe inventa, multo uſu probarunt.* Conf. Th. Erpenium *Orat. de L. Ar. p.* 32. & 57. Chr. Ravium *paneg. I. p.* 35. & *II. p.* 19. P. Kirſtenium *præf. in Gram. Arab.* M. Paſorem *Orat. de L. Arab.* Waſerum in *Com. ad Mithrid. Geſneri p.* 94. Hackſpanium *præf. in Leg. Muh.* Non ignoramus tamen eſſe, qui prorſus contrarium de Arabum Medicis ferant judicium, quaſi videlicet omnia, quæcunque egregia & utilia prodiderunt, ex ſcriptis Græcorum excerpſerint: quæ autem minus ſibi conſtent, ex ſemet habuerint, & proinde ipſorum ſcripta in ſcholis Medicorum prorſus ſupervacanea eſſe. vid. Fuchſius in *Inſt. p.* 8. 553. 754. & qui in ipſum eſt commentatus, D. Stupanus. Crucius in *Orat. II. de L. Græcæ Utilit.* & Garcias Lopius, Luſitanus, qui *comment. de Var. Rei Med. Lectione cap. X. & paſſim* in Arabes haud parum eſt injurius; quem una cum cæteris Arabiſmi imperitis, & nihilominus calumnioſa ſua de Arabibus judicia præcipitantibus, ad Doctiſſ. Pocockium ablego; qui juſtam in eos ſententiam pronuntiat in Or. de L. Ar. Non deſunt interim ab altera parte Kirſtenii, (*vid ejus præf. ad Gr. Arab.*) Golii, (*Voſſius in Orat. funebr. in obit. Erpen.*

pen. p. 18.) Elichmanni, (*Salmaſius in praf. tab. Cebet. & Rav. paneg. I. p.* 12.) Bootii, atque Deuſingii (*effigies & Vitæ Profeſſorum Groning.*) aliique Doctiſſimi Viri, qui rivulos ad fontes reducere, limoque relicto margaritas colligere norint. Inveniunt Arabes non Ungeros modo, ſed & Nobiles Socios, qui apologias pro ſe conſcribant; Inveniunt Amatos Zacutoſque Luſitanos, qui ſe ament. (*Illum vid. in ſcholiis Cur. I. C. I, hunc in Hiſt. Med. L.* 1. *de Variis Aut.* Inveniunt Limburgios, qui ſe admirentur, dicantque.

Quantùm Aſiæ Medicos hæc tollit & evehit ætas,
Ipſe ego tantum Arabes, teque Avicenna veho.

Neque id immerito. Nam præter alia in arte Medica præclara inventa, etiam Alchemiam primi inventam excoluere, & multis ad æternitatem ſcriptis illuſtratam dedere, teſte Ath. Kirchero *Mund. ſubt. p.* 235. & *Oedip. Ægypt. Tom.* 2. Voſſio *de Philoſ. p.* 68. Neque enim illorum fabulas moramur, qui Chemiam a Chamo primo Ægyptiorum Rege dictam, & in literas relatam, poſteriſque traditam nugantur. Porro lapidis Philoſophici uſum Arabes omnium primi demonſtrarunt, & quam-

quam

quam illi quoque rem nonnunquam decoxerint, dum aurum decoquerent, & bona dilapidarint pro lapide, ut facete ſpagyricæ arti nimis addictos perſtringit Owenus *Epigr. L. II. ep. 9.* Conf. *Abulfarag. p. 299.* In confeſſo tamen eſt, χρυσοποιαν Arabes multo, quam poſteriores, feliciori cum ſucceſſu exercuiſſe. Naturam porro & Hiſtoriam cum animalium, tum plantarum, aliarumque rerum naturalium, haud ab aliis quam Arabibus adcuratius indagatam atque deſcriptam deprehendes.

§. 23.

Studia porro Philoſophica magno conatu culta fuiſſe non aliunde melius eluceſceret, quam ſi infinitos, qui apud Arabes floruere, clariſſimi nominis Philoſophos enumerarem, ſed cum eorum catalogus amplius deſideret ſpatium, quam ut in brevi diſſertatione locus ipſi concedi poſſit, potero forſitan iſto labore, bona Lectoris cum venia, ſuperſedere, & quantum Philoſophi vel uni debeant Averroi, illis æſtimandum relinquere, quibus Ariſtotelis ſcita adcurate rimari curæ eſt.

§. 24.

Mathematicas artes præ cæteris nationibus Arabes invenerunt, coluerunt, per-

fecerunt. Ac præcipue sideralem scientiam illustrarunt; quam omni tempore illis admirationi fuisse, ex Jobi historia patet, ubi Plejadum, Orionis, & Arcturi mentio habetur. Etiam ab hac eruditionis parte tot præclara possident monumenta, ut nulla alia gens paria cum ipsis facere credatur. Vix minutulum aliquod vel ex ipsius Tychonis aliorumve *seculi nostri* Atlantum lucubrationibus, illis quæ pridem in Oriente observata, addi posse, Doctiss. Bainbrigii judicium est.

§. 25.

Quid dicam de Geographiæ peritia, & de illa voluminibus eorum ολαις αμαξαις; quorum nonnulla quoque edita, ut Abulfedæ, item Nasireddini & Ulughbeigi quædam a Doctiss. Gravio, sic Geographus Arabs Romæ editus, qui neque Sueciam nostram neque Finmarkiam omittit. Sed, quod in transitu notandum, in eo fallitur, quod urbem قلمار *Calmar*, ponit in Finmarkia. Meminit etiam urbis سقطون *Sictun*, non *Sactun*, ut legunt Maronitæ; & terræ طبسنت Tawastiæ, ubi ponit urbem magnam بغواطة; sed de his alio forsan tempore commodius agetur.

§. 26.

§. 26.

Geometriam quanta diligentia coluerint, vel ex dimensione Mamonica, cujus in superioribus mentionem injecimus, manifestum est. Sed & Arithmeticæ scientiam egregie perpoliisse, novisque inventis locupletasse, abstrusissima illa computandi ratio testimonio est, quæ ab Arabibus inventa, & a جبر *reduxit, religavit,* الجبر Algebra appellata, (*vid. Golium ad Alfrag. p.* 11.) gloriam ipsis promeruit, nullis seculis intermorituram.

§. 27.

Neque Historiarum cognitionem in sese desiderari passi sunt. Siquidem, scribente M. Wasmutho in Paræn. Ling. Arab. *Historias exactas & fideles, non solum de rebus Græcorum & Romanorum, sed & Chaldæorum & Assyriorum, Arabum, Persarum, Ægyptiorum, Tatarorum, Judæorum, ab ipsis repetere licet inde ab origine ipsarum gentium.* Secus ac Hermannus Conringius in supplem. ad Antiq. Acad. tradit in hunc modum. *Historiæ humanarum rerum, quæ quidem florentibus Arabum imperiis acciderunt, longe alia est ratio: Vix enim illa petere aliunde licet. Frustra tamen aliarum gentium, quamvis orientali-*

um, res antiquissimas quasque, atque adeo & Græcorum & Latinorum inde expectari, produnt nimis luculenter, quæ ad nos pervenerunt, Arabum monumenta. Certe frustra D. Conringius ex monumentis, quæ ad nos pervenerunt, utpote pauciſſimis, æstimat illa immensi numeri scripta, quæ Arabicis tenebris circumsepta, in obscuro adhuc latent. Conf. Bedwellum in *præfat. ad Epist. Joh. Arabice editas.* Sed monstrari etiam possunt in Europam advecti Arabes, qui aliarum historias gentium consignaverunt. M. Raderus *in proluſ. ad Hist. Curtii c.* 4. scribit Abrahamum Aben Phareg Arabica lingua historiam Alexandri M. contexuisse, & MS. απδα licet, in Bibliotheca Bavarica extare. Ejusdem Historiam rhytmicis versibus composuit Ahmetes Molla, si Leunclavio creditur, *Hist. Musulm. Lib. X.* Sic historiæ Alexandri Magni Arabis Ibn Mufri meminit Hottingerus *Bibl. Orient. p.* 277. vid. & Clariss. Ravii *Spolium Orientis, Centur. II. n.* 38.

§. 28.

Tandem ut de eloquentia etiam aliqua adferamus, linguas non tantum peregrinas Arabes excoluisse constat; nam LXX. calluisse Alfarabium autor est Ebn Chalecan apud Cel. Pocock. præf. in Epistolam Abi Jaa-

Jaafar Eben Tophail; ſed & ſuam Arabes ad tantum ſuavitatis ac elegantiæ culmen perduxerunt, ut cum ea collatæ Χαριτες Græcorum, Αχαριτες, & ingratæ Latinorum Gratiæ videri queant. Illi ſcilicet nativa venuſtate ac gratia jam ante ſatis ſuperbienti, cum acceſſiſſet cultura diligentior, non potuit fieri, quin omnium elegantiſſima politiſſimaque evaderet. Sunt itaque primo (I) phraſium elegantiæ & floſculi, quæ gratiam illi conciliant. (II) Vocum emphaſis & proprietas, miraque illa, qua non ſolum verborum in ſignificando perſpicuitati, ſed & in prolatione elegantiæ & dulcedini caverunt, ſedulitas; quaque non ſolum adcurata inter literas & ſignificata proportione, ſenſus vel intenſioni vel remiſſioni, prout res poſtulaverit, literarum appoſitione, ſubductione, vel juxta organorum rationem mutatione, proſpexerunt: ſed & ne quid delicatulis auribus ingratum, ne quid horridum aut ασυμφωνον reperiatur, effecerunt. vid. cel. Pocock. *Orat. præf. carmini Tograi.* (III.) Rotunda eorum in ſumma copia brevitas. Ita enim Arabes loquuntur, ut non ſolum rebus verba optime reſpondeant, ſed & pauciſſimis includant, quæ Græci & Latini non niſi per longas, multaſque ambages & circumſcriptiones efferrent. Kirſten. præfat.

ad *Lib.* 1. *Canon. Avicennæ p.* 23. Pocock. *loc. cit. Docto & subtili ore loquuntur Arabes*, ait Levinus Warnerus præfat. ad Proverb. Persica. *Superbiunt à multis jam seculis gentes illæ* (scribit cl. Elichmannus ad Beverovicium in Epistolæ fragmento, de vitæ termino) *vario, nobisque insolito dicendi artificio. Nativam elegantiam agnoscent atque mirabuntur pauciſſimi illi, qui harum linguarum gustum aliquem habere laudabili conatu inceperunt.* (IV.) Rhythmorum elegantia, anxiaque captatio eorum, quæ similiter desinunt, aut quæ paria paribus referuntur, aut quæ sunt inter se similia, & Græcis ὁμοιοπτωτα, καὶ ὁμοιοτελευτα vocantur; quæ omnia inter lepores eloquentiæ haud postremos a Tullio referuntur *lib.* 3. *de Oratore.* Quod præcipue Alcorano, politissimoque vitæ Tamerlanis scriptori Arabsiadæ solenne est. (V.) Vocum Copia & fœcunditas. *Qua quantum Græcam, Latinam aliasque præcipuas superet, vel hinc conjicere licet* (verba sunt cel. Pocockii Spec. Ar. p. 153.) *quod aliquando vel sola diversarum unius rei adpellationum enumeratio & explicatio justam voluminis integri materiam præbuerit. Sic Doctissimo Grammatico Ebn Chalawath libri unius subjectum Leonis nomina, quæ quingenta, alterius serpentis, quæ ducenta, teste Jalalloddino in*

Mez-

Mezhar c. 22. & 27. Autor Kamuſi, Mohamed Alfirauzabadius librum integrum de mellis appellationibus & utilitate ſe conſcripſiſſe ait, in quo cum 80. ejus nomina recenſuerit, totam tamen ejus nomenclaturam non abſolviſſe notatur. Teſtatur idem (Mezhar cap. 27.) *enſis appellationes ultra mille ſe in libro à ſe compoſito enumeraſſe.* Porro de Leonis nominibus audiamus Addamirium *Dixit Ibno Chalawath Leonem habere quingenta nomina: quibus centum & triginta ſuperaddit Ali Ben Caſim Allaguienſis.* Sic Hamza Ebno'l Haſan dum, quot haberent calamitates nomina, inquiſivit, ultra quadringenteſimum invenit, ut jam eſſet vel ipſa nominum calamitatis recenſio, inter calamitates non minima. Præterea ad demonſtrandam Arabicæ Linguæ copiam duas Harirus Baſrenſis conſcripſit diſſertationes, in quarum altera voces ſingulæ habent literam س, in altera ش; referente celeb. Hottingero in *Biblioth. Orient. p, 278.* Sic inter libros, quos ex oriente advexit cel. Ravius, mentio fit Kitab is Shætebiet, Carminis Arabici per totum deſinentis in literas Lam-Eliph. vid. Chriſt. Ravii *Spolium Orientis.* Refert apud cel. Pocockium *Orat. præfix. carm. Tograi:* Hamza Aſpahanenſis reperiri apud Arabes verborum formas ſine ulla repetitione duodecies millies mille,

trecenties quinquies mille, quadraginta & duodecim. Frustra igitur Thomas Gatakerus Londinas (*Dissert. de stylo N. T. p.* 22.) contra cl. Erpenium uberiorem esse Græcam Arabica contendit, & in argumentum Thesaurum Henrici Stephani producit, cui opponimus molis non minoris Thesaurum Arabicæ Linguæ Antonii Giggeji. Itemque Franciſci a Meſgnien Meninsky Thesaurum Linguarum Orientalium, Viennæ editum, ſpiſſis voluminibus compluribus constantem. Frustra Sebastianus Pfochenius (*in Diatriba de styli N. T. puritate*) tanquam rèm miram narrat, quod XL. nominibus Græci exprimunt superbum, cum per Centurias synonyma, ut vidimus, numerent Arabes. Notandum autem non omnium omnino rerum vocabula apud Arabès ita cumulari, sed (1.) animalium, præsertim nobiliorum, ut de Leone vidimus. (2) Viliorum quorumque: quomodo feli distincta aliquot imponuntur nomina. Unde imprudenter quidam, ut facete iidem Arabes tradunt, præstantiam ejus animalis colligere voluit. Cum enim cepisset felem, & quid animalis esset ignoraret; varia autem ac diversa ab obviis quibusque ipsi nomina adsignari audiret, existimavit ridiculus venator se raræ notæ animal cepisse, quod tam multis ornaretur

retur nominibus. Qua inepta perſuaſione, cum nihil falſius eſſe tandem videret, & riſum ſe aliis debere & ſolvere ægre ferret, morte felis ludibrium vindicavit, ut ſcribit Levinus Warnerus in Epiſt. Valedict. de ſtylo Hiſt. Timuri. (3) Rerum, quæ huic genti notiſſimæ atque indigenæ, Europæ vero negatæ atque inuſitatæ ſunt, ut ex animalibus *Camelus*; ex arboribus *palma*, unde Palmiferos Arabas eos adpellat Ovidius Metamorph. lib. X, v. 478. ex fructibus *dactylus*, & aliæ ſimiles res vernaculæ, quæ quoque omnes uno interdun. eodemque vocabulo exprimi ſolent. Arabes enim ut uni rei diverſa vocabula imponere, ita nonnunquam uni vocabulo diverſas, & ſæpe contrarias accommodarè ſolent res atque ſignificationes. Sic vox unica عجوز (a rad. عجز *infirmus, debilis, impotens fuit.*) ſupra LXXX. ſignificata, eademque diverſiſſima agnoſcit, *impotens*, *anus*, *mulier*, *viator*, *Rex*, *Regnum*, *Mundus*, *cælum*, *ſol*, *terra*, *mare*, *navis*, *leo*, *equus*, *taurus*, *camela*, *vacca*, *lupus*, *lupa*, *lepus*, *canis*, *palma*, *vinum*, *argentum*, *bellum*, *tentorium*, *vexillum*, *clypeus*, *arcus*, *uter*, *olla*, *fames*, *febris*, &c. quæ vide apud Golium in Lexico p. 1528. Quibus quidem ambiguis locutionibus multum in ligata præci-

pue oratione Arabes studeant, ut divinandum sæpe sit, qua potissimum significatione vox quævis accipienda sit, Oedipusque prius, quam interpres fias, oporteat, uti loquitur Nobiliss. Ludolfus in præfat. append. ad Hist. Æth. p. 7. & p. 23. Sic Jos. Scaliger, in epist. ad Steph. Hubertum quæ est Lib. IV. Ep. 361. *quo plura lego, eo me hujus linguæ imperitiorem sentio. Postquam authorem quendam bene videor intellexisse, quum ad alium me confero, in alio mundo me versari puto.* confer Epistolam Lev. Warneri de stylo Hist. Timuri, editam cum excerptis Alcorani, & proverbiis ejusdem Persicis. Lugd. Bat. 1644. (VI.) Puritas; Rara enim sunt vocabula Barbara, quæ Arabica lingua civitate donavit. *Omnes enim voces Græcæ* (ait Cel. Hottingerus in Clave Etym. Harm.) *Arabica civitate donatæ & technicæ fere sunt, & ab eo demum tempore illatæ, quo Arabum florere cœperunt studia.* Hinc intelligendus Cl. Salmasius, qui in exercit. Plinianis, *pauca*, inquit, *sunt herbarum, arborum, gemmarum, siderum Arabica, quæ non ex Græco detorta sint.* Et Casaubonus in Æl. Lamprid. *Avicenna sumsit à Græcis vocabulum* κονδιτα *ut fere omnia.* Neque quis tantopere miretur Arabes rerum sibi ignotarum peregrina nomina in familiaris sermonis usum acciviſſe,

&

& ſcripſiſſe quoque, ubi neceſſitas exigeret; cum longe plura ſint illa, quæ Europæi aliique ab illis acceperint. Quid communiſſimi illi, ſatiſque protriti articuli προτακτικοι, Italorum, Gallorum, Hiſpanorumque, la, le, li, el, loy, les, los, ils, elle & elles, quam notiſſimus Arabum articulus ال *Al?* Sunt certe, qui velint quartam Hiſpanicæ linguæ partem eſſe Arabicam, de quo extat apud Hiſpanos libellus, cui titulus: *Vocablos Arabigos introducidos en la lengua Caſtellana, recopilados en Granada por el ſanto officio*; extat item Petri de Alcala *vocabuliſta Aravigo en letra Caſtellana Salam.* 1505. 4. & Franciſci Lopez *ſyllabus corruptarum vocum Arabicarum quæ in lingua Hiſpanica uſurpantur.* 1600. De illis ipſis vocabulis videri quoque merentur Joſ. Scaliger in Epiſt. ad Caſaubonum, & Ant. Giggejus in Theſauro Arab. L. Porro Mathematici ſidera, Medici aromata atque herbas hodie Arabicis fere nominibus, iiſque corruptis, adpellare ſolent. Neque vulgo ipſi Cattun, Zifra, Sirap, Balſam, Saffran, Ingefara, Söötfara, Almanach, Ammiral, aliaque Arabica ita hodie ſunt ignota. Almanach enim a Græco non eſt, ut exiſtimat Joſ. Scaliger in prol. ad Manilium; vel Tarentina voce Mana-

Manaco, quæ eclipticam notat, ut Dalechampius ad Plin. 11. 9. vel ex lingua Saxonica, ut Richardus Verstegen in Antiquit. Angl. cap. 3. confer. & Salmasii diatr. de annis Climact. pag. 607. Sed factum est ab المنحة quod Arabice *donum* significat. Solebant enim Arabes, sicut Persæ quoque & alii Orientales, solemni illo festo, quod النوروز *Naurus* adpellabant, cum donis ad Regiam confluere, & inter cæteros Astrologi, qui ineuntis anni ephemerides Principi dona offerebant; *eo factum*, ait cl. Golius, (not. in Alfrag. p. 21.) & Velschius ad Ruzname Naurus pag. 26.) ut hoc tabularum genus المنحة *Almanacha*, i. e. *donum* s. *strena*, vocatum fuerit. Pari ratione & alia vocabula finguntur Græca vel Latina, vel linguæ cujuslibet; quæ tamen Arabica esse nemo hujus linguæ paulo peritior in dubium vocaverit. (VII.) Translationum venustas; sententiarumque & schematum creberrimus usus, quibus Arabes præ cæteris omnibus populis excellunt, uti ὀφθαλμοφανέρως ostendunt particulæ versæ, ex elegantissima historia Timuri, quæ hinc inde in scriptis eruditorum occurrunt; integra vero in linguam Gallicam translatio, quam adornavit Petrus Vatié-

Vatiérius, Medicus, & Arabicæ Linguæ Profeſſor Regius Pariſienſis; nam totam adhuc Latine converſam non habemus, Arabice autem Goliana emendatiorem longe & auctiorem nobis promittimus editionem cura Abbatis de Longruë, Galli, Congregationis Orator., qui ope MS. codicum Arabſiadem brevi reſtituet. Item Diſſertationes ElHaririi, & ipſe Alcoranus. (VIII.) Mirum in proverbiis ingenium atque acumen, quibus adde ſales lepidiſſimos ac venerem multomaximam; nec non miram ſimilitudinum convenientiam, atque exquiſitam elegantiam; quarum ut guſtum aliquem capias, ecce quam appoſite Poëta quidam viri eminentis comitatem aſſimilet ſideri, quod homini ad littus ſpatianti ſeſe in aqua conſpiciendum præbet تواضع تكن كالنجم

لاح لناظر علي صفحات الماء وهو رفيع

Humilem præbe te, & ſimilis eſto ſideri, quod ſpectatori ſplendet ad ripas aquæ, cum ipſum ſit ſublime. Hiſce prærogativis L. Arabica gaudens, tantum inter alias caput ſuum effert,

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

§. 29.

Porro qui eloquentiæ operam dedere, etſi longe plurimi fuerint, tamen præ cæteris illa excelluiſſe videntur Coſſus & Sahbanus, utpote quorum facundia locum proverbiis fecerit: أبلغ من قس *Eloquentior Coſſo*; & أخطب من سحبان وايل *facundior Sahbano Wayelenſi*. Extant præterea duo conſpicui ſcriptores, qui linguam ſuam, teſte cel. Golio (præf. ad Lex. Arab.) diligenter excoluerunt, quosque omnis fere eruditorum cohors in ipſo oriente ſequi ſolet; AlJauharius nimirum, & Alfirauzabadius, ille libri *Sehah*, hic *Camuſi* autor. Quibus addi poterit AlHaririus, Othman Abu Homar Ben ElHagebh aliique, quorum incomparabilis doctrina & induſtria facit, ut minus ægre feramus periiſſe maximum illum Lexicorum numerum Aſſanebi Abbadi filii, quem LX. camelis vix potuiſſe ferri teſtatur Jalalloddin Aſſoyutius apud cel. Pocock. Orat. citata.

§. 30.

Nec minima ſui parte Linguæ Arabicæ proprietas ac elegantia Poëtis debetur. Qui quanto ſtudio linguam ſuam colue-

luerint, vel inde manifeſtum eſt, quod nullum ſibi certius nobilitatis & ingenui ortus argumentum, nihil ſibi magis gloriæ duxerint, quam carmine animi conceptus expedite ac eleganter exprimere, prorſus ut olim apud Sueo Gothos noſtros Scaldi; de quibus vid. Ampliſſ. Verelium in notis ad Hiſt. Hervaræ, & Ol. Wormium in append. Lit. Runicæ. Refert ex Aljauhario cel. Pococke in not. ſpecim. Hiſt. Arab. p. 159. quod Arabes quotannis celebri πανηγυρει in loco سوق العكاظ forum Ocadhi *dicto, convenerint, ibidemque nobili ingeniorum Palæſtræ in recitandis carminibus de palma contenderint; à quibus ſi quæ cæteris anteferrentur, à Regibus inter* χειμηλια *ſua reponi ac appendi ſolita atque inde ſeptem poëmatia illa celeberrima,* (*quorum autores jam in ſuperioribus indicavimus,*) *nomen* المعلقات Almoallakat *ſortita.* Nec aliud eſt quod ſcribit Leo Africanus Deſcr. Afr. *Non deſunt Feſſæ Poëtæ famoſiſſimi, qui ſingulis annis quædam ſolent condere carmina in Muhammedis laudem, præcipue ipſo Muhammedis natali: tum enim ſummo mane in eum confluunt locum, ubi conſulum præfectus ſuam habet manſionem, cujus ſedile conſcendunt, atque inde ſigillatim ſuam quiſque magna vulgi frequentia recitat can-*

cantionem; quam qui elegantius & accommodatius dictaverit, eo anno Poetarum princeps acclamatur. Post pauca addit. *Qui omnium suffragiis optime dixerat, à Rege equo præstantissimo, serva, centum aureis, nec non veste, qua tum indutus Rex erat, donabatur. Cæteris omnibus quinquaginta enumerabantur aurei, adeo ut nullus nisi regis expertus munificentiam inde discederet.* Neque existimandum unum vel alterum fuisse, qui ad tam nobile certamen confluxerint; sed numerum multo maximum. Constat enimtot habuisse Poëtas Arabiam solam, quot unquam habuisse reliquus orbis putatur. *Poetas*, scribit Erpenius Orat. pag. 59. *non tot habet, aut habuit unquam reliquus orbis, quot sola Arabia. Numerant illi sexaginta Poetarum Principes, qui sub se habent aliquos turmas.* Fieri itaque non potuit, quin in maxima tot hominum contentione, de inventionis elegantia certantium, tanta poeseos Arabicæ suavitas evaderet, ut nihil cum ea in reliquis linguis comparari possit. Certe *Poeticam Arabum multo esse Græcanica elegantiorem*, ultro fatetur cel. Conringius in suppl. ad Antiq. Acad. Et sane merito, quippe quam non modo verborum delectus, sed & eruditionis varietas jucundam effecit. *Haud scio*, ait cl. Fabricius in Spec. Arab. p. 175. *an ulla unquam*

quam gens æque dedita fuerit poesi, quam Arabes, qui certe ad artem hanc nati propemodum esse videntur; unde Joh. Leo Afric. in Descr. Afr. refert de Arabibus Africam incolentibus, quod Poesis summe ab iis excolatur, versus describant elegantissimos, quum eorum lingua sit castigatissima, atque ornatissima: Si quis alicujus momenti Poeta inter eos reperiatur, is ab illius regionis magnatibus summo excipitur honore, atque munificentia, nec quemquam facile credere puto, quantus insit illorum carminibus lepor atque venustas. Quid quod non tantum plebeji & mediæ sortis homines, sed & principes & Reges Arabum non modo ipsi bonos fecerint versus, sed & aliorum carminibus mirum in modum sese oblectaverint; adeo ut non raro eorum autoribus pro uno atque altero disticho multa millia denariorum dono dederint, uti videre est ex Historia Timuri, ubi dicitur Rex الظاهر *AlDhaher* jussisse Poetæ cuidam nomine علاء الدين Ala'ddino pro duobus duntaxat versibus, quos ex tempore composuerat, annumerari quinque millia denariorum; ut minus jam miremur munificentiam Severi Imperatoris, qui Oppiano pro singulis versibus singulos aureos dedisse fertur. Cujus munificentiæ exempla apud Arabes sunt quamplurima; Sic jusserat AlMohdius Cha-

lifa Merwano Poetæ pro Septuaginta distichis, quæ ipsi recitaverat, numerari LXX. millia staterum, teste in *Hist. Sarac.* Georgio Elmacino. Etiam suam Sappho, suamque Lesbiam, Arabibus non defuisse autor est Pocockius *Orat. præf. Carm. Tograi.*

§. 31.

Quod autem ad artis metricæ leges; nuperum magis commentum illas esse ex Alshefadio monstrat cel. Pocockius in Spec. Hist. Arab. conf. & Sam. Clericus *in prosod. Arab. p.* 2. qui artis hujus inventorem ex Arabibus perhibet fuisse AlChalil Ebn Ahmed Alfarahidi, qui sub AlRashido Chalifa floruerit. Occurrunt tamen in ipso quoque Alcorano metra & rhytmi, quamvis id diserte neget Jos. Scaliger ad *Chron. Euseb. p.* 7. his verbis: *Non enim, quod vulgo persuasum video, Alcoranus constat ullo metrorum genere; non magis quam epistolæ Ciceronis.* At quædam ad oculum ostendit Guadagnolus in *Instit. Linguæ Arabicæ edit. Rom.* 1642. & unum ex Surata LXXXV. quæ Castellorum inscribitur statim ab initio, hoc est:

قتل اصحاب الاخدود *
النار ذات الوقود *
انهم عليها قعود *
وهم علي ما يفعلون بالمومنين شهود *

i. e.

i. e. *Interfecti fuerum autores foveæ,*
Quæ ignem habebat accensum:
Cum illi essent super eo (quasi) *conspirantes.*
At quod illi fecerunt credentibus, illi ipsi testes (aliquando erunt.)

Hinc tamen perspicitur rhytmos Alcorani claudos, & valde imperfectos esse; metra item neglecta & licentiosa, adeo ut versus curti nonnunquam cum aliis duo jugera longis combinentur; appareatque impii istius libri autorem, carmina non præmeditata, sed liberiora, fudisse. Ex his constare facile poterit quam misera literæ Arabicæ, sub Muhammede Ommiadibusque fata habuerint; quamque fœcunda eruditionis seges sub Abbasidis per annos fere sexcentos apud Arabes creverit; quam iterum, devicto AlMostasemo Chalifarum Abbasidarum ultimo, fœda Turcarum Tatarorumque barbaries misere proculcavit.

CAPUT QUARTUM.

DE FATIS LINGUÆ ARABICÆ SUB TURCIS AC TATARIS.

Literæ Arabicæ a Tataris & Turcis iterum obscuratæ. Quænam hodie Scholarum facies apud Muhammedanos. Linguæ Arabicæ amplitudo. Ubi hodie Vernacula. Falluntur qui linguam Arabicam & Africanam Veterem faciunt eandem. Causæ hodiernæ amplitudinis Linguæ Arabicæ.

§. 1.

Vidimus lætissima felicissimaque Linguæ simul & literaturæ Arabum sub Al-Mamone ejusque successoribus incrementa; Vidimus quam prope a summo fastigio abfuerint. Sed ut nulla res creata mutationibus vicissitudinibusque non obnoxia est, ita literas quoque præfinitum habere tempus, quo nascantur, floreant, & occidant, Arabicæ nostræ argumento sunt nimis manifesto. Volvebatur annus Hegiræ Muhammedicæ, quasi DCLVI., Salutis vero Reparatæ MCLVIII; cum Hulacu Ilechan Tatarorum Mogulensium Imperator victoriosissimus in Iracam movit, expugnatoque Bagdado, & Asmostasemo Chalifa e medio sublato, Regnum Arabum Moslemiorum ad Mo-

Mogulenſes tranſtulit. Id autem ita acciditſſe Arabum Hiſtorici nobis memoriæ produnt, nimirum Naſireddinum Tuſium, de quo eximio Mathematico in ſuperiore cap. a nobis actum, Chalifæ AlMoſtaſemo officii teſtandi gratia librum a ſe conſcriptum obtuliſſe, ſed ab illo riſu & opprobrio exceptum, atque amaro illo joco perſtrictum שמעתי שאנשי טוס יש להם קרנים ואיה הם קרניך i. e. *Audivi Tuſæos habere cornua: ubinam tua ſunt?* alluſione facta ad inhoneſtum illum lenocinandi morem, quo mariti Tuſenſes advenis viatoribus uxores locabant ſub ſpecie hoſpitalitatis; eaque contumelia graviter commotum Philoſophum recta ad Hulacum Tatarorum Principem contendiſſe, ipſique ut homini ſuperbo bellum indiceret, perſuaſiſſe. Ita rem illam narrat ex Arabibus R. Abr. Zacutus in ספר יוחסין *fol.* 125. *a.* Habuit autem Hulacus in regno ſucceſſores Abacam & Ahmedem filios, nepotem vero Argunum Ilechanum, quo imperante circa A. Heg. DCXXCVII. Chr. MCCXXCVIII, Sarubanius Turca, qui cum Patre Ertogrule, & avo Solimanſhaho atque aliis, qua principibus, qua ſubditis, e provincia Mahan, cui præerat, a Tatarorum impetu fuga ſe ſubduxerat, inque Aſiam minorem iter inſtituerat, extre-

tremum diem clausit, relicto apud Aladdinum Iconii Principem filio Othmane. Is, cum rebus contra Tataros strenue gestis magnam apud principem gratiam iniisset, & Aladdinus senio fractus, hostiumque incursionibus vexatus satis haberet res suas curare, Soltani nomine sibi assumto, Græcis bella molire cœpit, Prusiamque Bithyniæ urbem, vi expugnatam, imperii occupati sedem constituit circa A. Heg. DCC. Christi MCCC. At quam non eruditionis, tot jam per lustra florentissimæ, studioque incredibili a principibus antecedentibus excultæ atque promotæ, emolumento, patet abunde ex historiis, quarum rara admodum per hæc tempora clarorum ingeniorum mentio, credere nos jubet, Tataros ac Turcas, exciso Saracenorum imperio, tantum non omnem priscæ eruditionis nitorem barbarie sua exstinxisse. Quod quamvis ita sit, non tamen tanta fuisse in literas crudelitate atque inhumanitate, ac Muhammedes ejusque successores ante Abbasidarum tempora fuere, facile poterit demonstrari. Neque enim libri ab illis combusti, neque linguæ exoticæ exterminatæ, ut ab Ommiadibus factum. Quin potius libri sanctissime habiti, inque bibliothecis summa cura ac diligentia conservati sunt. Et sane manserunt per temporis spatium satis longum ex pristina eruditione reliquiæ

liquiæ quædam, quæ ut ſcintillæ ſubinde, vel in principibus, vel aliis emicuere; quorum tamem plerique non tam Philoſophiæ, quam eloquentiæ, Poeſi, vel Hiſtoriæ operam ſuam addixere, & vel propterea æterna memoria atque laude digni. De ipſo Hulaco, magno Mogulenſium Monarcha, Abulfaragius. *p.* 544. ita ſcribit: *Anno ſexcenteſimo ſexageſimo quarto* (i. e. Ch. 1265.) *e vivis exceſſit Hulacu, Vir ſapiens, manſuetus, intellectu & ſcientia præditus, ſapientum & doctorum amans.* De Kublai Kanno Hulaci fratre p. 537.: *In quo emicuit Juſtitia inſignis, ſcientia, rerum adminiſtrandarum peritia & ſufficientia. Amabat enim ſapientes, doctos & religioſos, cujuscunque tandem ſectæ, aut gentis.* Sub Chaichtu Tataro, qui Arguni Ilechano ſucceſſit, AlBeidavi, celebris in Alcoranum commentator, deceſſit. Sub Othmane Turca Anno DCC. Hegiræ Shehabboddin Ahmed Ebn Yahyæ, inſignis Hiſtoricus, naſcitur: cujus ſcripta egregia MS. extant inter libros Pocockianos nuper aggregatos Bibliothecæ Oxonienſi. Sub Urchane Othmani filio & ſucceſſore A. H. DCCXXXIX. natus eſt Jacobus Alfirauzabadius, vel Ibn Jacob Shirazita Firauzabadenſis, magnæ eruditionis Vir, & magno eo nomine apud Reges & Principes in honore; præſertim

Ismaelem Abbasi filium Yamanensem, cui القاموس *AlCamus* s. Oceanum Linguæ Arabicæ, dedicavit. Sub Soltano Morado Algazi, qui ob ينكجري *Yengijari*, i. e. Janizariorum ordinem institutum celebratur, natus est Historicus celebris, Takioddin Ahmed Almakrizi. De ipso Timuro s. Tamerlane, qui Bajazedem Othmanidam captum & cavea ferrea inclusum arctissime habuit, scriptores produnt, *doctis illum faviſſe, eorumque consortio delectatum.* Pocockius in *supplem. ad Hist. Dynast. Abulfaragii, p.* 5. & Nobiliss. Dn. Lillieblad in *eleganti quadam Epistola de Timitro.* De Muhammede Ulughbeigo, magni Tamerlanis, ex Shah Rucho, nepote constat, quantam nomini suo nobilissimis ingenii sui monumentis pepererit famam. Is scilicet Samarkandæ imperii sui metropoli otio & opibus affluens, non illiberale, nec Regia Majestate indignum putavit in erudito Mathematicorum pulvere ingenium exercere. Undique igitur accitis Astronomis, inter quos Gyathoddin Jamshid, Kadi Zadeh AlRumi, Alkushi Alsamarkandi, præcipui fuerunt; eisque ingenti instrumentorum apparatu instructis cœli φαινομενα magna diligentia & solertia observavit; dein ex veris & solidis hisce fundamentis tabu-

tabulas illas accuratiſſimas per totum Orientem quam maxime celebratas A. Heg. DCCCXLI. Chr. MCDXXXVII. concinnavit. De eodem ita ſcribit Abu Muhamed Muſtapha, teſte Th. Hyde in *præf. ad tabulas Aſtronomicas Ulugbeighi. Fuit autem Rex Juſtus, Doctus, perfectus, præſertim in Mathematicis: ſcientiam & ejusdem cultores dilexit, pauperes ac doctos magni fecit, & ad ſe recepit. Porro majorem partem temporis ſui in lectione librorum inſumſit, qua ratione multas ſcientias adeptus eſt, resque plurimas ex illis libris memoria retinuit. Præterea in urbe Samarkanda Gymnaſium celeberrimum, ornatu mirandum, mole maximum, & teſtudineato opere celſiſſimum exſtruxit; quod, ut rem paucis complectar, inter maxima mundi ornamenta recenſetur. Ipſe idem eſt, qui obſervationes Ulugh-Beghicas, quæ hodie inter homines teruntur, edidit; multasque in eisdem faciundis opes impendit.* De ſtupenda memoriæ felicitate hujus Principis Daulat Shah Samarkandenſis *in Hiſtoria virorum illuſtrium Perſica* hæc ſcribit: *Narrant hujus Regis ſolertiam & facultatem retentricem tantam fuiſſe, ut omnis animalis, quod proſtraverit, & cujusvis temporis, quo illud animal venatus eſt, æram in memoria tenuerit.* A. Heg. CCMVIII. obiit Al Damiri-

mirius libri de Historia animalium, toties Bocharto in Hierozoico citati, autor. A. H. CCMXLIX. Jalallodinus Historicus egregius nascitur, sub AlMaleco Aladelo; cui successit A. H. CCMLV Mohamed Chan, princeps literatus, de quo cel. Pocock. in suppl. Hist. Dyn. p. 47. *Hic licet bellis continuo occupatus, literis etiam strenuam navavit operam, adeo ut in doctorum numero haberetur; iisque de rebus profundis disputantibus non interesset modo, sed ut moderator præesset, palmamque & præmia insignia bene merentibus deferret.* De eodem vide Leunclavium *in Hist. Musulm.* Ita quoque, qui huic in regno suffectus est, Bajezid Chan, inter *regni propagandi negotia, & armorum strepitus literis operam dedit, adeo ut iis præcelluerit, & inter eximie doctos numeraretur.* Sub hujus imperio historiam suam de Chalifis, Regibus ac Soltanis conscripsit Abrahimus, filius Mohammedis, filius Dakmaki, nim. Anno Heg. CMVIII. Bajazetho successit Selim Chan A. H. CMXVIII. qui etiam doctis accensetur, trium linguarum, Arabicæ, Persicæ, & Turcicæ peritus, in quibus & carmina elegantissima composuit. Post Selimum Solimannus ejus filius ad imperium evectus est, A. H. CMXXVI. De hoc tradunt Maronitæ *cap. 7. de Urb. & morib. Orient*, quod Mec-

Mecchæ nobilem disciplinarum Academiam anno fere ab Hegira CMXLIX. erexerit, sumtibus etiam architecturam mirabilem, & proventibus Lycæum ipsum ditarit. De Morado Chano pariter tradunt Historiæ, quod bonis literis haud leviter imbutus in Lingua Arabica, Persica & Turcica multa composuerit. Hoc regnante Abu Mohammed Mustapha, vulgo AlJannabii titulo notus, floruit, Historiamque suam conscripsit; Item Ahmed Ibn Yuseph, qui Historiæ suæ, quam *Vestigia priscorum* adpellat, finem imposuit anno Heg. MVIII. Anno autem Hegiræ MXXXVI., qui post Christi natalem est MDCXXVI. Mohammed Ebn Abi Alsarur Alsadiki Historiam composuit, inscriptam الروضة &c. *Pratum floridum de præfectis Mesræ & Kairæ;* Suntque etiam hoc nostro tempore, qui historiis principum consignandis munificentissimis salariis alantur. Neque enim minori, (ait cel. Pocockius præf. ad Portam Mosis) *qui summa jam rerum apud ipsos potiuntur, erga literas studio feruntur; secus enim, quicquid vulgo statuatur, se rem habere comperiet, qui Turcarum annales consuluerit, ac pluris fieri, majoribus sumtibus ali, & ad majores honores provehi apud ipsos, quam alibi, doctos.* Certe nec deesse intet illos, qui possin adhu : ad niren-

rentur, vel inde conſtare poteſt, quod non pauca Europæi noſtri orbis poëmata in Linguam Arabicam & Turcicam non ita pridem tranſfuſa ſunt, ut ingenioſiſſimi Itali Torquati Taſſi carmina. (*conf. Autorem qui vitam Taſſi Gallico ſermone edidit Pariſ. 1690*) aliorumque. Cætera autem ſtudia non admodum hodie ipſis curæ ſunt. Et ſuperioribus quoque temporibus, quamvis Imperatores, quos memoravimus, literis literatisque operam dediſſe dicantur, nimis tamen frigide, nec ſerio conatu ſapientiæ artiumque ſtudia culta ſunt, ſi cum florentiſſimo Abbaſidarum ſeculo conferantur. Pertinent enim pleraque, quæ jam vel in Imperatoribus, vel aliis obſervavimus, ad ludos triviales, doctrinam Muhammedicæ religionis, linguæ peritiam, & juris civilis Turcomannici notitiam, quæ tamen ipſa ſua laude defraudanda non ſunt. Ut autem liquidius conſtet, quænam hodie ſtudiorum ſcholarumque apud Muhammedanos ſit ratio, verba Joh. Cotovici, quæ habentur in adcuratiſſimo Itinerario ejusdem Hiroſolymitano *Lib.* IV. *c.* 14, adferre haud pigebit. *Publice per urbes paſſim ſpectantur ſcholæ, ubi pueri Arabicis literis dant operam. In hoc autem toti ſunt, ut a primis annis ad verbum ediſcant Alcoranum & infigant memoriæ librum, quem non intelligunt. Nec vero ullis*

in

in ſcholis hic comparet codex, ſed Ludimagiſter è memoria depromit penſum, & in tabula lignea deſcribit: id puer reponit in animo, & poſtridie alterum ſcribitur penſum: donec anni aut biennii ſpatio totum ediſcat Alcoranum. Poſt hunc ad verbum ediſcunt libellum in quo præſcriptæ ſunt gentis ceremoniæ. Hinc jam pergunt ad Grammaticam, quæ mille diſtichis compoſita eſt. In hac Grammatica ferme biennio aut triennio verſantur. Inde ad altiora pergunt aliis in ſcholis. Sunt namque & alii in urbibus ludi literarii, quos doctiores, & in Grammatica jam verſati frequentant, in iisque Mahometis ſui atque imperii civilibus politicisque legibus ſtudent, & doctoribus ſcholaſticis inſudant, ut poſtea ad magiſtratus obeundos digniores reddantur. Liberalibus ſtudiis nullam navant operam: neque enim Philoſophiam aut medicinam, vel Matheſin, aliasque artes liberales quicquam curant, ſed negligunt prorſus, atque inutilia ſtudia putant. Pauci ſaltem dialecticam, Rhetoricam & artes reliquas attingunt. Etſi vero invenias aliquos, qui medicinam calleant profiteanturve; quam ex Avicennæ, Hippocratis & Meſuæ libris Arabice conſcriptis hauriunt, variſſimi tamen eam exercent, manente interim Medicinæ ſtudio utplurimum apud Hebræos, qui ubique fere locorum apud Turcas & ſub Turcica ditione eam profitentur

tur & exercitant. Versibus autem componendis utraque lingua & Turcica, & Arabica multi cum Turcæ, tum Mauri tempus omne impendunt: quibus egregia & præclara suorum Imperatorum ac ducum, & fortium virorum gesta factaque enarrant, laudesque sui Machometis decantant. Typographos nullos habent, prælaque ignorant. Hinc libri eorum non typis excusi, sed à publicis scribis conscripti prostant: ideoque & rariores & cariores habentur. Magni autem laboris est hic aut emere codices, quod nullæ sunt tabernæ librariæ, aut hinc istas merces avehere, ideoque difficillimum parare supellectilem librariam. Ea vero ratione chalcographos nullos admittunt, quod pernicioſos, & Reipublicæ & fidei esse autumant. Hinc enim fidei nostræ schismata & hæreses pullulare ajunt. Scribarum plerique super genua scribunt, non pennis anserum, ut nos, sed calamis, more veterum. Charta vero utuntur non è membranis aut linteis nostro more confecta, sed gossypina, eaque candidissima & lævigata, quam supra asserem complanatum, cote seu dente, aut conchyli aliquo mirifice poliunt & nitidam reddunt. hæc ille. Addo D. Ricaut in tractatu l' Etat Presents de l' Empire Ottoman liv. 1. ch. 6. *Pour les autres sciences, comme la Logique, la Physique, les Mathematiques, & tout ce que nous apprenons*

dans

dans nos Universitez, ils y sont tout a fait ignorans. Cætera lectu sane dignissima vide apud autorem ipsum. Eandem in Ægypto scientiarum hodie faciem esse, hisce verbis docet Leo Africanus in Africæ Descript. L. 8. c. 25. *Mercaturæ ac mechanicis* (de Alcairi incolis agit) *artibus dant operam, non tamen solo natali excedunt, plurimi studio legum incumbunt, artium pauciſſimi. Quamvis collegia perpetuo studiosis referta sint, exigui tamen ad frugem perveniunt.* Prosper Alpinus, qui per annos aliquot Cairi medicinam fecit de Medic. Ægypt. l. 1. cap. 1. scribit: *Cayri aliisque in locis Ægypti plurimos, tum viros tum mulieres reperiri, qui publice per urbem medicinam faciunt, non tamen ullos existere, qui hanc artem aliqua ratione atque Hippocratice faciant. Deest iiiis studiorum exercitatio, quamquam publicas scholas, sive studia ipsi habeant, in quibus varia scientiarum genera docentur. Cayri studii locum Gemelhazar appellant, pro quo trecenta millia aureorum anno quolibet dissipari ajunt. Siquidem ibi totius Academiæ sumtus ad libros, ad victum & ad reliqua Doctoribus & Scholaribus necessaria quotannis ære publico suppeditantur. Ex omnibus vero scientiis atque artibus, quæ ibi docentur, ea sola pars Theologica apud ipsos colitur, quæ Pseudoprophetæ Mahometis leges pertractat.*

Mul-

Multi siquidem, propemodumque infiniti sunt, qui honoris atque utilitatis gratia in ejusmodi scientiam incumbunt, quam qui adepti sunt in summo pretio atque honore apud Turcas aliosque omnes habentur. Hos Cadi appellant, quasi dixerint, Sacræ legis Doctores, quos Turca illius regionis præfectus suos quoque judices creat, quibus autoritas concessa est, ut possint quacunque de re in jure Civili, ac Pontificio judicare. Ob quam rem ipsi tam artibus atque scientiis perpauci sunt, qui perfecti fieri studeant, omniumque minime in arte Medica, quæ cum aliis omnibus fere in locis summo dignitatis gradu sit, infimum nunc atque vilissimum, tum ob gentis barbariem, tum ob eorum, qui per urbem medentur, ignorantiam, locum tenet. Ex hisce facile patet, quantum in Moslemiorum imperio hodie scientiarum artiumque prisca cultura mutata, quamque longe infra Christiani orbis nostri conditionem depressa sit.

§. 2.

Quæ autem de studiis diximus, de lingua Arabica intellecta nolumus. Illa etenim, ubicunque religio Muhammedana recepta est, late hodieque dominatur. Tantum illa extenditur, quantum Moslemannorum sceptrum, Mohammedisque nomen pro-

propagatum est, ait Gabr. Sionita *de Urb. Orient.* c. 13. Imo extremos fere orientis & occidentis terminos conjungit Golius *Præfat. Lex. Arab.* Religio autem Muhammedana non solum per universum Ottomannidarum imperium, puta Ægyptum, Palæstinam, Syriam, Armeniam utramque, Mesopotamiam, Chaldæam, Cappadociam, Asiam minorem, Imperium Trapezuntinum, Græciam omnem, Insulasque & maris mediterranei, & Archipelagi, Peloponnesum, Epirum, Ætoliam, Achajam, Macedoniam, Thraciam, Sclavoniam, Bosniam, Walachiam, Serviam, Bulgariam, Hungariæ & Dalmatiæ partem aliasque regiones; verum etiam Tartariam Crimæam, s. Præcopitarum, Persiam, Arabiam, Indiam, cum Regnis Dialkæ, Cochimi, Samorini, Cambajæ, Bengalæ & parte Malabarum; item provinciis Peim, Cotam, Lop, Cassar, Carcham, Chinchintales, Tangut, Egrimut, Cergut, Tenduc &c. & insulis Maldivis, quæ septem mille numerantur; item Ceilan, Sumatra, Sunda, Java, Banda, Borneo, Gilolo, Moluccis; Ægyptum, Æthiopiam, Barbariam, Marmaricam, Numidiam, Nubiæ partem, Beled-el gerid, Lybiam desertam, Regionem Nigritarum, Regna Monibassæ, Melinde, Chiloë &c. Meroen insulam,

Madagaſcar, Africamque cæteram longe lateque diffuſa eſt. Adeo ut Muhammediſmus quatuor nonas Africæ partes, Europæ decimam quartam, Aſiæ Continentis dimidium fere, quintam autem Orbis habitabilis partem occupet, ſubducente ita calculum Brerewodo in *ſcrut. Ling.* c. 8. vel trientem Orbis, veteribus cogniti, ſecundum Poſtellum *in Gram. Arab.* Ludovic. Reg. *de Viciſſit. Rer.* Bochartum *Phal.* 1. 15. aliosque. Per tot jam Regna & provincias triumphat etiam lingua noſtra Arabica, ut non præter rationem de eadem ita pronuntiet Theodorus Bibliander in de ratione communi omnium Lingg. & litt. *Nulla Lingua hodie, nec usquam olim in tot partibus orbis locum habuit.* Nam, ut ſcribit Cl. Ravius in Specim. Alcor.: *Obtinet Arabica lingua regiones in longitudinem fere MMM. milliarium, & in latitudinem alicubi bis mille, mille plerumque, aut, ubi anguſte, ducentorum milliarium. Ergo vaſta ſatis* (addit), *atque ampliſſimis regionibus continetur.*

§. 3.

Uſurpatur autem inter hos omnes populos vel (I.) in Sacris celebrandis; nam cum Alcoranum, ſi in alias linguas vertatur,

tur, profanatum iri credant, ſola Arabica lingua in ſacris ſuis utuntur, quod & ipſe Legislator Muhammed manifeſtis verbis ſub pœna capitis ſancivit. Th. Erpen. in *Hiſt. Joſephi.* Wilhelm. Bedwell. *præf. Epiſt. Joh. Arab.* Vel (II.) ut ſit *doctarum mentium interpres*, ut loquamur cum cel. Golio *præf. Lex. Arab.* Unde eſt quod ſcribit clar. Gutbirius in præf. ad N. Teſt. Syriacum: *Per totum Orientem eo modo uſurpatur à viris doctis, quo noſtri utuntur Latina*, & Franc. Raphelengius in præf. Lex. Arab. *Arabica Lingua apud Orientales eum obtinet locum, quem apud nos Latina.* Sic Franc. Meninski in proëm. ad Theſ. Ling. Orient.: *Hæc* (ſc. Latina lingua) *apud nos eodem modo ſe habet, quo Arabica apud Turcas cæterosque Mahometanos.* Nec aliter Erpenius *in præf. ad Gram. Arab. ed. Lugd.* 1613. Vel (III.) in negotiis forenſibus, & inter mercatores, qui cum hanc callent, per totum Orientem negotia ſua ubivis gerere poſſunt. Huc pertinet quod ſcribit Cl. Bedwellus præfat. ad Epiſt. Joh. Arab.: *Regum & principum privilegia, & diplomata, mercatorum & nobilium inſtrumenta, & contractus* (شهود Shuhud *vocant*), *omnium denique literæ fa-*

miliares, hac fere ſola concipiuntur, ſcribuntur. Vel (IV.) nativa & vernacula non paucis in locis; ut in Orientalibus Ciliciæ partibus, ultra fluvium Pyramum, in Meſopotamia, Syria, Palæſtina, Arabia & Ægypto, ad fretum uſque Gibraltar; in toto, inquam, illo tractu qui monti Atlanti, & mari mediterraneo interjacet, & Barbaria nunc vocatur, quasdam Afrorum veterum in mediterraneis reliquias ſi exceperis. Certe clar. Ravius loc. cit. *totam fere Africam & ſeptem vigeſimas Aſiæ partes occupare*, ſcribit, *ubi pure ſuperſit.* Dialectus tamen variat, eſtque vocalium aliqua mutatio, ut inter tot nationes diverſas fieri neceſſe eſt. In Hiſpania ſervat adhuc in excelſis illis Granatæ montibus, quos *Alpuxarras* vocant, progenies Maurorum ſuam Arabicam linguam, (unde Hiſpanis *Araviga* vocatur) quia nunquam extraneæ nationes illis mixtæ ſunt.

§. 4.

Cum in mentionem Linguæ veterum Afrorum inciderim, non poſſum quin obiter notem, valde illos decipi, qui credunt Arabicam linguam, cujus nunc per Afri-

Africam usus, Punicam fuisse. Sic Gul. Postellus *de ling. c.* 12. & in *Gram. Arab.* Gesnerus in *Mithrid.* Rouha *de Dialect. in Arab. Lingua.* Masius in *Gram. Syr.* Schindlerus in *Lex. Pentagl.* Fuit enim Poenorum lingua, non alia quam Hebræa vetus, quæ ab originali paullum desciverat, quod tractu temporis accidere coloniis solet, quæ longe a domo plantatæ sunt. Carthaginem autem Tyriorum coloniam esse, qui veterum & recentiorum non docent? Porro ex historiis notum, nec Poenos ab Arabibus descendisse; necdum elapsos M annos, ex quo Arabicam cum suis victoriis Africæ intulere Saraceni; & reliquias Veterum Afrorum diversam ab Arabica linguam habere Leo Africanus prodit *Africæ lib.* 1.

§. 5.

Jam si causas Linguæ Arabicæ per tantum orbis spatium diffusæ rimari velimus; primam forte & præcipuam Muhammedismi propagatio constituet, & partæ tot felicibus bellis victoriæ. Victis autem peregrina lingua discenda est, docente *Curtio Lib. VI. c.* 10. Altera Legis Muhammedicæ reverentia est, quæ

linguam illam omnibus & ſingulis jugi ſtudio excolendam injungit. Atque hinc patet Linguæ quidem Arabicæ per illa tempora ſatis fuiſſe conſultum, ſtudia autem miſerrime habita; quæ poſtremo quaſi pulſa in Europam conceſſerunt, ubi mitiora tandem fata experiri ipſis licuit. Eo & nos pedem jam referimus.



II.

DANIEL. HENR. HERING,

V. D. M.

AD AEDEM CATHEDR. HALENSEM

DE VOCE ΠΟΡΝΕΙΑ

IN DECRETO APOSTOLICO

ACT. XV, 20. 29.

DISSERTATIO.

§. 1.

Quatuor sunt, quæ Apostolorum conventus Hierosolymitanus Christianis ex Gentilibus cavenda edicit, αλισγηματα scilicet των ειδωλων vel ειδωλοθυτα, την πορνειαν, το πνικτον και το αιμα, ut LUCAS refert in *Actis Ap.* XV. 20. & 29. Quid per primum, tertium & ultimum intellectum voluerint, id quidem facili negotio perspicitur; at quæ voci πορνεια insit significatio, id curatiori quodam examine indiget, cum habeat, quo attentum lectorem remorari possit, & de eadem valde inter se dissideant

interpretes. Liceat igitur, quæ, examinatis diligenter omnibus, contra aliorum ſententias monenda invenimus, & quam huic voci tribuendam eſſe vim & poteſtatem ex mente Apoſtolorum judicamus, heic loci brevibus exponere.

§. 2.

Sunt, qui proprio & vulgari hujus vocis ſignificatui tenaciter inhærent. Hos ſtatim dimittendos eſſe primo intuitu intelleximus, facileque a nobis impetravimus, ut celeberrimi apud Göttingenſes Philologi IO. DAV. MICHAELIS ſubſcripſerimus ſententiæ, qua rotunde pronunciat, negandum & pernegandum eſſe, πορνειαν hic ſcortationem ſignificare. a) Nulla enim in medium profertur, & proferri quidem poteſt, ratio idonea, ob quam Apoſtoli hujus ſceleris hoc loco meminerint, ubi tantum de lege ceremoniali rebusque mediis reſpondendum erat, quid nempe ex iis a Chriſtianis ex Gentilibus ſit retinendum rejiciendumve. *Si enim de corporali ſcortatione loquatur Synodus, non ſatis decenter illa inter res natura ſua indifferentes, ut eſt abſtinen-*

a) Vid. ejus diſſertatiuncula in calce *Paraphraſeos epiſt. ad Galatas* p. 56. ubi hæc: *Ich leugne, daß* πορνια *Act. XV. 20. 29. Hurerey bedeute.*

ſtinentia a ſuffocato, ſanguine &c. videtur referri, ut bene judicat WILH. MOMMA. b) Aſt ſcortatio, ajunt, a Gentilibus pro re media habebatur, adductis Poëtæ c) verſiculis:

Non eſt flagitium mihi crede, adoleſcentulum
Scortari, neque potare.

At qui perpenderit, quæ cel. HEINSIUS his oppoſuit, is nulli dubitamus, quin admodum leve ſit hoc argumentum reperturus. Nolumus, quæ vir doctus docte diſputat, exſcribere: duo tantum iis, quæ ab eo dicta ſunt, addimus. 1) Si de rebus, quæ Gentiles pro mediis habebant, agere voluiſſent Apoſtoli, de compotationibus etiam & comeſſationibus aliisque rebus ejusdem plane generis aliquid addere debuiſſent. Periculoſum enim eſt, unum ex talibus tantum nominare, de reliquis nihil monere, quo pacto hæc tacite pro vere mediis & innoxiis declaratæ potuiſſent videri. 2) Quæſtio erat & certamen de lege ceremoniali & inſtitutis Judæorum. Ad id reſpondent Apoſtoli. Quid quæſo res in ſe turpes, ſed ex opinione Gentili-

b) *Oecon. Patriarch. ac V. & N. T.* Lib. III. c. 8. Tom. II. p. 369.
c) TERENTII, *Adelph.* Act. I. Sc. II. 21. 22.

um mediæ, ad hunc rhombum? --- Ipſi Apoſtoli ſatis indicant, quod ex lege Moſaica deſumta ſint, quæ præcipiant, dum illa ζυγον & βαρος vocant *v.* 10. 28. quo quidem nomine lex Moſis, d) nunquam vero lex naturalis in ſacris litteris venit; nec putandi ſunt de obligatione legis naturalis dubitaſſe Antiocheni, & propterea in diverſa abiiſſe, ut Apoſtolos hanc ob rem conſulendos cenſuiſſent. Qui enim has turbas excitabant, erant απο της αιρεσεως των Φαρισαιων πεπιστευκοτες, qui præcepta avita omnibus etiam invitis obtrudebant *v.* 4. Hæc omnia ſatis, ut putamus, evincunt, de ſcortatione lege naturali prohibita ſermonem hic eſſe nullum. e)

§. 3.

Nec eſt, quod quis nobis objiciat vocem επαναγκες *v.* 28. Non enim neceſſitas abſoluta & naturalis hac voce hic indicatur, alias & abſtinentia a ſuffocato & ſanguine eſſet juris naturalis, quod nemo facile dixerit. Sed innuitur tantum neceſſitas

d) *Gal.* V. 1. *Matth.* XXIII. 4. *Luc.* XI. 46. vid. & *Zeph.* III. 18. *Jeſ.* IX. 4.

e) Legiſſe hic non pigebit Auctoris anonymi *hiſtoriſche Abhandlung von den Ehegeſetzen und den verbotenen Ehen* (Butzoviæ & Wiſmariæ 1761.) §. 79. 137. ſſ.

tas ex circumſtantiis temporis, locorum & perſonarum nata. f) *Nempe quatenus pro tempore expediebat, docent & deſignant Apoſtoli, quibus rebus in fratrum offenſionem poſſint incurrere, quo ab illis caveant,* ut recte monet CALVINUS. g) Non quæ natura ſua illicita ſunt, prohibent Chriſti legati, ſed tantum α ʒ συμφερει καὶ ʒκ οικοδομει. Non præcipiunt, quæ ſemper & in omnibus circumſtantiis ſint obſervanda, ſed cedunt tantum ad tempus, quantum quidem ſalvo Evangelio ejusque Oeconomia fieri potuit, πως ἐξ ἐριθειας, ut & infirmos Chriſto lucri facerent. Hinc bene ait CYRILLUS *Alexandrinus*, Apoſtolos hanc ſuam epiſtolam οικονομικως ſcripſiſſe. h) Forte tamen & alia ratio ſubeſt, quare vox επαναγκες hic adhibeatur. Poteſt enim ſignificare, quod ad ſtabiliendam conjunctionem facit. Ita quos Latini amicos *conjunctiſſimos* & *neceſſarios* dicunt, Græci vocant αναγκαιους φιλους. i)

§. 4.

f) Atque ita ſæpius veniunt αναγκη & αναγκαιος in N. T., ut & alia neceſſitatis vocabula. De quo vid. GROTIUS *ad Matth.* XVIII. 7. ubi hæc ex *Ariſtotele* docte illuſtrat.

g) *Inſtit. C. R.* Lib. IV. c. 10. §. 21.

h) *contr. Julianum Imp.* Lib. IX. p. 324. ed. Spanh.

i) *Act.* X. 24. ad quem locum vid. KYPKIUM *Obſ. Sacr.* T. II. p. 49. 50.

§. 4.

Atque hac eadem opera, qua demonſtravimus, nihil, quod natura ſua turpe ſit, indigitari, removemus & illos, qui quidem a proprio vocis ſignificatu recedunt, attamen tale quid in auxilium vocant, quod non minus, quam ſcortatio, naturali turpitudine laborat. Qualia ſunt actus profeſſionis meretriciæ, inceſtus, polygamia &c. k)

§. 5.

In alia omnia igitur iverunt viri doctiſſimi, qui id ſenſerunt, de rebus in ſe indifferentibus hic agi; inter quos primus nobis nominandus DAN. HEINSIUS, qui πορνικην θυσιαν intelligendam eſſe vult, vel cibos, qui idolis eſſent a meretricibus oblati aut mercede emti meretricia. De cibis ſcilicet agi, inquit, adeoque πορνειαν aut loco non ſuo inter cibos, aut ut cibum inter eos manifeſte recenſeri. l.) Quæ tamen ratio, ſi dicere debemus, quod res eſt, admodum debilis eſt, vix minimum probabilitatis gradum efficiens. Πορνειαν inter cibos: Ergo cibus

k) Cf. de iis, qui has ſententias ornarunt WOLFIUS *Cur.* ad Act. XV. 20.

l) *Exercitt. Sacr.* p. 303. Eadem, quæ HEINSIUS, ſentit, iisdemque argumentis utitur eel. MICHAELIS *diſſ. cit.*

cibus. Conſequentiam non videmus. En ſervi & ſervæ *Gen.* XII. 16. XXIV. 35. XXX. 43. medii ponuntur inter beſtias. An ergo beſtiæ? Verum id quidem eſt, apud Romanos nonnunquam vix pro hominibus habitos eſſe ſervos, ut apud JUVENALEM m) dicitur: *O demens! ita ſervus homo eſt?* Mitius tamen & humanius ſentiebant Iſraëlitæ, & inter ipſos Romanos, qui ſaniorem mentem habebant. n) Quod vero ad ſententiam ipſam HEINSII attinet, cum bimembris ſit, bifariam & ad illam reſpondemus. Cibus nimirum idolis a meretricibus oblatus ad idolothyta pertinet, ſub iisque jam comprehenditur, ut ſpecies ſub ſuo genere; adeoque cum illa jam ſint ab Apoſtolis proſcripta, fruſtra iisdem addidiſſent την πορνειαν. Quod ſi autem, quod eſt alterum membrum, cibus mercede emtus meretricia magis arrideat: dic, qua nota id potuiſſet a Chriſtianis intelligi, ut ſibi ab eo caverent? An putas, mulierculam id convivis ſuis ſemper eſſe indicaturam, quem Veneri inſerviendo cibum ſibi paraverit, quem minus? Mittimus igitur hanc ſententiam, utpote nullo firmo talo nitentem. Nec longe moramur MARESIUM & MARCKIUM, qui cibum meretricium volunt, eum, qui apud ſcorta

m) *Satyr.* VI. 223.
n) vid. SENECA *Epiſt.* 47.

ſcorta ſumitur & ad ſcortationem ipſam facile ducit. Dixerunt, quantum ſufficit, ad enervandam hanc opinionem DEYLINGIUS atque WOLFIUS.

§. 6.

JO. SELDENUS primus animadvertit, non de cibo, ſed de quodam matrimonii genere hic agi; at ſpatioſum nimis ſibi aperit campum. De omnigenis ערוות ſive turpitudinibus atque concubitibus ex lege Moſaica illicitis vocem noſtram explicat; immo & huc trahendas putat nuptias cum proximis conſanguineis, quas Proſelytis permittebant Judæorum magiſtri, ob illam, quam credebant, priſtinæ conſanguinitatis abolitionem. o) Sed quod ad ultimum, ut ad illud, inverſo ordine, primum reſpondeamus, qua quæſo ratione illud hic in cenſum venire poteſt? Permittebant tales nuptias Judæorum magiſtri Proſelytis: ergo illis non offendebantur; multo minus abſtinentiam ab illis nuptiis urgebant. Quo igitur modo fieri potuit, ut Apoſtoli in Judæo-

o) Ita cenſet SELDENUS in *J. N. & G. juxta diſc. Hebr.* Lib. VII. c. 12. p. 891. Nec tamen ſibi conſtat, & in lib. *de Ux. Hebr.* idololatriam mavult ſubtiliorem, in libr. *de anno civ. Jud.* vero inceſtum. Nec id in eo mirandum. Vide, quæ de illo judicat CLERICUS *art. crit.* p. I. c. 5. §. 5. p. 97.

dærorum gratiam tales nuptias prohiberent? Fuere præterea per ſe ipſas turpes. Quis ideo ſibi perſuadere poteſt, Apoſtolos eas inter res natura ſua medias & adiaphoras collocaſſe, & ad tempus prohibuiſſe, quæ omni tempore ſunt prohibendæ. Quod vero ad primum, ut ad illud redeamus, ſpectat, vix credimus, SELDENUM ſub omnimodis ערוות ex lege Moſaica illicitis, comprehendere ſodomiam, pariaque infanda crimina & flagitia, de quibus nemo ſuſpicabitur, Apoſtolos ullo modo cogitaſſe, ſed videtur nobis reſpexiſſe ad nuptias legibus Moſaicis illicitas. Jam vero hæ leges, quæ *Lev.* XVIII & XX. occurrunt, duplicis ſunt generis. Quædam proximos ſpectant, parentes, liberos; fratres, ſorores; nurum, ſocerum; ſocrum, generum: quædam remotiores, quales ſunt patris matrisque ſorores, fratris patruique viduæ. Illæ vero, prioris generis, cum præter omnem dubitationem non ſint poſitivæ, ſed juris naturalis, aut ſi mavis, juris moralis hypothetici p), ad illas Apoſtoli in eo, de quo agimus, canone reſpicere non potuerunt, quippe qui, ut ſupra vidimus, de rebus

p) Vid. omnino & præ aliis Viri doctiſſimi JO. DAV. MICHAELIS *Abhandl. von den Ehegeſetzen Moſis* §. 13-20. cf. etiam totum cap. V.

bus ſua natura non inhoneſtis, quæ tamen fratribus infirmis offendiculo eſſe poterant, pronunciabant, quo nuptiæ inceſtæ parentum cum liberis &c. referendæ non ſunt.

§. 7.

Reſtant igitur leges Moſaicæ matrimoniales poſterioris ordinis. Atque has ſolas ſub πορνειας voce hic latere ſibi perſuaſit cel. SIG. JAC. BAUMGARTENIUS, hancque ſententiam, ut unicum tollendæ omni difficultati ſufficiens remedium propoſuit q). Placuit, cum eam legeremus, prima ſua fronte, calculumque noſtrum illico adiecimus, retraximus vero poſtea, re curatius penſitata. Nimis fidenter enim nobis viſus eſt Vir ſummus has leges legibus naturalibus eximere & ad ſolam πολιτειαν populi Judaici referre. Magis dubitanter & circumſpectius de hac re pronunciat cel. MICHAELIS. r) Sed quicquid ſit; referantur, per nos jam licet, leges hæ ad illud forum, quod maxime cuique placuerit: Alia ad manum habemus arma, quibus hæc de voce πορνεια opinio poteſt confici. Qui Antiochiæ ex Gentibus Chriſto nomen dederant, erant vel Romani vel Romanorum more viven-

tes

q) Vid. eius *theol. Bedenken* VI. *Saml.* p. 236. VII. *Saml.* p. 90.

r) *von den Ehegeſ. Moſis* §. 55-58.

tes Græci. At inter illos tum temporis *Jus oſculi* adhuc vigebat, quod quousque ſeſe extendebat, eousque matrimonia illegitima reddebat. Extendebat vero ſe usque ad conſobrinos. Dignus, qui hic conſulatur doctiſſimus MICHAELIS. s) Juris oſculi origines autem, qui ſcire cupit, adeat TERTULLIANUM t) & ATHENAEUM. u) Quæ in contrarium poſſent allegari exempla, principum ſunt, qui leges aliis, non ſibi datas, plerumque putant. Sed populus antiquo mori inhærebat, nec, quamvis poteſtate data, eos imitabatur. x) Iis vero, qui ita animati ſunt atque inſtituti, admonitione nulla opus erat, ut evitarent, quod ſua ſponte jam evitabant. Si quem vero, quæ hactenus diſputavimus, nondum movent, eum, quod nunc addemus, certe movere debet, ut nuncium huic interpretationi vocis πορνειας mittat. Erant ſcilicet Judæi tanta erga Proſelytos indulgentia, ut ipſam matrem eis ducendam permitterent, poſtquam iſti relicta Gentilium idololatria ad ſacra Judaica ſeſe contuliſ-

s) *l. c.* §. 30.
t) *Apologet.* c. 6.
u) *Deipnoſoph.* Lib. X. p. 217. ed. Baſil.
x) vid. SUETONIUS *Claud.* c. 26. & TACITUS *Annal.* Lib. VII. c. 7.

lissent, quod hacce conversione omne pristinum consanguinitatis vinculum solutum censerent. y) Jam vero qui hac imbuti erant opinione, irasci multo minus poterant atque offendi, si cum amita, matertera &c. matrimonium contraherent. Nullum hinc de hoc negotio inter τὰς ἀπὸ τῆς τῶν Φαρισαίων αἱρέσεως πεπιστευκότας & Christianorum Proselytos certamen oriri potuit. De hac re ergo Apostoli per delegatos minime consulebantur; de hac re adeoque non opus erat, ut in responsione sua aliquid decernerent, nisi forte credas, eos more senatorum Romanorum sententiæ suæ aliquid addidisse, de quo non erant rogati. Attamen nec isti quidem πορνειαν addiderunt tantum, sed ceteris etiam immiscuerunt. Et quo tandem pacto hæc Proselytorum matrimonia cum amita, matertera &c. πορνειαν appellare potuerunt in suo decreto, & quid sibi hac voce vellent a Pharisæis Antiochenis intelligi, cum tam turpi nomine vulgo venire non solerent, quippe quæ licita & honesta a Judæis censebantur?

§. 8.

Enarravimus hactenus aliorum sententias, rationesque, ob quas rejiciendæ videan-

y) LIGHTFOOTUS *hor. hebr.* ad Jo. III. 3. Opp. Vol. II. 610. WOLFIUS *Cur.* ad 1 Cor. V. 1.

deantur. Proferemus jam & nostram. Judicent alii, num felicius conjectati simus. *Videtur nobis nimirum vox* πορνεια *in canone illo Apostolico significare matrimonium cum hominibus idolorum cultui mancipatis initum.* Neminem invenimus, qui idem hic nobiscum senserit, præter Theologum Heidelbergensem eximium b. LUDOV. CHRIST. MIEGIUM z), qui tamen sententiam suam paucis tantum verbis edicit. Sed quamvis caussæ nostræ patronorum copia desit, non desunt tamen argumenta, ut quidem videntur, non omnino levia. Producemus ea in medium, periculum facturi, num aliis etiam tanti videantur, quanti nobis ipsis.

§. 9.

Atque quidem primo ad scopum omnino attendendum esse putamus, quem sibi fixerunt Apostoli in condendo suo decreto. Christiani εκ περιτομης non erant omnes ejusdem indolis & ingenii. Quidam acriores legis Mosaicæ vindices, ζηλωται τε νομε, ex Pharisæorum schola, totam legem V. T. non modo ipsi observare volebant, sed ut

z) in *Meletematibus sacris de officio Pastoris Evangelici* c. 16. p. 491. *Nec dubitamus*, scribit, *quin eiusmodi matrimonium* (cum infidelibus) *si non tantum, saltim primario Act. XV. 20. sub nomine* πορνειας *prohibitum fuerit.*

& idem a Gentilibus ad Christum conversis fieret, omni nisu contendebant. Alii mitioris animi propria observatione legis ceremonialis contenti, gentilibus tamen idem jugum imponendum esse, non omnino urgebant. Utrique tamen cum Christianis ἐξ ἀκριβείας conversari, jus hospitii quoddam alere, aut amicitiæ arctiori vinculo se conjungere, atque ita in unum corpus & societatem coalere, nullo modo potuerunt, nisi hi moribus eorum aliquantulum sese accommodarent. a) Quod ut fieret, jubent Apostoli, ut abstinerent ab idolothytis, sanguine & suffocato, a quibus rebus gens Hebræa quam maxime abhorrebat. Putamus tamen, nec forte fallimur, his tribus verbis plura innui, quam quidem vulgo creditur. Cibos fortsitan & alios, Judæis exosos, sub nominatis tribus principalibus comprehendunt Patres Hierosolymitani, voluntque ac jubent, ut Christiani ex Gentilibus,

a) Ἄθεμιτον ἐστιν ἀνδρὶ Ἰουδαίῳ κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ ait *Petrus* ad *Cornelium*, qui tamen Proselytus portæ erat *Act.* X, 28. Et hinc colligimus, nec cum hujus quidem generis hominibus commercium magnum fuisse Judæis cf. GROTIUS *ad h. l.* Quæ vero rei ratio? idololatria non erat, cui nuntium miserant hi εὐσεβεῖς καὶ φοβούμενοι τὸν θεὸν. Fuit vero morum & ciborum diversitas. cf. GROTIUS *de I. B. & P.* Lib. II. c. 15. §. 9.

libus, qui Judæis mixti viverent, horum gratia & ut inter utramque nationem ſocietatis vinculum necti poſſet, ex amore fraterno iis abſtinerent. Inuſitatum enim hoc non eſt, ſed ſæpius accidit, b) ut quibusdam alicujus generis nominatis, reliqua tacite ſubindicentur. Alterutrum utique fieri neceſſe erat, vel ut Judæi cibis, a quibus maxime abhorrebant, aſſueſcerent, vel ut Gentiles a quibusdam cibis, quibus aſſueti erant, abſtinerent. Quorum prius cum longe ſit difficilius, ut nemo, qui naturam humanam perſpectam habet, negabit, poſterius ſapienter juſſerunt Apoſtoli. Difficultatem illam ex parte Judæorum *Jacobus* exquiſitis ad hanc rem verbis exprimit *v.* 21. *Moſes*, inquit, i. e. lex Moſaica 1) ab antiquiſſimis temporibus 2) per ſingulas urbes 3) in omnibus ſynagogis 4) ſingulis ſabbatis 5) legitur non tantum, ſed & 6) prædicatur vel inculcatur. Quæ verba ſtudio ita conjuncta id oſtendunt, difficile vehementer eſſe negotium illud, in-

b) Plurima hujus rei ex ſacris poſſent adferri exempla, ſed duo tantum allegabimus. *Moſes* nominato uno animali puro vel impuro, reliqua omnia vult intelligi *Ex.* XXI. 33. XXII. 1. 4. XXIII. 4. 5. 12. XXXIV. 20. Ipſe *Chriſtus* apud *Luc.* XVIII. 20. quinque nominat præcepta, & tamen totam legem naturalem vult indicare.

veteratam illam Judæorum, a cibis ſecundum legem Moſaicam immundis, averſationem ex animis eorum eradicandi. Gentilibus igitur omnibus, c) cum Judæis uno loco viventibus, injungunt Apoſtoli, ut ab iis cibis abſtinerent, quorum uſus omnem cum ita animatis hominibus conjunctionem tollerer atque everteret. Id enim experientia teſte conſtat, inter illos nullum arctum inſtitui poſſe commercium, nullamque firmam amicitiam, qui a communione menſæ & domicilii omnino excluduntur. Hinc φιλαν τραπεζων dixit PINDARUS d) quod amicitiam faciat, augeat atque conſervet. Hinc & in S. S. εσθιειν & λαμβανειν εις οικιαν pro arctiori commercio ponitur. e) Hinc &

c) Legitur BENSONII, Angli eruditiſſimi, *diſſ. de abrogatione legis ceremonialis*, inſerta eius *Paraphr. & Explicat. quarundam Epp. N. T.* T. II. p. 181. ſſ. verſ. Germ., quæ cura *Bambergeri* prodiit, in qua ſibi & aliis perſuadere cupit, hoc Apoſtolorum edictum, tantum ad Proſelytos portæ, ad Chriſtum converſos, non vero ad omnes Chriſtianos εξ ακροβυσιας, pertinere. Sed quæ argumentis eius poſſent opponi, & quæ contrariam ſententiam ſuadent, hic non vacat exponere.

d) *Olymp* I. antiſtr. 1. v. 7.

e) *Luc.* XIII. 26. 1 *Cor.* V. 11. *Gal.* II. 12. 2. *Jo.* 10. 11. Similia quædam ex Profanis collegit KYPKE *Obſ. S.* T. I. p. 49.

& rationem petendam esse exsistimamus, cur tam in V. quam in N. T. unum ex Sacramentis in participatione ejusdem cibi positum voluerit sapientissimus Ecclesiæ Rector ac Dominus.

§. 10.

Jam vero non levius impedimentum conjunctionis fraternæ inter primos Christianos fuisset, si, qui erant ἐξ ἀιρεσβιτιας vitæ socias inter idololatras sibi quæsivissent aut Deorum cultoribus nupsissent. Talia enim matrimonia Judæis vehementer erant exosa, quippe quæ toties ac repetitis verbis iis erant prohibita f). Hinc cane pejus & angue hujus generis conjugia, præsertim post captivitatem Babylonicam, fugiebant. *Separati*, inquit TACITUS, g) *epulis, discreti cubilibus, projectissima ad libidinem gens, alienarum concubitu abstinent, inter se nihil illicitum.* Hinc & *Esthera* in precibus suis aversationem a toro incircumcisorum, ut non leve pietatis suæ documentum, allegat: *Et scis me odisse gloriam iniquorum & abominari cubile incircumcisorum*

f) *Ex.* XXXIV. 16. *Deut.* VII. 3. 1 *Reg.* XI. 2. *Esr.* IX. 12. *Malach.* II. 11.

g) *Histor.* Lib. V. c. 5.

rum & omnis extranei. h) Narrat JOSEPHUS i) de quodam ſibi cognomine, quod egregia ſaltatriculæ cujusdam gentilis forma captus, clam cum illa cupierit concumbere & matrimonio eam ſibi jungere, επει νομῳ κεκωλυται τοις Ἰουδαιοις αλλοφυλῳ πλησιαζειν, quod vero frater ejus maluiſſet, propriæ filiæ injuriam fieri η περιιδειν εκεινον εν αισχυνῃ γενομενον. Atque hæc averſatio in ipſa origine gentis jam magna fuit. Jam *Jacobus* ex relatione JOSEPHI k) ὁ νομιμον ηγουμενος αλλοφυλῳ συνοικιζειν την θυγατερα. Jam matrimonia cum Hethitarum filiabus morte ipſa intolerabiliora judicavit *Rebecca* Gen. XXVII. 46. Ipſe pater gentis *Abrahamus* ea faſtidiebat Gen. XXIV. 2. 3. Tam antiquum erat & inveteratum in hac gente nuptiarum cum extraneis idololatris odium.

§. 11.

Magiſtri hinc Judæorum nuptias tales vehementer damnarunt, & deſponſationem cum Cuthæa vel muliere Gentili irritam voluerunt; l) immo filios ex gentili femina ſuſceptos ab Iſraëlita, pro filiis non eſſe

h) vid. *Adiectiones ad libr. Eſtheræ* c. 14. 15. vel c. 3. 11.
i) *Antiq. Jud.* Lib. XII. c 4. §. 6.
k) *ibid* Lib. I. c. 21. §. 1.
l) SELDENUS *de Ux. hebr.* Lib. II. c. 4. p. 105.

esse habendos. m) Nec laxiori jure gaudebant Proselyti, quippe quos non minus ac originarios Judæos a Gentilium seu exterorum conjugiis arcendos esse, unanimes statuerunt. n) His accedit, quod apud Judæos pariter ac apud nonnullas alias gentes, partus sequebatur ventrem. Proles erat ejusdem cum matre conditionis, & patris ratio hac in re habebatur nulla. o) Si mater esset serva, proles servilis erat conditionis; si pagana, pro paganis habebantur liberi. Pone jam Christianum feminam gentilem duxisse, liberi ejus ad paganos pertinere credebantur a Judæis Christianis, qui de omnibus secundum opinionem, qua in Judaismo fuerant imbuti, etiam post mutata sacra judicare pergebant, hinc eos, qua tales, nec pro natis membris Ecclesiæ habebant, a commercio eorum liberos suos retrahebant, & cum adolescerent, matrimonia cum iis, tanquam paganis, abhorrebant. Quæ cum ita sint, quis non videt conjugia cum idololatris magno tum quidem impedimento fuisse, quo minus animi fratrum Christianorum ita conjungerentur, ut inter

 ejus-

m) *Id. de J. N. & G. juxta disc. Ebr.* Lib. V. c. 12. p. 640. ff.
n) *Id. ibid.* Lib. V. c. 18. p. 664.
o) *Id. ibid.* Lib. V. c. 12. p. 642, cf. *Esr.* X. 3.

ejusdem religionis Confessores decet? Unde quia res publica Christiana non potuit non ingens detrimentem capere, placuit Spiritui S. & Apostolis, tales nuptias tum quidem dissuadere, aut si mavis prohibere.

§. 12.

Nec tamen negabimus, & alias eodem tempore rationes Apostolorum animos subiisse, quibus ad id impellerentur; inter quas non ultimum forte fuit periculum ingens, cui maritus cum uxore gentili arcto matrimonii ſ vinculo junctus, si non se ipsum, liberos saltim suos, exponit. p) Ex utraque vero ratione factum videtur, ut & alibi nuptias cum infidelibus prohiberent Apostoli. PAULLUS 1 *Cor.* VII, 39. permittit feminæ, mortuo priori marito, denuo nubere, hac tamen adjecta conditione: μονον εν κυριω; q) quod Patres Ecclesiæ & ex recentioribus non pauci, explicarunt de conjugio cum Christiano marito

p) Graphice hoc periculum depingit PHILO *de spécial. LL.* Opp. p. 781. ed. Francof. Nec temere eum pronuntiasse, paginæ sacræ fidem faciunt, vid. *Gen.* VI. 2. XXVI. 34. 35. *Jud.* III. 6. 1 *Reg.* XI. 4. 5. *Ps.* CVI. 35-39.

q) Locutio hæc hic & alibi elliptica est, pro ως αρμοζει εν Κυριω, ut plene legitur *Col.* III. 18.

rito contrahendo. Ita AUGUSTINUS, r) quanquam nonnihil dubius: *In Domino; duobus modis potest accipi, aut Christiano nubens aut Christiana permanens.* Fidentior TERTULLIANUS: s) *Nuptura, in Domino debet nubere, h. e. non Ethnico, sed fratri, quia vetus lex adimit conjugium allophylorum.* Repetit, quam dederat legem, PAULLUS 2 *Cor.* VI. 14. Μη γινεσθε ἑτεροζυγουντες ἀπιστοις &c. Idem etiam, cum indicare vult, sibi licere, pariter ac ceteris Apostolis, uxorem ducere & secum habere, non simpliciter dicit, μη κε εχομεν εξουσιαν γυναικα περιαγειν, sed non sine consilio ait ἀδελφην γυναικα i. e. uxorem Christianam 1 *Cor.* IX. 5.

§. 13.

Accèdimus nunc ad alterum rei caput, quod est, ut ostendamus, nuptias cum Gentilibus turpi πορνειας nomine a Judæis fuisse insignitas. Quod nisi evicerimus, nihil probasse jure censebimur. Quam ob rem sequentia notamus. Ut Gentiles in genere omnes sub generali *Peccatorum* nomine Judæis veniebant, t) ita

r) *de adulter. conjug.* Lib. I, c. 25. Opp. T. VI, p. 835. ed. Bas.
s) *de monogamia* c. 7.
t) Vid. *Matth.* XXVI. 45., ubi Christus dicit, quod

ita & femellæ eorum a peccato in ſequiori ſexu exſtantiore, *meretrices* vel πόρναι ab iisdem dictæ ſunt. Hoc extra omnem dubitationis aleam eſt poſitum. Adfirmant id uno ore & Judæorum magiſtri & ex Chriſtianis viri litterarum hebræarum peritiſſimi, MAIMONIDES, SELDENUS, GROTIUS, u) BRAUNIUS; v) DANZIUS x) pluresque alii. Evincunt idem plurima S. S. loca, quorum tantum quædam adducemus. *Jephtha*, qui *Jud.* XI. 1. ſcorti filius vocatur בן-אשה זונה ſtatim *v.* 2. dicitur filius peregrinæ בן-אשה אחרת. JOSPHVS

quod ſit tradendus in manus ἁμαρτωλῶν, at apud *Luc.* XVIII 32. eorum loco dicitur τοῖς ἔθνεσι. Cf. & *Gal.* II. 15. In Evangeliis ſæpe junguntur τελῶναι καὶ ἁμαρτωλοί, & iterum οἱ ἐθνικοὶ καὶ τελῶναι Adde peccatores Amalekitas 1 *Sam.* XV. 18. atque ſimul obſerva, ἁμαρτάνειν vel *peccare* apud Græcos & Latinos & in ipſo S. codice ſæpe idem ſignificare, ac *ſcortari*. Luculenter id docet cel, HEUMANNUS *nov. Syll. Diſſert.* P. I. p. 181. ſſ. &, quos ibidem citat, PRICAEUS ad *Luc.* VII. 37. & ELSNERUS *Obſ. S.* ad *Jo.* VIII. 11. quibus adjicimus WOLFIUM *Cur.* ad *Luc.* VII. 34. 37. & *Jo.* VIII. 11.

u) ad *Lev.* XXI. 7.

v) *Sel. Sacris* Lib. III c. 1. p. 305.

x) *diſſ. de cura Hebr. in conquirendis Proſelytis.* c. 4., quæ inſerta eſt MEUSCHENII *N. T.*

SPHVS eum vocat ξενον περι την μητρα. y) In *Proverbiorum libro* nihil eſt frequentius, quam ut זונה, נכריה, זרה inter ſe miſceantur atque unum pro altero ponatur. z) Sacerdoti hebræo interdicitur *Lev.* XXI. 7. 14. connubium cum אשה זנה וחללה, *ſcorto & vitiata.* Diſcrimen quærunt inter utramque interpretes. Ji nobis recte vidiſſe videntur, qui זונה de peregrina vel extranea intelligunt: hæc enim explicatio ipſo textu nititur, nam opponitur illi זונה וחללה בתולה מעמיו *v.* 14. *virgo e populis ſuis. Hoſeas* Propheta jubetur a Deo ſumere אשה זנונים. Difficile opus adgredietur, quicunque hic vel de ſcortatione vera ac propria, Prophetæ a Deo juſſa, cogitabit, vel omnia aut prophetica tantum prædicatione, aut ſomniante & ſtertente viro divino, non re vera, accidiſſe & geſta eſſe, autumabit; vel quæ eſt omnium improbabiliſſima conjectura, cum LUTHERO, TARNOVIO a) aliisque ſibi perſuaſerit,

T. ex Talmude illuſtr. p. 673. *Obſervandum*, ſcribit, *vocem* זונה *adeo extendere Judaeorum interpretes, ut non magis ſcortum, quam virginem non-Iſraëlitidem ſub ea velint intelligi.*

y) *Antiq. Jud.* Lib. V. c. 7. §. 8.

z) vid. *Prov.* II. 16. V. 3. 20. VI. 24. 26. VII. 5. XXII. 14. XXIII. 33.

a) *Exercitt. bibl.* p. 213. ſſ. ed. II.

rit, Prophetam honeſtam virginem duxiſſe, eique tantum nomen ſcorti impoſuiſſe: difficile, inquam, opus adgredietur, qui hanc ſuam opinionem, ſive cum ſanctitate Dei ejuſque præceptorum, ſive cum fide S. S. hiſtorica conciliare operam dabit. Sed ſi hic intelligas mulierem extraneam & gentilem, omnia erunt plana; modo quoad *Hoſ.* III. 2. 3. obſerves, XV. Siclos, non ſcortationis aliquam mercedem eſſe, ſed novam & alteram dotem, qua feminam ſibi denuo deſponſavit Propheta, & loci *Deut.* XXI. 13. memineris, ubi mulier peregrina per aliquot dies ante celebrandas nuptias domi conſidere jubetur. Atque tum & perſpicua erit analogia typi & antitypi. Deus enim populum Iſraëliticum ex idololatricis nationibus extraxit, ſuumque eſſe juſſit populum; hoc ut effingeret Propheta, mulierem extraneam aſſumſit. Deus ſe ut maritum, eccleſiam Judaicam ut deſponſatam ſibi rite mulierem, prædicat; hinc & Propheta, ut Deo ſimilis fieret, juſtum cum muliere illa matrimonium iniit: nec adeo de ſcortatione quadam hic erit cogitandum, quo pacto enim tum *Hoſeas* Dei perſonam, mulier vero perſonam ecl. Jud. potuiſſet agere? Judæi poſtea a Deo averſi ad idololatriam antiquam redierunt; ita ut infidelis mulier, rupto matrimonii vinculo,

ad

ad populares ſuos rediit. Deus iterum ſæpiusque Iſraëlem ex ſuperſtitioſo Deorum cultu retraxit per vates ſuos, & ad veram religionem, ad antiquum quaſi matrimonii fœdus, reduxit; pari modo & *Hoſeas* mulierem infidelem denuo ſibi deſponſavit. Deus tandem bona ea, quibus ſibi Iſraëlem quaſi in uxorem redemit, reddidit, poſſeſſionem terræ Cananiticæ, omnemque vini ac frugum copiam, ut nova quaſi dote data, priſtinum connubium renovaret c. II. 14. 15. 19. ſſ.; ita & Prophera nova dote, XV. ſcilis & ſeſqui chomero hordei, ad renovandum matrimonium mulierem compulit. Atque hinc clarum eſſe ducimus, non de ſcorto proprie ſic dicto, ſed femina peregrina in matrimonium ducenda, Deum ad Prophetam eſſe locutum. Nolumus plura coacervare exempla. b) Allata ſufficiunt, ad probandum, feminam extraneam vel

b) JO. FRID. FRISCH in *commentatione de muliere peregrina, apud Ebraeos minus honeſte habita* (Lipſ. 1744) p. 7-19. allatis rationibus oſtendit, etiam *Gen.* XXXVIII. 15. 1 *Reg.* XXII. 38 *Jeſ.* XXIII. 16. peregrinam mulierem voce זונה indigitari. Idem vir doctus & p. 19-23. in radicem זנה inquirit & probare allaborat, eam ſenſu generaliſſimo ſignificare *recedere, digredi*, ſpecialiori *exire, abire, vagari, extravagari*, ſpecialiſſimo *ſcortari*,

vel gentilem & ſcortum apud Judæos fuiſſe ſynonyma, ſi & ea, quæ de אשת זנונים apud *Hoſeam* diximus, non placerent.

§. 14.

Quæ cum ita ſint; cum femina peregrina & idololatrica turpi nomine *ſcorti* apud Judæos notaretur: an aliter fieri potuit, quam ut & nuptiæ cum eadem pari infamia laborarent & *ſcortatio*, πορνεια, dicerentur? Unum ex altero ſequitur. Πορνος hinc etiam vocatur *Eſavus Hebr.* XII. 16., non quod proprio ſenſu fuerit ſcortator: id enim de eo legitur nuſquam; ſed quod contra voluntatem parentum alienigenas duxerit, ut rationem ante nos jam dixit b. MIEGIUS; c) & ממזרים dicuntur ex hujus generis conjugio nati, quod nomen cum bis tantum in V. T. occurrat *Deut.* XXIII. 2. & *Zach.* IX. 6., a τοις LXX. hic per αλλογενεις, ibi vero per εκ πορνης redditur. d) Atque huc pertinere putamus etiam, quæ *Apoc.* II. 14. & 20. de doctrina *Bileami*, *Nicolaitarum & Jezabelis* dicuntur, qua inſtituerint φαγειν ειδωλοθυτα και πορνευσαι. Sed cum hoc peculiari illuſtratione indigeat; ne nimium excreſcat diſſertatio præſens, nunc qui-

c) loco ſupra ad §. VIII. citato.

d) ממזר in loco Zachariano & a JUNIO AC TREMELLIO per *infamem extraneum explicatur.*

quidem ab illuſtrando hoc loco Apocalyptico abſtinemus.

§. 15.

Expoſuimus igitur rationes, quibus explicationem noſtram vocis πορνείας in decreto Apoſtolico fulciendam eſſe, arbitrati ſumus. Jam conjecturam aliquam non improbabilem adjiciemus, quare Apoſtoli forſitan matrimonia cum Gentilibus heic loci πορνειαν maluerint nominare, quam aperto & rotundo ore proprio ſuo nomine inſignire. Mirabuntur enim fortaſſe quidam, Apoſtolos, quotieſcunque de hac re aliquid præcipiant, tectis vocabulis & phraſibus uti, ut απεχεσθαι απο της πορνειας, γαμειν εν Κυριῳ, μη ετεροζυγειν απιστοις. Immo fuerunt, qui plane negarunt, de vitandis matrimoniis cum infidelibus in N. T. aliquid eſſe præceptum, quod id non propriis verbis indicatum invenerint, inter quos & ipſe LUTHERUS, e) ſuum procul dubio ſecutus AUGUSTINUM, qui de hac re in N. T. nihil exſtare adfirmat; f) attamen & alibi g) rectius dicit, non inveniri teſtimonium in N. T., in quo *ſine ambiguitate* ejus-

e) *de Capt. Babyl.* cap. *de Matrimonio* §. 159. Opp. T. XIX. col. 123. ed Walch. Halenſ.
f) *de fide & operibus* c. 19.
g) *ad Pollentium de adult. conjug.* Lib. I. c. 25.

ejusmodi conjugia prohibeantur. Atqué ita etiam ſeſe res habet. Impropriis verbis utuntur & tectis ſanctiſſimi viri, atque id forſitan fuit prudentiæ Apoſtolicæ. Satis clara erant tum temporis eorum verba fidelibus, ſatis obſcura vero infidelibus. Quo pacto impediebatur, ne hi contra illos magis irritarentur, atque quos jam *odii generis humani* & μισανθρωπιας ſuſpectos habebant, majoribus criminationibus proſequendi anſam arriperent. Ex eadem ratione, ni fallimur, in Apocalypſi Roma jam nomine Aegypti, jam Sodomæ & Babylonis traducitur *Apoc.* XI. 8. XVII. 5., ne Romani, tum quidem Chriſtianorum Domini, fidelibus Chriſti iraſcerentur, cum ſuæ Urbi, quam *Aeternam* nominabant & *Immortalem*, tot mala & ultimum exitium in ipſorum libris ſacris prædicta intelligerent. Pari modo & PAULLUS 2 *Tim.* IV. 17. de *Nerone* tecte ſub leonis nomine loqui creditur, ut quondam *Agrippæ* libertus de *Tiberio.* h) In quo quidem illi prudentiam optimi Servatoris imitati, qui, ne Judæi, infenſiſſimi Ejus hoſtes, haberent, quo eum, ut res novas molientem & regni cupidum ad Procuratorem Romanum deferrent, admodum circumſpecte de ſe ipſo loquebatur, & Se Meſſiam atque Regem Iſraëlis eſſe, tecte

h) apud JOSEPHUM *antiq. Jud.* Lib. XVIII. c. 8.

tecte plerumque sub parabolarum & synonymorum involucris pronunciabat, ut ii, qui pio ac sincero ad eum venirent animo, satis clare mentem ejus perciperent, at delatores subobscuram, aut prorsus nullam, haberent caussam, ob quam Eum coram judice Romano in jus vocarent. i)

§. 16.

At prævidemus duo, quæ nostræ sententiæ forte objicientur. *Primo*: locus 1 *Cor.* VII. 12. 13. 14., ubi PAULLUS expressis & claris verbis vetuit, ne frater Christianus dimittat uxorem non-Christianam, nec soror Christiana derelinquat maritum infidelem, ει συνευδοκει οικειν μετ' αυτης μη αφιετω αυτον. At quisque, adhibita animi attentione, facile perspiciet, Apostolo hic rem esse cum iis, qui matrimonium jam contraxerant ante, quam unus eorum ad sacra Christiana sese convertisset. Tales nuptias justas vult & sanctas, liberosque hinc natos pro αγιοις i. e legitimis pronunciat, k) nec Christianam Religionem

i) vid. de hac Servatoris prudentia egregie differentem cel. LOCKIVM in libr. *de rationabilitate Christianismi*, gallice a cel. COSTE edito, capp. 8. 9. & 10.

k) Digna est, quæ legatur hic ANDR. GE. WAEHNERI diatribe *de sanctificatis per conjuges conjugibus*. Prodiit Gottingæ 1741.

pro cauſſa divortii habendam eſſe cenſet, idque ex graviſſimis rationibus, quæ ex natura rei petuntur & ad conſervandam Religionis famam & exſiſtimationem inter Gentiles ſpectabant. Unde & PETRUS *Ep.* I. c. 3, 1. 2. jubet, ut uxores maritis, quamvis infidelibus, ſubjectæ maneant, eoſque vitæ ſuæ potius exemplo ad arripiendam veram Religionem commoveant, quam divortio facto illos deſerant. At in eo, qui præ manibus eſt, loco agitur de Chriſtianis, nondum ullo nuptiali vinculo alicui junctis, qui uxores ducturi erant, nondum duxerant, aut quæ nupturæ erant, nondum nupſerant. His præcipit Apoſtolorum conventus, ut potius ex Chriſtianis ſibi eligant vitæ ſociam aut ſocium, quam ex Gentilibus, ut ἱερὰς γαμὰς contrahant, habeantque viri γυναικα γαμετην κατα νομὰς ἱερὰς συνελθουσαν ανδρι, l) mulieresque maritum ejusdem conditionis. Hæc duo non bene diſtinxit vir memoriæ nunquam intermorituræ b. PHIL. MELANCHTHON. Movet enim quæſtionem: m) An liceat Chriſtiano ducere Ethnicam aut alioquin diſſentientem de Religione? atque reſpondet ex loco 1 *Cor.* VII. Non

l) Verbis utimur DIONYSII *Halicarnaſſ.* ex ejus *Antiq. Rom.* Lib. II. p. 95. ed. Sylb.
m) *in Locis theol.* tit. *de conjugio.* Vid. ejus *Corpus doctr. Chr.* p. 739. ed. Argent. 1580.

Non bene diſtinxit 1) inter ducere uxorem & in matrimonio jam contracto permanere, 2) inter tempora Apoſtolorum & noſtra, 3) & quid etiam noſtris temporibus ſit libertatis & quid prudentiæ Chriſtianæ.

§. 17.

Altera objectio ex ipſa vocis πορνειας ambiguitate poſſet peti. Cum enim ſcortationis vocabulum tam late pateat & apud Hebræos, & Græcos n) & ipſos Apoſtolos, ut omnia vitiorum genera fere comprehendat, vid. 1. *Cor.* V. 9. 10.: rogabit forſan aliquis, unde Antiocheni intelligere potuerint, hunc nec alium eſſe hic vocis illius ſignificatum? At hoc ſtatim obſervari velimus, hanc rem, ſi quid ei difficultatis ineſt, nos non ſolos tangere, ſed quoscunque interpretes, qui vocem πορνειαν non in ampliſſimo ſuo ambitu accipiunt, adeoque omnes, quoniam nemo tam audax repertus eſt, ut omnia omnis generis vitia intelligi voluerit; omnes illos ſaltem, qui vocem πορνειαν non proprio ſuo ſenſu accipiunt, quorum, ut vidimus, ſunt plurimi.

n) vid. de hac re fuſius differentem SELDENVM *Ux hebr.* Lib. III. c. 23. p. 356. ff. & adde locum ex POLLUCE opportune adductum a WOLFIO *Cur.* ad *Matth* V. 32.

mi. Reſpondebimus igitur ex hypotheſi noſtra: videant ceteri, num ex ſua poſſint æque feliciter. Atque quidem *primo*, oſtendimus ſupra, hunc, quem voci πνικτὰ tribuimus, ſignificatum, inter Judæos notiſſimum fuiſſe atque frequentem; *ſecundo*, cum Antiocheni per *Paullum* & *Barnabam* quæſtiones propoſuerunt Apoſtolorum, & Presbyterorum, quod Hieroſolymis erat, collegio, de ritibus legis Moſaicæ, quatenus a Chriſtianis ſint obſervandi, id facile ſenſiſſe credimus Antiochenos Patres, quos conſuluerant, non de legibus naturalibus, ſed Moſaicis, iis reſpondere: ſenſus enim reſponſionis pendet ab indole propoſitæ quæſtionis; *tertio*, cum de Phariſaeorum ſecta eſſent, qui in Eccleſia Antiochena turbas illas moverant, quibus componendis canon Apoſtolicus inſervire debuit, iſque in illorum Phariſæorum gratiam eſſet datus, facillimo negotio, niſi omnino ſtupidos & omni ingenio deſtitutos tibi fingas Antiochenos, illi id intelligere debuerunt, tale quid iis defendi, quod Phariſæis & Judæis, iis conſentientibus, ſit offendiculo. Jam collige hæc. Prohibent Apoſtoli, quod trito ſermone πνικτὰ dicitur, quodque non eſt legibus naturalibus, ſed Moſaicis tantum, turpe, atque quod Phariſæis in Proſelytis eſt offendiculo: quid, quæſo id

eſſe

esse potest, quam matrimonium cum Gentilibus, in quod solum hæc omnia cadunt? *Quarto* tandem, si etiam ponas, Antiochenis nihilominus aquam hæsisse, & de vero sensu vocis eos dubitasse, habebant secum ipsum *Paullum* & *Barnabam*, qui scrupulum omnem mentibus eximere, de vero eos sensu certos atque securos reddere, atque cur hanc quodammodo ambiguam vocem adhibuissent Apostoli, rationem iis dicere poterant; atque videmus etiam, Apostolos ipsos Antiochenam Ecclesiam ad suos delegatos, & qui eos redeuntes comitati erant, *Judam* & *Silam*, in epistola sua remittere, o) ex quorum ore petere possent, quæ ad recte intelligendum canonem scire cuperent.

§. 18.

Antequam dissertationi colophonem imponamus, tribus saltim verbis in eorum gratiam, qui mirabuntur, Judæis tam exosa fuisse cum Gentilibus matrimonia, ut turpissimo πορνειας vocabulo eadem notaverint, indicare juvat, eandem rem & aliquo modo apud Græcos atque Romanos obtinuisse. Quantum ad Græcos; vel ex solo TERENTIO, qui fabulas suas ad græcos mores composuit, inhonestum quam ma-

o) *Act.* XV. 27. coll. *v.* 32.

maxime fuisse apud eos habitum matrimonium cum peregrina. Nam ita *Simo* in *Andria*, p) ut nomen habet fabula:

> Venit Chremes postridie ad me, clamitans
> *Indignum facinus*, comperisse Pamphilum
> Pro uxore habere *hanc peregrinam*.

atque paullo post idem filio suo iratus: q)

> Adeon' impotenti esse animo, ut *præter civium*
> *Morem atque legem* & sui voluntatem patris
> Tamen hanc habere cupiat *cum summo probro*.

Immo non tantum cum summo probro conjunctæ erant apud Athenienses hæ nuptiæ, sed & gravissima pœna eas sequebatur. *Si quis peregrinus*, ita sanxerunt, r) *civem ducat, quocunque modo aut arte, accusato eum, cuicunque Athenienſium libuerit aut*

p) Act. I. Sc. I. 119. f. vid. & Act. III. Sc. I. 11.

q) Act. V. Sc. III. 8. 9. 10.

r) vid. SAM. PETITI *Leges Atticas* p. 439. ed. Paris.

aut licuerit apud Theſmothetas: ſi convictus fuerit, ipſe venditor & bona ejus, eorumque triens accuſatori cedito. Siremps lex dicta eſto peregrinæ, quæ civi nupſerit: & ſi quis poſthac rem habeat cum ea, quæ peregrinitatis damnata eſt, mille drachmis mulctator. Porro illi ex liberis pro civibus Athenienſibus tantum habebantur, qui utroque parente, cive Athenienſi, erant nati; qui vero matrem habebant non-civem ſpurii & nothi eſſe exiſtimabantur. Νοθον ειναι τον μη ἐξ ασης γεγονοτα. s) Jam vero ſi tales liberi pro nothis vel ſpuriis ab iis ſunt habiti, neceſſe eſt, ut mater eorum pro ſcorto ſit reputata; atque id etiam factum eſſe, DONATVS t) teſtatur. *Mulieres peregrinæ*, ſcribit, *inhoneſtæ ac meretrices habebantur.* Hæc admodum gemina iis ſunt, quæ ſupra de Judæis obſervavimus. Quod vero jam ad Romanos attinet, apud eos non minus ad juſtas nuptias requirebatur, ut uterque contrahentium liber eſſet & civis Romanus. Alias non *connubium* vocabant, ſed tantum

s) vid. LL. Atticas apud PETITVM Lib. II. tit. IV. leg. 1 & 2.

t) ad TERENTII *Andriam* Act. III, Sc. I. 11.

contubernium. u) Hinc tantum invidiæ *Antonio* nuptiæ cum *Cleopatra* conflaverunt. Non erant enim cum peregrino & peregrina, & qui ante legem Juliam peregrinis accenſebantur, Latinis juſtæ nuptiæ, niſi a populo lege ſingulari, aut poſtea ab Imperatoribus, ſingulari privilegio eſſet conceſſum, donec tandem *Antoninus Caracalla* promiſcua inter gentes connubia permiſit. Ill. JO. GOTTL. HEINECCIVS, qui hæc obſervat, x) luculentum etiam locum affert y) ex SENECA: z) *Permiſi tibi filiam in matrimonium, poſtea peregrinus apparuiſti, non eſt mihi cum extraneo connubium.* "Si quis vero, ita porro habet HEINECCIVS, beneficio illo non impetrato, peregrinam duxiſſet, nati ex ejusmodi nuptiis liberi tanquam totidem *hybridæ* ac *novum genus hominum* habebantur, neque multo melio-

u) Plane ut & apud Athenienſes inter ſervos nullæ putabantur eſſe nuptiæ, ſed tantum συνεσιαι.

x) *Antiq. Rom. Juriſprudentiam illuſtrant.* Lib. I. tit. X, §. 16. & *in append. Lib. I.* §. 80. & 134.

y) *l. c. in append. Lib. I.* §. 34.

z) *de beneficiis* Lib. IV. c. 35.

lioris, quam servi erant conditionis, ceu patet exemplo militum Romanorum, qui Hispanas mulieres duxerant, apud LIVIVM Lib. XLIII. c. 3." Atque adeo elucet, Judæos non solos peregrinorum odio laborasse, nec, dum conjugia cum iis tam vehementer abhorruerunt, iisque *tam fœdam notam* inusserunt, aliquid habuisse, quod non cum moribus & institutis aliarum gentium conveniat.

*) Lectu digna omnino & jucunda est elegantissima hæc pl. Rev. & Doctissimi HERINGII Dissertatio. Pollicem Ipsi, arbitror, cum gratiarum actione prement, quotquot animo adtento præjudiciisque vacuo argumenta ejus pro sententia ponderabunt, & profitebuntur, nihil jam in decreto Apostolico, quoad nuptias vetitas, esse obscuri. Ut porro ejusmodi lucubrationibus Bibliothecam nostram locupletet & exornet, rogamus impense. N. B.

III.

ELIAE PALAIRET, AUCTORES SACRI CLASSICI

MARCUS.

Cap. VII. *v.* 4. Ἀπο αγορας.) sc. ἐλθοντες, vel ἐπανιοντες, *redeuntes*. Eadem ellipsis obtinet apud *Aeschyl.* Agamemn. *v.* 610.

- - - - Τί γαρ
Γυναικὶ τουτου φέγγος ηδιον, δρακειν
Ἀπο στρατειας ανδρα; - - -
- - - - *Quod enim*
Uxori lumen hocce jucundius, con-
spicere
Ab exercitu virum? - - -

pro Ἀπο στρατειας ἐλθοντα, vel ἐπανιοντα: *Ab exercitu reversum.* Plene *Herodian.* l. 1. p. 58. Ἐλθόντι δέ αυτῳ απο του λουτρου - - δίδωσιν. *Reverso autem ipsi a balneis - - obtulit.* Et Dion. *Cass.* l. 47. p. 338. qui de Vestalibus loquens, ait. Τις αυτων απο δει-

πνου

πνου ἐπανιϛσα - - υβρίϑη. *Quædam earum a cœna revertens - - vim paſſa fuit.*

Vſ. 8. Ἄλλα παρόμοιως τοιαυτα.) *Dorotheus* apud *Stobæum* ſerm. 148. p. ϛ11. de Perilli aerea vacca loquens, ait: Μυκηϑμον δ' ἡ δαμαλις ανεδίδου τῳ Φυσικῳ παρόμοιον. *Mugitum vero vacca edidit naturali conſimilem.*

Vſ. 22. Ὑπερηφανία.) Vox ſemel tantum lecta in N. T. *Ariſtides* orat. t. 1. p. 214. Τοσαυτη ἡν υπερηφανία της παρασκευης. *Tanta fuit ſuperbia apparatus.* Item *Palladas* in Antholog. Gr. l. 1. c. 12. epigr. 7. p. 26.

Βελτερον εϛι τυχης - - ανέχεϑαι,
Ἤ των πλουτουντων της υπερηφανιης.
Melius eſt fortunam - - perferre,
Quam divitium ſuperbiam.

Vſ. 24. Εις τα μεϑορια.) Hæc quoque vox eſt απαξ λεγομένη. *Herodian.* l. 4. p. 233. Φοινίκης τε καὶ Συρίας ἐν μεϑορίοις. *In Phœniciæ Syriæque confiniis.* Adde *Dion. Caſſ.* l. 47. p. 347. Πρὸς τα μεϑὸρια μαχῃ ἐκρατησε. *In confiniis proelio vicit.*

Vſ. 29. Ἐξελήλυϑε το δαιμὸνιον ἐκ της ϑυγατρος.) *Thraſyllus* apud *Stob.* ſerm. 242. p. 793. virtutem cujusdem Niliaci lapidis deſcribens, inter alia addit; Ποιει δ' αριϛα προς τους δαιμονιζομένους. αμα γαρ αυτον προστε-

ϑηναι

θηναι ταις ρισιν, ἐξέρχεται το δαιμόνιον. *Optime facit ad dæmone vexatos: quam primum enim naribus appositus est, egreditur dæmonium.*

Vs. 31. Ἀνα μέσον των ορίων.) *Diodoro Siculo* l. 1. p. 33. dicuntur quidam το (ἔθνος) των Ἰουδαίων ανα μεσον Ἀραβιας ϗ Συριας - - οικισαι: *Gentem Judæorum in medio Arabiæ & Syriæ - - condidisse.* Id. ibid. p. 35. Ἐστι ανα μέσον της τε κοιλης Συριας ϗ της Αιγυπτου λίμνη. *In medio cavæ Syriæ & Aegypti est lacus.*

Vs. 32. Φέρουσιν αυτῳ κωφόν.) Pro Προσφέρουσι, ut recte *Beza* monuit. *Herodian.* l. 6. p. 277. Κοιλα σκευη φερειν. *Cava vasa afferre.* Item *Homer.* odyss. 8. *v.* 622. Φέρον δ' ἐυηνορα οινον. *Afferebant forte vinum.* Sic *Ferre* pro *Afferre*, dixit *Plaut.* Epid. 2. 2. 4. *Quis isthæc quam osculum mihi ferre jubes?*

Vs. 35. Διηνοίχθησαν αι ακοαι, ϗ ἐλυθη ὁ δεσμὸς της γλωσσης αυτου.) Αι ακοαι, *Auditus* pro *Auribus.* Sic *Onosander* Strateg. c. 1. p. 6. Ἀκοαις ἐνηχουσα σαλπιγξ. *Aures personans tuba.* Et *Maxim. Tyr.* diss. 5. p. 50. Ἀκούσιν αι ακοαι. *Audiunt aures.* Additur Ἐλυθη ὁ δεσμὸς της γλοσσης αυτου. h. e. Ἐλυθη ἡ δεδεμένη γλωσση. *Artemidor.* l. 1. c. 34. p. 32. Της γλωτταν δεδεμενην ἐχειν, απραξίαν αμα ϗ πενίαν σημαινει. *Linguam ligatam habere, actio-*

actionum impedimentum ſimul & paupertatem notat. Similiter *Aul. Gellius* Noct. Attic. l. 5. c. 9. de quodam loquelam, quam nunquam habuerat, repente recuperante loquens, ait: *Is oris vinculo ſolutus, per omne inde vitæ tempus non turbide, neque adhæſe locutus eſt.*

Vſ. 36, Μαλλον περισσότερον.) Frequens Græcis eſt το Μαλλον annectere Comparativo. *Dionyſ. Halicarn.* l. 7. p. 460. Αυθαδέστερος εσαι μαλλον. *Contumacior erit magis.* Item *Aelian.* hiſt. animal. l. 4. c. 34. Απλημόπερος δοκει μαλλον. *Magis imbecillior eſſe videtur,* Et *Cinnamus* hiſt. l. 4. p. 235. Προπετεστερον μαλλον η προμηθέστερον. *Præcipitantius magis quam conſideratius.* Sic & *Magis* apud Latinos. *Juſtin.* 3. 2. 7. *Non inventione earum* (legum) *magis quam exemplo clarior.* Nec non *Hirtius Panſa* de bel. Afr. 54. *magis ſtudioſiores.*

Cap. VIII. *v.* 4. Πόθεν - - χορτασαι.) Eodem ſenſu το Ποθεν uſurpavit *Nicarchus* in Anthol. Gr. l. 7. epigr. 170. p. 625. Ευρησει ποθεν εζ', ελθὼν ες ηλικίαν. *Inveniet unde vivat, cum venerit ad ætátem.* Item *Euripid,* Phœniſ. *v.* 413. Ποθεν δ' εβοσκω, πρὶν γαμοις ευρειν βίον; *Unde vero alebaris, priusquam per nuptias invenires victum?* Eodem modo το *Unde* adhibuit *Nepos* 5. 4.

3:

3. *Complures pauperes mortuos, qui unde efferentur, non reliquiſſent, ſuo ſumtu extulit.*

Vſ. 9. Καὶ απελυσεν αυτους.) Proba lectio eſt, pro qua in aliis *Codd.* καπελυσεν legitur. *Diodor. Sicul.* l. 11. p. 423. Τους συμμαχες απολυσας, τους πολίτας απηγαγεν εις τας Συρακυσας. *Sociis dimiſſis, cives abduxit Syracuſas.* Item *Dion. Caſſ.* l. 47. p. 347. Τὸν στρατηγον αυτων - - απελυσε. *Ducem eorum - - dimiſit.* Et *Appian. Alexandr.* alicubi de bel. Hiſp. Ἀπελυε τους αιχμαλωτους. *Dimiſit captivos.*

Vſ. 12. Ἀναστεναξας.) *Anacreon* ode 45. *v.* 15. Ὁ δ' Ἄρης αναστεναξας βαρυ, Φησὶν, αρον αυτό. *Mars vero ingemiſcens graviter, eam* (ſagittam) *inquit, aufer.* Id. ode 21. *v.* 3. Προποθεις αναστεναζω. *Potatus ingemiſco.*

Vſ. 25. Ἐνέβλεψε - - απαντας.) Incertus Auctor in *Anthолog. Gr.* l. 2. c. 47. epigr. 1. p. 250.

- - Ὅταν ἐμβλέψω Νικανορα τον σορο-
πηγον
Καὶ γνω πρὸς τι ποιει ταυτα τα γλωσσοκομα.
- - *Cum intueor Nicanora pollinctorem,*
Cognoſco ad quid hos loculos paret.

Vſ. 27. Εἰς τας κωμας Καισαρειας της Φιλιππ8.) Ic. καλαμένας. Sic *Xenoph. Eph.* l. 5. p.

p. 67. Προβαλοντες τη κωμη τη Αρειᾳ. ſc. καλουμένη. *Accedentes ad pagum Arium.* ſc. *vocatum.* Plenius id. ibid. p. 66. Ἐπὶ κωμην ἐληλυθεσαν τ Αιγυπτου Αρειον καλουμένην. *Venerunt in pagum Aegypti Arium vocatum.*

Vſ. 33. Φρονεις τα του Θεϱ.) *Dion. Caſſius* l. 41. p. 163. Ωϛε ϰ᾽ τα τοῦ Καισαρος Φρονησαι. *Ut Cæſaris partes ſequerentur.* Item *Ammonius* vita Ariſtot. p. 2. Εν τουτοις γαϱ τα του Πλατωνος Φρονει. *In his Platonis partes ſequitur.* Et *Polyænus* l. 8. p. 719. Επεισε τα Ρωμαιων Φρονειν. *Perſuaſit a Romanorum partibus ſtare.*

Vſ. 36. Τι γαϱ ωΦελησει ανθρωπον.) Sic *Habac.* c. 2. v. 18. Τί ωφελει γλυπτον; *Quid prodeſt ſculptum ſimulacrum?* Item *Euripid.* Oreſte v. 425. Πατρος δέ δη τι σ᾽ ωφέλει πμωρία; *Patris autem quid tandem profuit ultio.*

Cap. IX. *v.* 3. Ἐγένετο ϛιλβοντα.) Quam ſtupeant, qui hic Hebraiſmum detexerunt, oſtendit doct. *Georgius* Hierocrit. l. 1. c. 3. p. 25. Eſt elegans periphraſis, pro Εϛιλβε. Id jam oſtendimus. Adde *Dion. Caſſ.* l. 54. p. 546. Αλαλαξαμενος την εσθητα των βουλευτων ἐγένετο: pro Ἠλαλαξατο την ἐσθητα. *mutavit veſtem ſenatoriam.* Verbum autem Στιλβειν ſemel tantum in N. T. occurrit. Illud habet *Philoſtrat.* vita Apoll. l. 3.

c. 7. p. 99. de draconibus loquens: Την φολίδα σίλβουσι δίκην αργυρου. *Squammas quod attinet, renident inſtar argenti.*

Vſ. 11. Οτι λέγουσιν.) Οτι, *Quare.* Jam oſtendimus. Adde *Ariſtoph.* Plut. p. 95. Ἀλλ' οτι μαλις' ἐληλυθας λεγειν ἐχρη; *Sed quare maxime huc veneris dicere oportet?* Verum hic notanda eſt ellipſis. Οτι, pro Τί γέγονεν, οτι, vel Τί ἐσιν, οτι. Patet ex *Joanne* c. 12. *v.* 22. Τί γέγονεν, οτι ημῖν μέλλεις ἐμφανίζειν σεαυτόν; *Quid factum eſt, quod nobis oſtenſurus ſis te ipſum?* h. e. ut *Syrus* Interpres vertit, *Quare nobis oſtenſurus es te ipſum;* Adde *Ariſtoph.* Plut. p. 86. Τί ποτ ἐσιν, οτι πεπονθεν ανθρωπος κακον *Quid tandem eſt, quod paſſus ſit homo malum?* pro *Quare tandem paſſus eſt?*

Vſ. 12. Ἐλθων πρωτον - - ἡ πως γέγραπται ἐπι τον υιὸν του ανθρωπου, ινα πολλα παθη ἡ ἐξουδενωθη.) Jam variis exemplis adſtruere conati ſumus in Obſervat. noſtris ad h. l. hæc verba ita vertenda eſſe. *Elias quidem cum venerit, conſtituet omnia; ſed nonne ſcriptum eſt de iſto filio hominis, quod multa paſſurus ſit?* Huic explicationi favent verba *v.* 13. Ἀλλα λέγω υμῖν, &c. quæ ita vertenda ſunt: *Atqui dico vobis.* Primo obſervavimus Πρῶτον heic & in aliis locis redundare, ut *Matth.* c. 8. *v.* 21. & *Roman.* c. 1. *v.* 8. Ita quoque apud *Diodor. Sicul.*

cul. l. 3. p. 202. Τὸ μὴν πρωτον παῤῥησαν ἐπ' αὐτὸ πεθαῤῥηκότες. *Confidenti animo incurrunt in ipſum.* Deinde verba ἐπι τον υιον του ανθρωπου, accipio pro ἐπι τουτον υιον του ανθρωπου, ita ut ipſe *Joannes* ſub *Eliæ* nomine latens, indicetur, qui Υιος του ανθρωπου vocatur, prout alii Prophetæ. Sic etiam Ο pro Ουτος occurrit apud *Homer.* odyſ. γ. *v.* 309. Ητοι ο τον κτείνας δανυ ταφον Αργειοισιν. *Sane hic cum iſtum occidiſſet, dedit coenam ſepulchralem Argivis: ubi Schol.* τὸν) τουτον. Præterea Και πως, vertimus, *Sed nonne?* Id variis exemplis oſtendimus, quæ conſule ſis. De Και pro Αλλα vide ſupra ad *Matth.* c. 9. *v.* 13. Et de Πως interrogandi ſenſu confer *Demoſth.* ep. 3. p. 118. Πως γαρ ουκ ατυχης; *Nonne infelix ſum?* Inſuper Ινα pro Οτι accipitur, quod ex *Sophocle* illuſtravimus. Similiter *Ut* pro *Quod* extat in Latio. *Cicero* de amicit. c. 14. *Si verum eſt, ut bonos boni diligant.* Itemque *Juſtin.* 5. 12. *Sperans - - ut dux eligeretur.* Denique Εξουδενωθη ſemel in N. T. occurrere nota. Illud habet activo ſenſu *Maximus Planudes* vita Aeſopi p. 41. Επεθυμεις μὲν αυτος ἐξουδενωσαι ημας. *Cupiebas quidem ipſe contemnere nos.*

Vſ. 17. Εις ἐκ του οχλ8.) *Dionyſ. Halicarn.* l. 8. p. 554. Εις δε τις ἐξ αυτων Γαιος Μανιος. *Unus autem quidam ex iis Cajus*

Manius. Item *Isocrat.* contra Lochit. p. 596. omissa tantum præpositione: Πένης εἰμί ἢ τοῦ πλήθους εἷς. *Pauper sum & ex plebe unus.*

Vs. 19. Ἀνέξομαι ὑμῶν.) *Herodian.* l. 2. p. 114. Μητε συκοφαντουντος ἀνέξεσθαι. *Neque delatorem passurum se.* Sic & *Bizantinus* in Anthолog. Gr. l. 1. c. 42. epigr. 1. p. 91. Εἰ τις ἀνὴρ - - ἐθέλει κολακων ἀνεχεσθαι. *Si quis - - velit adulatores tolerare.*

Vs. 22. Ἀλλ' εἰ τι δυνασαι, βοηθησον ἡμῖν.) In Observat. nostris ad h. l. vertimus, *Agedum, si quidem potentissimus es, auxiliare nobis.* Primo Ἄλλα, pro *Agedum*, *Quæso*, usurpari patet. Sic *Eupolis* apud *Stobæum* serm. 32. p. 98. Ἀλλ' ἀκουετ' ὦ θεαταί. *Agedum, audite o spectatores.* Et *Aristoph.* Nub. v. 183. Ἀλλ' ἀνοιγε την θυραν. *Agedum, aperi ostium.* Secundo Εἰ est *siquidem.* Similiter apud *Euripid.* Oreste v. 1236. Ἰκε δητ', εἰ κλυεις - - τεκνων καλουντων: *Veni igitur, siquidem audis - - liberos invocantes.* Latini quoque *si*, pro *siquidem*, dicunt. *Virgil.* Aen. l. 5. *si concessa peto.* Denique Τί δυναθῃ, *Potentissimum esse* denotat. Sic & apud *Dion. Cass.* l. 44. p. 261. ubi *Cæsar* dicitur μέγιστος οὐχ ὁτι των καθ' ἑαυτον ἀνθρωπων, ἀλλα ἢ των ἀλλων ἀνθρωπων, των τί δυνηθέντων γενόμενος. *Maximus non sui temporis*

poris

poris hominum tantum, ſed etiam aliorum potentiſſimorum.

VJ. 23. Τὸ εἰ δυνασαι πιϛευσαι, παντα δυνατα τω πιϛευοντι. Verte, *Utinam poſſis credere hocce* (ſcilicet) *omnia poſſibilia eſſe credenti.* h. e. *in gratiam credentis.* Primo Τὸ pro Τουτο proſtat. *Libanius* epiſt. 42. p. 21. Τὸ δε ἑϛι ποιουντι μέλιτος ἡδιον. *Hoc autem eſt elaboranti melle dulcius.* Id. epiſt. 51. p. 26. Τὸ μὲν πεποίηκε. *Hoc quidem fecit.* Item *Protagoras* apud *Stobæum* ſerm. 182. p. 607. Γυναῖκα σωφρονα ζητει, ϗ μη ευμορφον. Τὸ μὲν γαρ ϑησαυρὸς ανέκλειπτος. *Uxorem pudicam quære, ſed non formoſam: hoc eſt theſaurus deficere neſcius.* Deinde Εἰ pro Εἰϑε, *Utinam*, ſe exhibet. Sic *Euripid.* Oreſte *v.* 1214. Εἰ γαρ γένοιτο. *Utinam fieret:* ubi *Schol.* Εἰ) Εἰϑε. Et *Homer.* odyſ. γ. *v.* 205.

Εἰ γαρ ἐμοὶ τοσσηνδε ϑεοὶ δυναμιν παρασϑειεν.

Utinam mihi facultatis tantum Dii concederent.

Denique Τῳ πιϛευοντι. h. e. *In gratiam credentis.* Simili ſenſu Dativum uſurpavit *Heſiod.* ϑεογ. *v.* 419. Ὡι πρόφρων γε ϑεὰ υποδέξεται ἐυχας. *In cujus gratiam prudens Dea ſuſcipit preces.*

Vſ. 24. Μετα δακρυων.) *Xenoph. Epheſ.* l. 2. 34. Η δε μετα δακρυων - - εφη. *Illa vero cum lacrymis - - dixit.* Et *Dionyſ. Halicarn.* l. 8 p. 511. Δεωμεθα μετα δακρυων. *Rogemus cum lacrymis.*

Vſ. 29. Ἐν ουδενί - - ει μη ἐν προσευχῃ τῇ νηϛειᾳ) In præpoſitione Εν, quæ hic *Per* denotat, Hebraiſmum pro more ſuo ſomniarunt *Paſor* & *Vatablus.* Contrarium evincit *Aceratus* in Anthолog. Gr. l. 3. c. 14. epigr. 15. p. 346. ubi peremptum Hectorem alloquens, ait: Εν σοι Μαιονίδης ανεπαυσατο: *per te Mæonides ceſſavit.* Item *Leontius* ibid. c. 18. epigr. 1. p. 351.

Εν σαις σωζομένη τῇ φρεσί τῇ παλαμαις.
Per tuam ſervatus & mentem & manum.

Vſ. 34. Προς αλληλους γαρ διελέχθησαν.) *Maxim. Tyrius* diſſ. 22. p. 211. Προς τον Τηλέμαχον διαλεγόμενος. *Cum Telemacho loquens.* Sic & *Dionyſ. Halicarn.* l. 2. p. 109. Διαλέγεσθαι προς τους ἐχθρους. *Colloqui cum inimicis.*

Vſ. 36. Εναγκαλισαμενος αυτο.) Hic tantum & c. 10. *v.* 16. occurrit hoc verbum. *Calliſtratus* inter Philoſtrator. opera p. 906. Ενηγκαλιζο δέ τὴ παιδα νηπιον. *Amplexabatur quoque infantem puerum.* Et *Si-*

mo-

monides in Poët. Gnomic. p. 161. de turpicula muliere loquens, ait:

- - - Αυ ταλας ανηρ
Οϛις κακὸν τοιϐτον αγκαλίζεται.
- - - *O miſerum virum!*
Qui malum hujusmodi amplexatur.

Vſ. 38. Εν τῳ ονοματί σϐ.) h. e. *ex auctoritate tua.* Eodem ſenſu vocem Ονομα uſurpavit *Polyæn.* l. 7. p. 641. Εξ ὀνόματος του πατρὸς προσέταξεν Ωχον αναγορευσαι βασιλεα. *ex auctoritate patris juſſit Ochum promulgare regem.*

Vſ. 43. Αποκοψον αὐτην.) *Dionyſ. Halicarn.* l. 2. p. 99. Τους τραχηλους απεκοπτον ἐν τῳ φανερῳ. *cervices amputabant in propatulo.* Item *Achill. Tatius* l. 1. p. 31. Καὶ ταυτην απεκοψεν, ω Ζευ, την κεφαλην γυνη. *Et hoc amputavit, o Jupiter, femina caput.* Et *Appian. Alexandr.* de bel. civil. l. 2. p. 763. Τουδε τον ωμον απεκοψε. *hujus humerum amputavit.*

Vſ. 44. ο σκωληξ αυτων.) Eleganter eo nomine inſignitur *Paraſitus* in *Proverbiis Metricis v.* 834. Σκωληξ παρασιτος των ἐχοντων ουσίαν. *Vermis paraſitus eſt eorum, qui bona poſſident.*

Vſ. 47. Καὶ ἐαν ο ὀφθαλμος σϐ σκανδαλίζῃ σε.) Hic beatiſſimus Soſpitator libidinoſos affectus, qui ex adſpectu enaſcuntur

& foventur, innuit, quique exſtirpandi & enecandi ſunt. Huc facit dictum *Maximi Tyrii* diſſ. 25. p. 93. Οδοὶ καλλους οι ὀφθαλμοί. *Oculi viæ ſunt pulchritudinis.* Et *Achillis Tatii* l. 1. p. 17. Ὀφθαλμος οδος ἐρωτικῳ τραυματι. *Oculus viam præbet amatorio vulneri.* Nec noc *Diogeniani* centur. 4. 49. p. 212. Ἐκ του εισορᾶν γινεται ανθρωποις ἐρὰν. *Amor ex videndo naſcitur mortalibus.* Denique *Muſæi v.* 94.

- - - Ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολαων
Ἑλκος ἐλιθαινει, καὶ ἐπι φρενας ανδρος ὀδευει.
- - - *Ab oculi ictibus*
Vulnus delabitur, & in corda viri deſcendit.

Cap. X. *v.* 12. Γαμηθῆ αλλῳ') Γαμεισθαι, *Nubere*, dicitur *Femina.* Sic *Aelian.* var. hiſt. l. 10. c. 2, Ἡ γυνη, η νόμῳ γημαμένη αυτῳ. *Mulier legitime nupta ipſi.* Et *Dionyſ. Halicarn.* l. 2. p. 127. qui notat, Veſtales potuiſſe, αποθεισας τατε ςεμματα καὶ τα λοιπα παρασημα της Ἱερωσυνης γαμεισθαι. *depoſitis coronis ceteriſque ſacerdotii inſignibus nubere.*

Vſ. 19. Μη Φονευσης - - μη αποςερησης.) Notat *Polyænus* Lycurgum hanc legem tuliſſe: Τους πολεμιους φευγοντας μη φονευετε, ινα μη του φευγειν ηγοῖντο το μενειν λυσιτελέςερον. *Ho-*

Hoſtes fugientes ne occidatis, ne potius ducant manere quam fugere. Verbum autem Απεσερειν uſurpavit *Iſocrat.* panegyr. p. 142. Τους ϛρατιωτας τη μιθον απεσέρησεν. *Milites mercede fraudavit.* Et *Dionyſ. Halicarn.* l. 4. p. 235. Την δέ βασιλειαν απεσερεις με. *Sed regno me fraudas.*

Vſ. 22. Εχων κτηματα πολλα.) Εχειν, *Poſſidere.* Sic *Philoſtrat.* vita Apoll. l. 2. p. 78. Πλειϛα μὲν εχω ανθρωπων. *Plurima bona poſſideo mortalium.* Nec non *Polianus* apud *Stobæum* ſerm. 53. p. 215.

Χαλκὸν εχων, πως ουδὲν εχεις μαθε, παντα δανειζεις.
Ουτως ουδεν εχεις αὐτος, ιν' αλλος εχη.
Aes poſſidens, qui nil poſſideas, diſce, omnia uſura tradis:
Ita nil poſſides ipſe, ut alius poſſideat.

Vſ. 24. Πως δυσκολον ἐϛι.) Thales apud *Diogen. Laert.* l. 1. c. 1. Ερωτηθεις τι δυσκολον; εφη, το ἑαυτον γνωναι. *Rogatus quidnam eſſet difficile? reſpondit ſemet ipſum noſcere.* nec non ibid. p. 70. Τί δυσκολον; το τα απορρητα σιωπησαι. *Quid difficile? arcana reticere.*

Vſ. 26. Καὶ τίς δυναται σωθηναι.) Fruſtra eſt magnus *Grotius* Hebraiſmum quærens in Καὶ interrogativo. Patebit exemplis. *Dionyſ. Halicarn.* l. 8. p. 511. Καὶ

τί πραξουσαι αν ημεις γυναικες δυνηθειημεν; *et quid nos facientes mulieres possemus?* Item *Libanius* epist. 59. p. 29. καὶ τις ου συνηδη τῳ μεν του δυνασθαι σωζειν; *Et quis non gratuletur facultatem alios juvandi nacto.* Nec non *Dion. Cass.* l. 5. p. 424. Καὶ τις ημῖν δικασει; *Et quis nobis judex erit?* Ut & *Aeschyl.* Agamemn. *v.* 288.

Καὶ τίς τοδ' ἐξίκοιτ' αν αγγελων ταχος;
Et quis assecutus esset tantam ad nuntiandum celeritatem.

Eodem interrogandi modo usurpatur *Et* apud Latinos. *Virgil.* Ecl. 1. *v.* 27.

Et quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi?

Vs. 32. Τα μελλοντα αυτῳ συμβαινειν) Sic *Isocrat.* orat. de Pace p. 290. Των μεν συμβησεσθαι δια ταυτα μελλοντων ουδεμιαν ποιεμενοι πρόνοιαν. *Ex illis rebus, quæ essent futura, minime prospicientes.*

Vs. 37. Δος ημῖν.) h. e. *Concede.* Sic *Aristoph.* Lysistr. p. 893. Δος μοι νυν κυσαι. *Concede mihi nunc osculari.* Adde *Callimach.* hymn. in Dian. *v.* 6. Δος μοι παρθενίην - - Φυλασσειν. *Concede mihi virginitatem - - conservare.* Sic & *Seneca* Medea act. 1. *v.* 32.

Da,

Da, da per auras curribus patriis vehi.

Et *Valerius Flaccus* Argonaut. l. 5. *v.* 516.

- - - Da jungere dextram,
Da Scythicas ſociare domos.

Vſ. 38. Πιειν το ποτηριον, ο ἐγω πινω.) Eodem modo Πιειν κρητηρα, κυπελλον, apud Veteres. *Antipater* in Antholog. Gr. l. 2. c. 47. epigr. 9. p. 253. Βουλοίμην δ' αν εγωγε πιειν - - κυπελλον. *Velim potius ego bibere - - poculum.* Item *Macedonius* ibid. epigr. 28. p. 259. Πιων κρητηρα λυαιε. *Cum biberim poculum vini.* Adde *Tibull.* 1. 9. 59.

- - - Dicatur plura bibiſſe
Pocula - - -

Vſ. 40. Καὶ ἐξ ἐυωνυμων μου, ουκ ἐſιν ὁμον δουναι.) Εμον. ſc, εργον. *Aelian.* hiſt. animal. l. 8. c. 28. Φυσεως δὲ απορρητα ἐλέγχειν ουκ ἐμον. ſc. εργον. *Naturæ arcana exponere non meum eſt.* ſc. *opus.* Item *Menander* apud *Stob.* ſerm. 257. p. 849. Ουκ ἐμὸν (ſc. εργον) ανοίγειν λανθανουσαν ατυχίαν. *Non meum eſt* (ſc. *opus*) *aperire latentem calamitatem.* Plenius *Iſocrat.* Panegyr. p. 130. Ταυτα δ' ἐμον εργον ειπειν ἐſι. *Hæc meum opus eſt dicere.* Et *Lyſias* orat. 6. 2. Ἡγουμαι τοί-

τοίνυν, ὦ βουλη, ἐμον εργον αποδειξαι. *Existimo igitur, o senatus, esse meum opus demonstrare.* Ceterum nota καὶ ante ἐξ ἐνωνυμων poni pro Ἤ, *Vel.* vide quæ dedimus supra ad *Matth.* c. 12. *v.* 37. Eodem modo accipitur *Matth.* c. 5. *v.* 19. καὶ διδαξῃ. *Vel docuerit.* Sic *Dionys. Halicarn.* l. 1. p. 24. notat, Tyrrhenos ita appellatos fuisse, καὶ διὰ τας ἐν τυρσεσιν οἰκησεις, καὶ ἀπ' ανδρὸς δυναστου. *Vel propter domicilia turrita, vel ab aliquo præpotente.*

Vs. 42. Οι δοκουντες αρχειν.) Elegans Pleonasmus, pro Οι αρχοντες. Sic *Sophocl.* Aj. flag. *v.* 1116. Οι δοκουντες ἐυγενεις πεφυκεναι τοιαῶδ' ἁμαρτανουσιν: pro Οι πεφυκοτες. *Qui nobiles nati sunt talia peccant.* Item *Diodor. Sicul.* l. 13. p. 624. Ἀνηρ - - δικαιοσυνῃ - - δοκων διαφέρειν: pro διαφέρων. *Vir - - justitia - - præcellens.* Adde *Herodian.* l. 7. p. 308. καὶ γαρ ἐποίει τουτο - - περὶ τους δοκουντας ειναι φιλτατους: pro περὶ τους οντας. *Etenim id faciebat - - in eos, qui charissimi erant.*

Vs. 46. Παρα την οδον.) *Dionys. Halicarn.* l. 2. p. 115. Αυτοῖς - - ἐσκηνωμένοις παρα την οδον. *Iis - - tentoria figentes ad viam.* Et *Aelian.* hist. animal. l. 7. c. 23. Λέοντα πως παρα την οδον ἐκφανεντα ακοντίῳ βαλλει. *Leonem forte ad viam conspectum sagitta ferit.*

Vs.

Vſ. 50. Αποβαλων το ιματιον.) Sic & apud *Homer.* Il. β. *v.* 183. Απο δε χλαναν βαλε. *Lænamque abjecit:* ubi *Euſtath.* ητοι απεβαλεν, ερριψε.

Cap. XI. *v.* 2. Ουδεις ανθρωπων.) *Palæphat.* de Incredibil. p. 17. Ουδεις αν ανθρωπων εσπειρεν αλλο τι. *Nullus quidem hominum ſereret aliud quid.* Et *Euripid.* apud *Stobæum* ſerm. 208. p. 901.

Τυμβῳ γαρ ουδεις πιστος αν ανθρωπων φίλος.

Tumulo enim nullus mortalium fidus eſt amicus.

Vſ. 13. Καὶ ιδων συκην μακροθεν.) Sic *Aelian.* hiſt. animal. l. 15. c. 12. Ουδεν φαίης αν μακροθεν ιδων, η νηιτην σόλον ιεναι. *Nihil aliud diceres eſſe, procul videns, quam claſſem incedentem.*

Vſ. 19. Εξεπορέυετο εξω της πολεως.) *Dionyſ. Halicarn.* l. 6. p. 375. Ως δε προηλθον εξω της πολεως. *Ut egreſſi ſunt extra urbem* Id. l. 8. p. 554. Προελθοντες εξω της πολεως. *Egreſſi extra urbem.* Et *Herodian.* l. 4. c. 178. Φέρουσιν εξω της πολεως. *Ferunt extra urbem.*

Vſ. 20. Εκ ριζων.) *Polyæn.* l. 2. p. 123. Εκέλευσεν εκ ριζων ανασπαν τα δένδρα. *Juſſit radicitus evellere arbores.* Item *Antipater*

in

in Antholog. Gr. l. 1. c. 59. epigr. 2. p. 120.

Ευθαλέα πλατανον - - αυραι.
Ρίζης ἐξ αυτης ἐσόρεσαν δαπεδω.
Florentem platanum - -
Radicitus straverunt solo.

Vſ. 24. Εσαι υμῖν.) h. e. *Impetrabitis.* Sic *Aeſchyl.* Prom. vinc. *v.* 731. Εσαι δὲ θνητοις εισαει λογος μέγας. *Impetrant mortales ſemper famam magnam*: ubi *Schol.* Εσαι) γενησεται. Item *Eunapius* in Aedes. p. 42. Καὶ σοι κλεος αφθιτον εσαι. *Et gloriam immortalem impetrabis.*

Vſ. 25. Αφιετε ει τι εχετε κατα τινος. ινα ο πατηρ ὁ ἐν τοις ουρανοις αφῃ υμιν τα παραπτωματα υμων.) Illud idem argumentum egregie urget illa generoſiſſima Marcii Coriolani mater, cum eum ab oppugnanda patria ob injuſtum exilium avertere conaretur, narrante *Dionyſ. Halicarn.* l. 8. p. 522. Αυτοί θεοι συγγνωμονες τοις ανθρωπινοις εισιν αμαρτημασιν, ϗ εὐδιαλλακτοι, ϗ πολλοί ηδη μεγαλαις αυτους ἐξαμαρτανοντες, ἐυχαις ϗ θυσίαις τον χολον ἐξιλασαντο. ει μη συ ω Μαρκιε, αξιοις τας μέν των θεων οργας θνητας ειναι, τας δέ των ανθρωπων ἀθανατους. Δίκαια μέν αν ποιησεις ϗ σεαυτῳ πρεποντα, ϗ τῃ πατρίδι αυτῃ αφεις τα ἐγκληματα μετανοουσῃ γε ϗ διαλλαττομένῃ. *Ipſi Dii ignoſcunt peccatis hominum faciles & placabiles; & mul-*

multi jam, qui graviter in eos deliquerant, votis & ſacrificiis iram eorum placaverunt: niſi tu exiſtimes, o Marci, Deorum iras eſſe mortales, hominum vero immortales. Recte igitur & ex dignitate tua feceris, ſi patriæ culpam remiſeris, pœnitenti jam, & in gratiam tuam redire volenti.

Vſ. 32. Ουτως προφητης ην.) *Ariſtoph.* Plut. p. 10. Εκεινος ουτως ει συ; *Num vere tu iſte es?* Item *Hermodorus* in Anthолog. Gr. l. 4. epigr. 18. p. 464. Ουτως βουκολος ην ο Παρις. *Vere bubulcus erat Paris.*

Reliqua in *Marcum* ſeq. Faſciculus habebit.

IV.

IV.

LITTERARIA.

HALÆ SUEVORUM.

Prodiit kurze theologische Untersuchung des Hauptinhalts der **vertrauten Briefe**, besonders des 16ten Briefes über die wichtigsten Grundsätze des Protestantischen Geistlichen Rechts, welche zu Frankfurth ediret worden 1763. 8.

HALBERSTADII.

E vivis discessit V. pl. Rev. CASP. ABEL. V. D. M. qui *Chronicon Halberstadiense* conscripsit, d. 12. Jan. a. 1763. ætatis 87.

HAMBURGI.

V. S. Rev. JO. DID. WINCKLERUS *S. Th. D.* edidit *Analecta ad Historiam Crypto-Calvinismi Goslariensis per illius urbis Syndicum, Georg. Kleinium J. U. D. seculo XVI. stabiliti & defensi, ex documentis Anecdotis hausta 1763. 4.*

Et Sammlung geistlicher Reden 1763. 8.

Contra *Autocheiriam* scripsit V. Nob. *von* BAR subtit. *l'Anti-Hegesias 1763. 8.*

Prodierunt quoque

Erklärung der schweren Schriftstelle 2 Cor. XII. 7. vom Pfahl im Fleisch 1763. 4.

Die Vorrechte junger Eheleute bei den alten Hebräern aus 5 Mos. XXIV. 5. durch Hrn. Konrektor **Müller** 1763.

Pastoral-Schreiben an die Gemeinen Gottes in **Hamburg**, um dieselben vor die Gottesvergessenheit, Gottlosigkeit und Gotteslästerung dieser Zeiten väterlich zu warnen und treulich zu verwahren, an das Licht gestellet von dasigem **Ministerium** 1764.

HAN-

HANNOVERÆ.

Edidit V. C. CHRIST. ULR. GRUPEN, Consul, *Observationes rerum & Antiquit. German. & Romanorum, Halae 1763. 4.*

Holländischer Sachenspiegel nach der raren Goudaischen Ausgabe von 1479 mit Hrn. **C. U. Grupens** Vorrede de Viro Nobili de Buch, als Verfassern der Glosse über das Sächsische Landrecht und des Rechtsteiges, und Hrn. Syndikus **Meermanns** Schreiben von den Holländischen editionen des Sachsenspiegels 1763 4.

Prodiit quoque *Libellus* singularis, quo mores hominum quorundam singularium acuto sale perstringuntur der Sonderling 1761. 8. Tribuiter EXCELL. *Comiti* de LYNAR.

HANOVIÆ.

Scripsit *Comment. Philol. Exeget. in Psalmos XLII. & XLIII* Vir pl. Rev. & Doctiss. JO. CHRIST. PH. BUSING, *Coetus Reformati Belgici ibidem V. D. M.* mox *Prof. Theol. & LL. OO. ut & Paedagogiarcha Bremensis.* Editus est *Amstelod. 1763. 4.* Sententia cl. Viri huc redit, Psalmos hos ad seriora quam Davidis tempora, & quidem ad *tempora Regis Hiskae*, & quidem ad *primum regiminis ejus annum occasione celebrati festi Paschatis* referendos esse Variis eandem rationibus probabilem reddere satagit.

Sermon sur l' Esprit de l' Evangile prononcé à l'occasion de la paix dans l' Eglise Françoise de Hanau, en presence de Mss. les Officiers François du Roi, par JAQUES ARMAND *Pasteur a Hanau 1762. 8.*

HARDEROVICI

In locum V. C. G. SCHROEDER *J. U. D. & Prof.* qui fatis cessit, suffectus est Vir Doctissimus P. BONDAM, *Prof.* hactenus *Zutphaniensis*, qui d. 15. Juny 1763. provinciam juris docendi

auſpicatus fuit, dicta Oratione, *pro Graecis Romani Juris Interpretibus.*

Succeſſor V. C. F. L. CREMERO, qui jam cathedram *Groningenſem* ornat, datus eſt Vir pl. Rev. & Doctiſſimus J. H. SCHACHT, Amicus noſter ſingularis, qui & hanc Bibliothecam locupletavit egregie; ut *Prof. Theol. Dogm. nec non Typicae & Proph. & Antiq. S. & Concionator Academ.* hactenus V. D. M. ad Adam, cui, ut quævis ejus præclara molimina in emolumentum Academiæ Gelricæ & totius reip. Chriſtianæ cedant, optamus indeſinenter.

d. 11. Sept. 1762. diem ſuum obiit, Batavoduri, V. C. JO. *de* GOERTER, quondam *Med. D. & Prof. Harderov. poſt Petropolenſis.*

d. 14 Aprilis 1763. e vita quoque deceſſit V. C. JO. HENR. *van* LOM, *Philoſ. Matheſeos & Aſtronomiae Profeſſor.*

Ejus in locum ſucceſſit, Nob. Curatorum votis vocatus, V. D. ABR. JAC. DRYFHOUT, *A. L. M.* & hactenus *V. D M. Zuylenſis.*

Conſtitutus eſt a Celſis Gelriæ Ordinibus *Archiater Provinciae* hujus V. C. HENR. *von* HAASTENBURG, *Med. D. & P.*

Prodierunt autem heic BERN. MARTINII Tract. Philoſoph. *de Animabus brutorum rationalibus 1762.*

——— diſſ. Metaphyſ. Theol. *de Ratione in Revelatione 1763.*

JO. REINAR, *Phil. D.* diſſ. Theol. Elencht. *de doctrina Traditionum ſeu verbi non ſcripti 1763.*

HARLEMI.

Opuſculorum Subceſivorum libri V. C. JOBI BASTERI, editi 1760-61. 1762. hiſtoriam naturalem egregie explanant & illuſtrant.

Nec non: Verhandelingen uitgegeven van de *Hollandſche*

sche Maatschappye, der Wetenschappen Ses deelen 1757-1762. ubi varia occurunt notatu digna.

HEIDELBERGÆ.

V. C. CAR. BUTTINGHAUSEN, edidit Diss *Anti-Spinozianam de Deo ratiocinante in N. T. 1762.*

V. C. JO HENR. ANDREÆ, *S. O C. & Ill. Gymnasii Rector*, progr. *de hominibus ad agni coenam nuptialem vocatis 1759.*

—— —— pr. *de Boethio, speciatim de ejus Consolatione Philosophica.*

—— —— pr *de Christo tanquam lapide vivo, ac piis inde nomine lapidum vivorum nuncupatis ad 1. Pet. II. 4. 5. 1760.*

—— —— pr. *de Philosophia supremo cardine delapsa.*

—— —— pr. *de Christo tanquam fidelium propitiatorio ad Rom III. 25. 1761*

—— —— pr. *de antiqua & illustri Schola Dusseldorpiensi.*

—— —— pr. *de divina sacrificiorum origine 1762*

—— —— pr. *de illustri & primario Palatinatus Inferioris Gymnasio Heidelbergensi.*

—— —— pr. *de Francisco Fabricio, Marcodurano 1763.*

HEILBRONNÆ.

Prodierunt M. **Henr. Wilh. Klemms**, zwey und funfzig Betrachtungen über die Absichten der Religion 3 Theile 1760. 8.

Allgemeine Geschichte derer bekannten Staaten von ihrem Ursprunge an bis auf die neuern Zeiten, aus sichern Schriften verfaßt, dritter Theil 1763. 8.

HELMSTADII.

Amisit Academia d. 30. Oct. 1762. obitu suo *primum Jurisprudentiae Professorem* GODOFR.

LUD. MENCKENIUM, *Assessorem Judicii Aulici Guelpherbytani*, humanitate & doctrinis cum maxime præstantem.

Edidit V. C. W. ABR. TELLERUS programma *ad Lectiones suas Theologicas*, quo *Inspirationem Divinam Vatum Sacrorum defendit adversus Enthusiasmum Poëticum 1762.*

Et Kurzen Entwurf von der ganzen **Pflicht eines Predigers** bei dem Vortrage der Religion. Leipzig 1763. 8 Laudatur valde.

Herr Abt **Schubert**: Gedanken von der Freyheit der menschlichen Seele 1763. 4. Auch

Gedanken von den **Bischöflichen** Rechten der Landes-Obrigkeit 1763. 4.

V. C. CHRIST. AUG. BODE *LL. OO. P. Orationem D. N. J. C. Sacerdotalem Joh. XVII. comprehensam, ex versionibus Orientalium praecipuis, vid. Syriaca, Arabica triplici, Polyglotta Erpeniana & Romana, Persica duplici, Polyglotta & Whelociana, Aethiopica & Armenica, cum Graeco eorundem fonte collatis, & Philol. & Critice illustratam 1763. 4.*

—— —— *Protevangelium Gen. III. 15 ex Versionibus antiquis Orientalibus & Occidentalibus cum textu Sacro Originali collatis, illustratum 1763.*

V. C. JO. CHRISTOPH. WERNSDORFIUS progr. *de Deo primogenito ad festum Nativ. Christi 1762.*

—— —— progr. *Dies sanguinis & hilaria Romanorum cum Paschate Christianorum collata 1763.*

HILDESHEMII.

Edidit V. C. **Joh. Carl Roken**, Superintendent, die Vortreflichkeit der christl. Religion aus ihren Trostgründen im tode, und aus der Lehre von der Unsterblichkeit der menschlichen Seele, wider die alten

ten und neuen Freydenker, in zween Sendschreiben 1761. 62. 4.

HOLMIÆ.

Obiit d. 12. Aug. 1763. qui sibi per conscriptam *Sueciae historiam* nomen comparavit illustre, OLOF DALIN, *regni Suecici Cancellarius & Historiographus Regius.*

Ejus in locum ut *Historiographus Regius* successor designatus fuit Vir Nobilissimus, ANDREAS SCHÖNBERG, *Secretarius Regius.*

JENÆ.

d. 9. Junii 1763. Academica jacturam passa est morte V. C. CHRIST. GOTTLIEB BUDER, Antecessoris egregii.

Eodem anno alteram quoque passa fuit ex vocatione V. C. JOACH. GEORG. DARIES J. U. D. & Prof., qui jam exornat Academiam *Viadrinam.*

Edidit Vir hic Celeb. Discours über sein **Natur und Völker-Recht**, auf Verlangen herausgegeben 2 Theile 1762. 63. 4.

Prodierunt V. C. J. G. WALCHII *Bibliothecae Theolog. Selectae, Litterariis adnotationibus illustratae, Tomus Tertius 1762. 8.*

V. C. J. E. J. WALCHII *Introductio in Linguam Graecam 1763. 8.*

Ab eodem Viro Doctissimo *Observationibus illustratum Sigillum Medici Ocularii Romani, nuper in agro Jenensi repertum 1763. 4.*

V. C. J. KLOTZII Comment. *de Nemoribus in tectis aedium Romanorum 1762.*

M. GOTTLIEB CHRISTOPH. HARLES libellus *de Nominibus Graecorum 1762. 8.*

LAUBANIÆ.

M. CASP. DOERING *V. D. M.* edidit *Diss. de Phæ-*

Phœnice Anni magni seu Platonici imagine 1762.

V. D. G. BAUER, *Rector Gymnasii*, edidit *Diss. in Deut. XXIX. 29.* 1762. Paraphrasis est: *Praeterita sunt Deo, quaecunque nobis hucusque evenere, quaecunque nos ipsi fecimus, Deo relinquenda sunt, qui ea omnia pro non factis & obliteratis habebit: at praesentia, quae nunc fiunt, introitus in terram Cananaeam, lex denuo inculcanda, Canticum meum, minae & promissa nunc exhibita ea cum debita adtentione recolenda vel servanda sunt.*

LEMGOVIÆ.

Edidit V. C. JO. NIC. FUNCCIUS, *Marburgensis, de lectione Auctorum Classicorum* Partem alteram, *sistentem Specimen purae & elegantis suo tempore, nunc suspectae Latinitatis* 1762. 4.

LEOVARDIÆ.

Edita sunt JOH. ARNTZENII *Poemata & Orationes Tres*, curante V. C. HENR. JO. ARNTZENIO 1762. 8.

COELII SEDULII *Carmen Paschale*, editore H. JO. ARNTZENIO *cum notis variorum* 1763. 8.

V. C. JO. VRIEMOET. *V. D. M.* Diss. *de Barbejo Apocalyptico, cui accedit ad dicta Classica Theologiae Dogmaticae N. T. Adnotationum Specimen* 1764. 8.

LINDAVIÆ.

Ausführliche und kritische Nachrichten von den besten und merkwürdigsten Schriften unsrer Zeit, nebst andrer zur Gelahrtheit gehörigen Sachen, erstes St. 1762. 8.

Politische und moralische Betrachtungen über die Spartanische Gesetzgebung des Lykurgus durch Hrn. Prof. **Wegelin zu St. Gallen** 1763. 8.

V. C.

LIPSIÆ.

V. C. M. JO. AUG. DATHE *L. Hebr. P.* constitutus, ad Orat. Inaug. auditores invitavit *Prolusione de difficultate rei Criticae in V. T. caute dijudicanda 1762.*

Physiologicae Professioni admotus est V. C. ERN. GOTTL. BOSE, dixitque d. 13 Aprilis 1763. Orat. Inaug. *de Oeconomiae Animalis & Vegetabilis Analogia illiusque praestantia*, Programmate autem diem indixit, *de futurarum cranii humani fabricatione & usu.*

A. 1763. d. 20. Jan. diem suum obiit in ætatis flore V. C. JO. GOTHOFR. JANCKE, *Med. & Anat. Prof.*

Edidit V. C. JO. LUD. CONRADI Orationem *de juris & aequitatis inter se consensu*, habitam, cum *Antiquitatum Juris Romani* publice docendarum munus adiret 1763.

Et V. C. GEORG. HENR. BORTZ, programma ad Orat. Inaug. qua *Professionem Matheseos Extraord.* capesseret. *de Insigni Semioticae Matheseos usu in Geometria & Physica 1763.*

M. JO. JONATHAN CLODIUS, *primas lineas Bibliothecae Lusoriae s. Notitiam Scriptt. de ludis praecipue domesticis & privatis 1761. 8.*

V. C. CAR. CHRIST. WOOG, *Hippolyti fragmentum ad Prov. IX. 1-5. de Sapientia domum sibi aedificante, Graece & Latine 1762.*

V. C. J. C. BEL, P. P. progr. *de Ottone II. Gransejo, Basileensi Episcopo, caedis Alberti I. Regis participe 1762.*

—— —— *Documentum antiquum ex Josephi Innocentii Desericii libro de initiis ac majoribus Hungarorum, de facto Ungariae Magnae a. F. Ricardo Ordinis F. F. Praedicatorum invento tempore Dni Gregorii IX. cum notis 1763.*

V. C. J. C STEMLER Th. P. progr. *quo expenditur Synodi Tridentinae de celebrandis diebus festis decretum 1762.*

—— —— progr. *quo asseritur causa fidei in Christum propter justitiam nostram ex mortuis excitatum adversus Synodum Tridentinam 1763.*

—— —— progr. *quo exponitur, quam vana sit Praesulum Synodi Tridentinae gubernationis Sp. S. peculiaris jactatio 1763.*

V. C. J. A. ERNESTI, *Vindicias Arbitrii Divini in religione constituenda 1762,*

—— —— *Xenophontis Memorabilium Socratis dictorum* L. IV. *cum notis & indice* 1763. 8.

V. C. FRID. EB. BOYSEN *Acta inter S. Cyprianum & Stephanum, in Disceptatione de haereticis baptizandis collecta, vindicata & animadversionibus illustrata 1762* 4.

M. ERN. ADOLPH. THEOD. WESTHOF. diss. *de notis internis revelationis Divinae 1763.*

M. A. KRIEGEL, Scholae Thomae Collegae, Epistolam ad V. C. Fischerum, *de Theophrasto, optimo fidei conjugalis Ministro 1763.*

V. C. M. CAR. AUG. THIEME, *Xenophontis opera, Graece & Latine, ex recensione Eduardi Wells: accedunt Dissertationes & notae, cum praefatione* V. C. JO. AUG. ERNESTI, 1763. 8. Comparent autem hic 1) *Thomae Hutchinson diss. de Auctore* Κυρου αναβασεως *& de Graecorum itinere*, 2) *Series Regum Persicorum a Cyro, Cambysis filio, ad Artaxerxis Mnemonis usque tempora, juxta calculum Th. Hutchinsonii*, 3) *de Cyri minoris expeditione l. VII*, 4) *de Agesilao Rege*, 5) *de Lacedaemoniorum rep.* 6) *de Atheniensium republ.* 7) *Rationes reditnum s. de proventibus, cum mappa Asiae.*

V. C. JO. FRID. LEISNERUS, progr. *de rituum antiquorum investigatore non ex lege 1763.*

V. D.

V. D. JO. HENR. FABER, J. U. D. Diss. *qua Vicissitudines Juris Romani de incestis nuptiis exponuntur 1763.*

V. C. CAR. FERD. HOMMELIUS, *Jurisprudentiam numismatibus illustratam, nec non sigillis, gemmis, aliisque picturis vetustis exornatam 1763. 8.*

V. C. JO. JAC. REISKE, *Animadversionum ad Graecos Auctores* Volumen Quartum, *quo Polybii reliquiae pertractantur 1763. 8.*

V. D. CHRISTOPH. ANT. FRIEDERICI, *Superintend. Freybergensis,* Specimen IV. *Jurisprudentiae Pastoralis ex Conciliis, quo notae ordinandorum porro explanantur 1763.*

V. D. CHRIST. SAM. WEISE, Epistolam *Gratulatoriam, qua Veteres Interpretes Graecos, litterarum Hebraicarum Magistros, linguarum quoque vicinarum in Hebraica usus moderatores esse debere, exemplo verbi* בלג *docet 1763.*

V. C. M. CHRIST. FRIED. SCHMID, Diss. *de Versione Alexandrina, optimo Interpretationis librorum sacrorum praesidio,* Specimen primum *in Epist. Pauli ad Hebraeos 1763.*

V. D. CAR. AUG. BEYERUS, *Citizensis, A. M.* Epistolam, *nomine societatis Philologicae Lipsiensis* scriptam, *adversus Jo. Sam. Wiesnerum, de nominis Divini significatione intensiva apud Hebraeos 1763.*

V. C. JO. FR. BAHRDT, *Ph. D. & P.* Progr. *de Evangelio pauperibus nunciato ad Matth. XI. 5. 1763,*

Et diss. *de eo, an fieri possit, ut, sublato Pontificis imperio, reconcilientur dissidentes in religione Christiani, contra Justinum Febronium 1764.*

V. N. FRID. PET. L. B. ab HOHENTHAL, sub praesidio V. C. J. L. BÖHME, *Antecessoris,* diss.

de Nationis Germanicae in curia Romana protectione 1763.

V. C. CAR. FERD. HOMMEL, *J. U. D. & P.* Comment. *de forma Tribunalis & majestate Praetoris 1763.*

Et sub ejusdem præsidio J. FR. R. de CARPILLOT diss. *de Jure mundi universali ex sententia Veterum JCtorum.*

Edita porro sunt V. C. CHRIST. SCHÖTTGENII, *Triturae & Fulloniae Antiquitates, auctiores & emendatiores 1764. 8.*

THEOPHRASTI *Characteres, recensuit, animadvers. illustravit, atque Indicem verborum adjecit* V. C. JO PR. FISCHERUS, *Prof. Lips.* Accedit *Comment.* IS. CASAUBONI 1763. 8.

Edidit jam 1762. V. C. J. F. FISCHERUS, Prolusionem *de Versionibus Graecis V. T. Litterarum Hebr. magistris*, Orationi Inaug. Professionis Litt. Hum. Extraord. præmissam.

Der Lehrmeister, oder allgemeines System der Erziehung, aus dem Englischen, 2 Theile 1763. 8.

Anmerkungen über die Baukunst der Alten, von H. **Johann Winkelmann**, Mitglied der Mahler-Akademie zu Rom u. s. w. 1762. 4.

Kurzer Entwurf einer Historie der Gelehrsamkeit, zum Gebrauch der Jugend von **A. A. Baumann**, Konrektor zu Brandenburg 1772. 8.

D. **Thomas Newtons**, Abhandlungen über die Weissagungen, die merkwürdig erfüllet sind, und noch bis auf den heutigen Tag in ihrer Erfüllung gehen, aus dem Englischen. dritter Theil 1763. 8.

H. **Spaldings** Bestimmung der Menschen, siebende vermehrte Ausgabe 1763. 8.

Anekdoten zur Lebensgeschichte berühmter französischer, deutscher, italiänischer, holländischer und anderer Gelehrten 2 Theile 1762. 8.

Erwiesene und ferner erläuterte Rechtmäßigkeit der *itionis*

nis in partes auf den deutschen Reichstagen durch die meisten eines Religions *Corporis*, worinnen zugleich eine im Druck erschienene katolische Schrift unter dem Titul: gesetzmäßige Beurtheilung des Betragens u. s. w. geprüfet und deren Ungrund klar gezeiget wird 1763. 4.

D. Jo. Fr. Babrd, Prof. Parafrastische Erklärung des Buchs Hiob, erster Theil 1764. 4.

H. Andr. Gottl. Masch, Hofpredigers, die Lehre von Jesus Christus, erster Theil von der Person des Erlösers 1763. 8.

D. Samuel Squire, des Prinzen von Wallis Kabinet-Predigers, strafbare Gleichgültigkeit in der Religion, oder Vorstellung der Gewißheit, Wichtigkeit und Uebereinstimmung der natürl. und geoffenb. Religion. Aus dem Englischen übersetzt von H. G. J. Zollikofer, Pred. der Evangelisch Reformirten Gemeine zu Leipzig 1764. 8.

Briefe eines chinesischen Weltweisen an seine Freunde in den Morgenländern, aus dem Englischen, erster Theil 1763. 8.

Briefe der Lady Marie Worthley Montague, während ihrer Reisen in Europa, Asia und Afrika, welche, ausser andren Merkwürdigkeiten, Nachrichten von der Staatsverfassung und Sitten der Türken enthalten, aus Quellen geschöpft, die vor andren Reisenden unzugänglich gewesen. aus dem Englischen 1763. 8.

LONDINI ANGLORUM.

Qui celeberrimam nominis sui famam ex itinere suo in Orientem sibi conciliavit, urbemque Litteratum sibi doctissimis observationibus devinxit. Vir Eruditissimus P. SHAW, *M. D.* fatis cessit d. 15. Martii 2762,

Laudantur sequentes libri: *An Enquiry into the Divine Mission of John the Baptist & Jesus Christ,*

so

so far as they can be proved from the Circumstances of their births & connexion with each other. by WILL. BELL. *A, M, Fellow of Magdalene College in Cambridge 1761. 8.*

Sermons by the late Rev. JAMES DUCHAL, *DD. 1762, 8.*

The doctrine of Grace, or the Office and Operations of the Holy Spirit, vindicated from the Insults of Infidelity and the Abuses, of Fanaticism: concluding with some Thoughts humbly offered to the consideration, of the established Clergy, with regard to the right method of defending Religion against the attacks, of either Party. in two volumes, by WILLIAM, LORD BISHOP *of* GLOCESTER *1763.*

EURIPIDIS *Tragœdia* ΙΚΕΤΙΔΕΣ, *supplices mulieres 1763. 4.* Editor dicitur esse V. C. JER. MARKLANDUS.

LONDINI GOTHORUM.

In locum b. defuncti Dr. AMBROSII WESTRING, surrogatus est Dr. JONAS WOHLIN, antea secundus, nunc *primarius S. Theol. Prof. & Archipraepositus.*

LAUR. LIEDBECK, *Mathes. P. Reg. & O,* obiit.

LUBECÆ.

d. 22. Oct. 1762. e vivis decessit V. C. JOH. HENR. *von* SEELEN, *Theol. Licentiatus & Gymnasii Lubecensis Rector* per 45. annos meritissimus, cujus in rem Litter. historiam & Theologiam, occupationes & merita in Biblioth. Lubecens. priorem & poster., & postea in Miscellanea Lubecensia, refutationes φλυαριων Herm. v. d. Hardt, meditationes Sacræ, aliaque egregia scripta famam merentur diuturnam.

In

In ejus memoriam edidit JO. G. GESNERUS, *Subrector, documentum pietatis, nomine Collegii Cathariani.*

In ejus autem locum succeſſit V. C. CONR. OVERBECK, hactenus *Conrector.* Huic V. D. *J. G.* GESNERUS, & tandem huic FRID. DAN. EHN.

Ediderat b. *von* SEELEN ipſo anno emortuali 1762 συμμικτα *Libraria*, ſ. *Librorum variorum Indicem, primum & ſecundum, ſelectis Obſervatt. inſtructum. 4.*

Edidit V. C. *J. D.* OVERBECK, *Gymnaſii Rector*, Progr. *de Jani Templo a Romanis aliquoties clauſo, non clauſo, a Conſtantio Roman. Imp. ad Ammianum Marcellinum 1763.*

LUCCÆ.

Ad *Novum Theſaurum Veterum Inſcriptionum* V. C. LUD. ANT. MURATORII prodiit *Supplementum collectum ab Abbate* SEBASTIANO DONATI. 1763.

Et JO. MICH. BRUTI, *Hiſtoria Florentina*, Editio elegantiſſima 1763.

LUGDUNI BATAVORUM.

Vulnera huic Acad. inflicta morte VV. Cll. JOH. ALBERTI & JO. van SCHELLE, Theologorum præſtantiſſimorum, Nobil. & Ampliſſimi Curatores quantocyus curare adniſi fuerunt. In *Schellii* locum ſuffectus eſt V. C. PETRUS COUWENBURG de BOIS, hactenus *Collegii Theologici Ill. & Praepot. Holl. & Weſtfr. Subregens & V. D. M.*, qui Provinciam ſibi demandatam d. 1. Nov. 1762. capeſſivit dicta & dein edita Oratione Inaug. *de Gloria Dei in omnibus Ejus Operibus, maxime vero in Auguſtiſſimo Salutis opere lucidiſſime fulgente.*

Vix autem per ſeſquiannum munere ſuo functus erat

erat Vir Clariſſimus BOISIUS, cum d. 7. Martii a. 1764. ſupremum obierit diem, mortalium numero exemtus.

In locum b. *Joh. Alberti* vocatus fuit Vir cel. EWALDUS HOLLBEEK, qui Groninganam per duodecim circiter annos exornaverat Academiam. Dixit ille pro auſpiciis muneris ſui d. 22. Nov. 1762. publice *de Theologo non verè Orthodoxo, niſi vere pio.* Soſpes diu ſervetur Amicus hic Chariſſimus, utque ex ejus Schola prodeant Viri, quales eos jure meritoque optat, vere Orthodoxi, faxit Optimum Numen.

Rectoratus Magnifici dignitatem V. C. *E. Hollebeekio* tradidit eandem deponens V. C. DAVID *van* ROYEN, *Med. D. ut & Botanices Prof.* dicta d. 8. Febr. 1764. Oratione, *de hodierna Botanices colenda ratione ad certitudinem & evidentiam in ea conſequendam.*

Uti quoque V. C. H. D. GAUBIUS *M. D. & P.* ſimili modo d. 8. Febr. 1763. ſermonem Academicum dixerat *alterum, de regimine mentis, quod Medicorum eſt.*

Rintelia evocatus JC. Excell. F. W. PESTEL, ut *Juris publici & privati* Profeſſor d. 16. Maji 1763. muneri ſuo inauguratus fuit, dicta Oratione Auſpicali, *de damnis ex neglectu Juris Publici in civitates redundantibus.*

In locum V. D. P. STEENSTRA, *demortui*, conſtitutus eſt *Lector Matheſeos* V. D. JO. FAS. FRANC. A MIERIS, celebris ille Pictor & Hiſtoriographus hic d. 22. Oct. 1763. fatis ceſſit, ſeptuagenario major, poſtquam

Ediderat *Beſchryving der Stad Leiden, haare Gelegenheid, oorſprong, vergrootinge, oude en hedendaagze gedaante, Stichtinge van Kerken, God-*

Godſhuizen, Kloosters, en andere gebouwen enz uit de echtſte bewyſten opgeſpoord, ſamengeſteld, en beſchreven, ook verſierd met de afbeeldzels der voornaamſte Gebouwen. Eerſte Deel 1762. fol.

Prodierunt hic *Exercitationum in Euripidem, libri duo, Auctore S.* MUSGRAVE, *A. M. Med. Studioſo, Soc. R. Lond. ſocio. 1762.* 8. ubi etiam Obſervationes aliquot inveniuntur, quæ VV. Cell. HEMSTERHUSIUM & RHUNKENIUM Auctores agnoſcunt.

V. C. A. D. BRISSON, *hiſt. Nat. Muſei Realmurienſis Demonſtr. & Reg Scient. Acad Socii*, Regnum Animale *in Claſſes* IX *diſtributum, & duarum primarum Claſſium, Quadrupedorum ſc. & Cetaceorum particularem diviſionem in ordines, ſectiones, genera & ſpecies &c. 1762. 8.*

Ejusdem Ornithologia, ſiſtens Avium diviſionem in ordines, Sectiones, genera & ſpecies, ipſarumque varietatem cum brevi & accurata cujusque ſpeciei deſcriptione &c. 2. Vol. 1763. 8. Cura V. C. JO. NIC. SEB. ALLAMAND hæc Editio & quidem aucta prodiit.

ZOOPHYLACIJ GRONOVIANI *Faſcic. I., exhibens Animalia quadrupeda, Amphibia & Piſces, quae in Muſeo ſuo adſervat, rite examinavit, ſyſtematice diſpoſuit, deſcripſit & iconibus illuſtravit V. C.* LAUR. TH. GRONOVIUS, *Civitatis Lugd. B. Senator, Soc. Med. Lond. Baſil. & Holland. Socius 1763.* fol.

Tranſtulerat quoque jam a. 1762. V. C. ex Anglico in Idioma Belgicum ALEX. RUSSEL, *Arts en Lid van het Konigl. Genoodſchap te London, Nauwkeurige beſchryving van* ALEPPO *en derzelver Ommelanden enz. 8.*

V. C. P. *van* MUSSCHENBROEK *Introductio ad Philoſophiam Naturalem Vol. 2. 1762. 4.*

V. C.

V. C. P. *van* MUSSCHENBROEK, *Compendium Physicae Experiment. conscriptum in usus Acad. 1762. 8.*

V. C. CAMP. VITRINGÆ *Doctrinae Christ. religionis per Aphorismos summatim descriptae Editio Sexta, curante V. D.* MART. VITRINGA, qui *Praefat. Prolegom. & Adnot. adjecit,* nec non *Analysin V. C.* THEOD. SCHELTINGÆ 1760-1762. 4.

Memoires Militaires sur les Grecs & les Romains, avec une Dissertation sur l'attaque & de la defense des Places des Anciens, la traduction d'Onosander & de la Tactique d'Arrien, & l'Analyse de la Campagne de Jules Cesar en Afrique par Mr. CHARLES GUISCHARD, Vol. 2. 1760. 4.

Ex Instituto Stolpiano, ABR. PERRENOT, J. C. *Verhandeling over de Volmaking der zedekunde uit de Goddelyke Openbaringe.* Accedunt ELIÆ LUZAC, J. U. D. & *Anonymi* Disquisit. *de eodem argumento 1761 4.*

Ex eodem instituto FR. WITTEVEEN, Pred. in Haskerhorn en Oldebasche, *Verhandeling over de Eigenschappen, dewelke uit het bestaen van een Noodzakelyk Wezen noodzakelyk voortvloeien, waarby Drie Verhandelingen over hetzelve Onderwerp, zynde het eerste door Joh. de Ruyter 1763. 4.*

LUGDUNI SEGUSIANORUM.

Prodierunt *Melanges d'Histoire Naturelle, par Mr. A. D. Avocat en Parlement & aux Cours de Lyon. Vol. 2. 1763. 8.*

MADRITI.

Vel potius, *Cervariae Lucetanorum,* prodiit *Sylloge Inscriptionum Romanarum, quae in Principatu Catalauniae vel extant vel aliquando exstiterunt*

runt, notis & observationibus illustratarum a DD. JOSEPHO FINISTRES *& de* MONSALVO J. C. *Barrinonensi & in Cervariensi Academia Antecessore primario, emerito, cum variis Indicibus* 1763. 4.

MAGDEBURGI.

V. D. J. Melch. Götzens, Vertheidigung der Warheit, daß Jesus die Tochter des Jairus nicht aus einer Ohnmacht, sondern wahrhaftig vom tode erwekket habe, 1763. 8.

MARPURGI.

Medicinam docendi provincia commissa est VV. Cll. P. G. SCHROEDERO & H. MICHAELIS & *utriusque Juris* Provincia V. C. G. KAHRELIO, Prof. hactenus Herbornensi. Sed *Cl. Schræderus* nuperrime *Gættingam* vocatus, *Marpurgo* valedicturus est.

Luci publicæ exposita sunt V. C. **Joh. Georg. Estors, Vicekanzlers, neue kleine Schriften Erster Band** 1761. 8. Occurrunt in eis varia historica lectu digna.

MEDIOBURGI.

Prodiit *Tweede Eeuwgetyde van de Geloofsbelydenisse der Gereformeerde Kerken van Nederland, geviert in een Historisch Verhaal van derzelver Opstellers, Goedkeurders, Verdedigers, Hoogachting, Gezag, nuttigheid, byvoegzelen, en van derzelver berispers en Vyanden,* door den Heere WILLEM te WATER, *Pred. te Axel* 1762. 8. qui nuper diem suum obiit.

Verklaring van zommige hoofdstukken der H. Scrifture uit de boeken van het Nieuwe Testament, door wylen den Heere KORNELIS BOOTT, *Pred. te Middelburg,* ter drukperssе geschikt door den Heere P. VERSLUYS, *Pred. de Steenbergen, met eene Voorrede van* N. BARKEY, *D. en Prof. der h. Godgel. en Pred. in St. Stevens Gemeente*

te Bremen. Eerſte Deel 1762. 4. Illuſtrata Capita ſunt Matth. V. XIII. XVIII. Marc. IX. Luc. II. XXIII. Joh. III. XII.

Verſameling van uitgelezene Leerredenen over verſcheidene Bybelſtoffen uit het O. & N. Teſtament, bondig verklaard en toegepaſt door wylen den Heere IZAAK SCHORER, *Prof. der Kerkel. Geſchied. Curator der Latynſche Schole en Pred. te Middelburg,* uitgegeven *door zynen Amptgenoot* den Heere JAK. WILLEMSEN, *met eenige aanmerkingen over het Schrift, dat door Elia voor zyne Hemelvaart aan Joram, Judaas Koning geſchreven, eerſt eenige jaren na dezelve aen hem in handen beſteld wierd 1763. 4.* Sermones b. *Schoreri*, noſtri in munere Anteceſſoris, digni omnino ſunt qui legantur. Venerabilis *Willemſenii* præfatio Epiſtolam paſtoralem ad cœtum Medioburgenſem, curæ ipſius commiſſum, in ſe continet, quæ ubique raram eruditionem, pietatem & fidelem animarum curam ſpirat. Fatemur, amplior eadem evaſit, quam fieri aſſolet. Verum, cum cuique hac in re pro arbitrio agere integrum eſſe debeat, veniam Viro Venerabili damus lubentiſſime, petimusque viciſſim: Et quis, niſi perperam, Viro S. V. eapropter ſuccenſeat! cum conſtitutum ipſi fuerit non ſolum litteras Eliæ ad Joramum illuſtrare, & *Schoreri* vitam vere Chriſtianam ex ſchedulis ejus Manuſcriptis, Eccleſiæ membris in exemplum proponere, ſed etiam animo expectorare, quid reprehendendum, & metuendum, quidque monendum & ſperandum haberet. Certi ſumus, hanc Epiſtolam, utut ampliſſimam, præſertim in cœtu Mediobusgenſi, non ſine multa cum ædificatione legi. Et ſic fini intento ſatisfactum eſſe puto.

NEA-

NEAPOLI.

Editæ sunt V. C. ALEXII SYMMACHI MAZOCCHII; *Canonici Reg.* &c. *Commentariorum in Regii Herculanensis Musei aeneas tabulas Heracleenses, Partes II. 1762. fol.* Apparent Diss. V. *de Magnae Graeciae finibus & adpellationis hujus causis, de Heraclea-Italica & Tarento Metaponto & Pandosia, de ingenti Graecorum Heracleae Epigrammatum senio, de singulari Dorismo & insolitis elementorum formis, deque eorundem aetate conjicienda.*

NEOCOMI.

V. C. J. E. BERTRAND, *Hum. Litt.* P. edidit FLAVII EUTROPII *Breviarium historiae Romanae 1762. 8.*

NORIBERGÆ.

V. C. M. NICOL. SCHWEBELIUS, *P. P.* recudi curavit L. BOS, *Ellipses Graecas cum VV. DD. C. Schættgenii, J. G. S, Bernholdi & J. Fr. Leisneri Observatt. quibus & suas adjecit 1763. 8.* Observationes V. C. ELIÆ PALAIRET, quas nimis sero accepit cl. *Schwebelius*, propediem Appendicem constituent.

Et *Strategeticon* ONOSANDRI *1763. fol.*

V. C. M. JO. CHRISTOPH. MARTINI edidit *Thesauri Dissertt. quibus historia, Geographia & Antiquit. tam sacrae quam profanae illustrantur, maximam partem rarissimarum, & ex Mss. interdum in lucem prolatarum Tomi I. P. I. 1763. 8.*

Et prodierunt *Origines Boicae domus*, conscriptæ ut dicitur a. V. C. *du* BUAT *Vol. 2. 1763. 4.*

Sylloge Nova Epistolarum varii argumenti P. IV. 1763, 8.

Hrn. Joh. Mich. Franz, Prof. Abhandlung von den

den Gränzen der bekannten und unbekannten Welt alter und neuer Zeiten, als eine kurze Einleitung zu einer Parallelen Erdbeschreibung 1762. 8.

Philosophisches Bedenken wegen der philosophischen Betrachtung des Hrn. Prof. **Meiers** in Halle über die christl. Religion, in einem Sendschreiben an denselben entworfen von Hrn. **J. H. Frenzel**, Pred. zu Weisdorf 1763. 8.

Bußpredigt, welche am 10 Julius, als an dem, wegen des schrecklichen Erdbebens, so am 28. Junius ganz Ungarn erschüttet, und die grosse Stadt Comora völlig umgekehrt hat, verordneten Buß- und Bettage gehalten worden von Hrn. **Jo Henr. Chemnitz**, Königl. Dänischen Legationspred. 1763. Hic quoque variae Observatt. historicae inveniuntur.

Geschichte von **Frankreich**, seit der Stiftung der fränkischen Monarchie durch den Königl. Geschichtschreiber P. **Gabriel Daniel**, 15ter Theil 1763. 4.

ONOLDINI.

MISCHNÆ, Cl. II. p. 416. memoratae prodierunt jam *partes Quarta, quinta & sexta 1762. 1763.*

OXONII.

V. C. BENJ. HEATH, *Notae s. Lectiones ad Tragicorum Graecorum Veterum Aeschyli, Sophoclis, & Euripidis quae supersunt, Dramata, deperditorumque reliquias 1762. 4.*

Praeter *relationem*, cujus mentionem fecimus *Cl. III. p. 381.* V. C. BENJ. KENNICOTT, edidit: *Methodum varias Lectiones notandi, & res scitu necessarias describendi, a singulis Hebraicorum Codicum Mstorum V. Testamenti collatoribus a Lectore sc. atque scriptore observanda. fol.*

LUTE-

LUTETIÆ PARISIORUM.

Prodierunt *Expoſition de la doctrine de l'Egliſe Catholique ſur les matieres de Controverſe par Mre.* JAQ. BEN. BOSSUET, *Eveque de Meaux &c. Nouvelle Edition, augmentée de la traduction Latine de Mr. l'Abbé* FLEURY, *avec une Preface hiſt. & Crit. 1761. 8.* Conferenda omnino eſt Recenſio hujus libri, quæ legitur in *Biblioth. des Sciences & de Beaux Arts. Tom. XVIII. Vol. I. p. 21.*

Hiſtoire de l'Academie Royale des Inſcriptions & Belles Lettres avec les Memoires de Literature Tom. XXVII. & XXVIII. 1761. 8.

Hiſtoire Naturelle avec la deſcription du Cabinet du Roi Tom. IX. 1761. 4.

Hiſtoire de la Maiſon Stuart ſur le throne d'Angleterre par Mr. HUME *Vol. 6. 1761. 12.*

Sur l'Origine de la fable de l'Olympe par Mr. de MAIRAN 1761. 4.

*L'Egypte Ancienne ou Memoires hiſtor. & Critiques ſur les objets les plus importans de l'hiſtoire du grand Empire des Egyptiens par Mr. le Chevalier d'*ORIGNY, *2 Vol. 1762. 12.*

Querelles Litteraires, ou Memoires pour ſervir a l'hiſtoire des Revolutions de la republ. des Lettres &c, Vol. 4. 1762. 12.

Extraits des aſſertions dangereuſes & pernicieuſes en tout genre, que les ſoi-diſans JESUITES *ont dans tous les temps & perſeveramment ſoutenues, enſeignées & publiées dans leurs livres, avec l'approbation de leurs Superieurs & Generaux, verifiés & collationés par les Commiſſaires du Parlement, en execution de l'Arreté de la Cour du 31. Aout 1761 & Arret du 3. Sept, ſur les livres, theſes, cahiers, compoſés, dictés & publiés par les ſoi-diſant Jeſuites & autres Actes Authentiques, de-*

posés au Greffe de la Cour, par Arrets des 3. Sept. 1761. 5. 17. 18. 26. fevr. & du 5. Mars. 1762. Vol. IV. 1762. 12.

Conto rendu des Conſtitutions des JESUITES *par Mr. Louis René de* CARADENA *de la Chalotais, Procur. Gen. du Roi au Parlement de Bretagne 8.* ſine temporis locique indicio.

Abrege Chronolog. de l'hiſtoire du Nord, ou des Etats de Danemark, de Ruſſie, de Suede, de Pologne, de Pruſſe, de Courlande &c. par Mr. la COMBE *Vol. 1762. 8,*

Hiſtoire du Bas Empire en commencent a Conſtantin le Grand, par Mr. le BEAU *Tom. V, & VI. 1762. 12.*

Dictionaire Geogr. Hiſtor. & Politique des Gaules & de la France, par Mr. l'Abbé Expilly, Chanoine &c. Tome prem. 1762. *fol.* Continet literas A. & B.

Tragedies de SOPHOCLE, *traduites par Mr. du* PUY, *de l'Academie Royale des Inſcript. Vol.* 2. 1762. 8.

Recueil d'Antiquités Egyptiennes, Etrusques, Grecques, Romaines & Gauloiſes par Mr, le Comte de CAYLUS, *Tom. V.* 1762. 4.

Reflexions Critiques ſur le premier Chap. de Tom. VIIme des Oeuvres de Mr. Voltaire, au ſujet de Iuifs. 1762. 12. Eſt Apologia pro Judæis, ſcripta ab Anonymo Judæo Portugalenſi, ubi inſignis notatur differentia *Portugalenſes* Judæos inter & *Germanos.*

Sexti Julii FRONTINI, *Strategematicon libri 3. Emendabat ad fidem Mſſ. Regiorum XI. eorumque varias Lectiones textui ſubjecit V. D.* JOS. VALART 1763. 12.

Recueil de Medailles de Peuples & Villes, qui n'ont point encore eté publiées, ou qui ſont peu connues, par Mr. le Comte de CAYLUS Vol. 3. 1763. 4.

Hiſtoi-

Hiſtoire des Amours de CHEREAS *& de* CALIRRHOE, *traduite de Grec, avec des Remarques* 1763. 8.

Bibliographie Inſtructive, ou Traité de la connoiſſance des Livres rares & ſinguliers, contenant un Catalogue raiſonné de la plus grande partie de ces Livres &c. par Guil. FRANC. *de* BURE, *le Jeune, Libraire P. I.* 1763. 8.

Collection de differens Morceaux ſur l'Hiſtoire Nat. & Civile des Pays du Nord, ſur l'hiſt. Nat. en general, ſur d'autres ſciences, ſur differens arts, traduit de l'Allemand, du Suedois & du Latin, avec des notes du Traducteur, par Mr. de KERALIO *Tom. I.* 1763. 12.

De l'Utilité des Voyages, relativement aux Sciences & aux Mœurs, diſcours, prononcé par Mr. l'Abbé GROS *de* BESPLES. 1763. 8.

Eloge de Maximilian de BETHUNE, *Duc de Sully par Mr. Thomas,* ſine loci aut anni indicio.

PETROPOLI.

V. D. D. G. LEHMANNI, *Acad, Membri & Prof, Chemiae &c. ſpecimen Orographiae Generalis, tractus montium primarios Globum noſtrum terraqueum pervagantes ſiſtens, praelectum d, 13. Sept.* 1762, *in ſolemni Academiae conventu,* 1762. 4.

Receuil de differents Memoires ſur la Tourmaline, publié par Mr. Franc, Ulr. Theod. ÆPINUS 1762. 8.

Hrn. Prof. **Müllers**, Sammlung Rußiſcher Geſchichte, ſiebenter und achter Band 1762. 1763. 8.

PISÆ.

Vita Nicolai Papæ IV. Ord. Franc. ab Hier. AUBEO *compoſita, nunc primum ex Mſſ. Vaticano edita, adnotationibus novisque acceſſionibus illuſtra-*

strata a P. M. Ant. Fel. MATTHEIO, *ejusdem Ord. Alumno: accedit Monumentorum Appendix* 1762. 8.

PRAGÆ.

P. GELASIUS DOBNER *a S. Catharina, e Clericis regular, Scholarum piarum edidit Wenceslai* HAGEK *a Libœzan Annales Bohemorum e Bohemica editione Latine redditos & notis illustratos a P. Victorino a* S. CRUCE, *nunc plurimis Animadverss. hist. Chronol. Criticis, nec non diplomatibus, Litteris publicis &c. auctos P. II. 1761. 4,*

Ut & Monumenta historica Bohemiae, nusquam antehac edita &c. Tom. I. 1763. 4.

QUEDLINBURGI.

V. C. **Frid. Eberh Boysens**, Oberhofpredigers, u. s. w. Beyträge zu einem richtigen System der Hebräischen Philologie, gesammlet und nach den Grundsätzen des Hrn. Hofraths und Prof. Michaelis eingerichtet 3 Theile 1762. 1763. 8.

Hrn. J. **Sommerau**, Pred. zu Blankenburg, Kern aus Hrn. J. L. **von Mosheims** Sittenlehre 2. B. 1763. 8.

Vernünftige Gedanken von dem Raum, dem Ort und der Zeit, aus den Schriften des Hrn. **Eulers** mitgetheilet, nebst einigen Anmerkungen und unpartheyischen Geschichte der Streitigkeiten über diese Dinge. 1763. 8.

RATISBONÆ.

Erläuterungs-Schriften über den Hippolithus a Lapide. Erster Theil 1763. 8.

REGIOMONTI.

d. 19. Maji 1763. diem suum obiit V. C. FRANC. ALB. SCHULZE, *S. Th. D. & Prof.*

Prodierunt V. C. **Theod. Christ. Lilienthals**, gute Sache der in der h. S. Altes und N. T. erhaltenen göttl. Offenbarung 10ter Theil 1762. 8.

D. J. D. **Moldenhauers**, gründliche Erläuterungen der schweren Stellen der heil. Bücher N. T. 2. Th. 1763. 4.

Memo-

Memoire sur les Samojedes & les Lappons 1762. 8. Auctor dicitur esse Consiliarius *Klingstedt.*

RENNES.

Memoire concernant l'Institut, la doctrine, & l'etablissement des Jesuites en France 1762. 12. pro Jesuitis libellus hic conscriptus est.

RINTELII.

V. C. J. H. FUNCCII, *Prof.* progr. *de Confusione linguarum 1763.*

ROMÆ.

V. C. JO. WINKELMANNUS, Præses creatus est *Societatis Antiquitatum.*

V. C. TURBERVILLE NEEDHAM, edidit Comment. *de Inscriptione quadam Aegyptica Taurini inventa & characteribus olim Aegyptiis & Sinis communibus exarata* 1761. 8.

Et defendit sententiam suam contra *Bartolum* antiquarium hoc scripto: *Reponse aux deux Titres de Mr. Bartoli 1762.*

Prodierunt porro *Les plus beaux Monuments de Rome ancienne, ou Receuil des plus beaux morceaux de l'Antiquité Romaine, qui existent encore, dessinés par* Mr. BARBAULT, *Peintre, Ancien Pensionnaire du Roi a Rome & gravés en 128. planches, avec leur explication 1761. fol.*

V. C. PAULI M. PACIAUDII, *Monumenta Peloponnesiaca, commentariis illustrata Vol. II. 1763. 4.*

V. C. RODULPHINI VENUTI. *Cartinensis, Diss. de Dea Libertate, ejusque cultu apud Romanos 1763. 8.*

P. VIRGILII, *Maronis, Bucolica, Georgica & Aeneis ex Codice Mediceo Laurentiano descripta ab* ANT. AMBROGI, *Florentino, S. J., Italico versu reddita, adnotationibus atque Variantibus & antiquissimi Codicis Vaticani picturis, pluribusque aliis Veterum monimentis aere incisis & cll. Virorum Dissertt. illustrata. Tomus primus, continens Bucolica & Georg. 1763. fol.*

Cae-

Caesaris BARONII, *R. E. Cardinalis Epistolae & Opuscula, edita per P. Raimondum* ALBERIA *1763. fol.*

ROSTOCHII.

V. C. **Alexander Jephsons**, Abhandl. vom Sabbath der Christen, aus dem Englis. u. mit einer Vorrede begleitet von Hrn. **Fr. Eb. Rambach** 1763. 8.

Sammlung historischer Nachrichten zur Beförderung der Geschichtskunde. Erstes St, 1763. 4.

Hrn. **Olofs von Dalin**, Geschichte des Reichs Schweden, aus dem Schwedischen übersetzt von Hrn. **Joh. Karl. Dähnert**, P. u. Bibliothekar zu Greifswalde. 3ter Th. 1 B. 1763. 4.

ROTERODAMI.

De Heilige Trap-Gezangen, of de XV Liederen HAMMAALOTH, *vervat in de 120 tot den 134 Psalm, in hunnen Letterlyken en Geestelyken Zin, in 27 Leerredenen op eene nieuwe wyze verklaart en toegepast door den* Heere TAKO SIBELIUS, *Predicant te Alphen 1762. 4.* pl. Rev. & Doctissimus Auctor, cui de hoc opere amice gratulamur, in ea est sententia, Psalmos hic occurrentes, a Davide, Salomone aliosque pro nata occasione compositos, collectos fuisse ab Ezra in unum fasciculum, ut in festo tabernaculorum decantarentur eum in finem, ut Judæis in memoriam revocaret beneficia ipsis ab exitu ex Aegypto præstita, & postea *gradatim* exhibita, quæ ut typica delinearent fata Ecclesiæ N. T. Ingenio indulsit Doct. Amicus satis pro hypothesi feliciter. Posset ipsi concedi gradatim exhibitorum beneficiorum mentionem fieri secundum ordinem Psalmorum, verum etymologia vocis *Hammaaloth* inde deducta paucis arridebit, paucisque verisimile erit, Judæos ex his Psalmis quicquam de fatis Ecclesiæ N. T. resciviisse speciale, fatis Eccl. Judaicæ analogum. Hinc arbitraria nimis erit Applicatio hujus illiusve Psalmi ad hæc illave Ecclesiæ N. T. fata. Ceterum pro hypothesi laudem meretur Auctor.

BIBLIOTHECA
BREMENSIS
NOVA
HISTORICO-PHILOLOGICO-
THEOLOGICA

CLASSIS QUARTÆ
FASCICVLVS TERTIVS ET VLTIMVS.

BREMÆ & AMSTELODAMI
Sumptibus Bibliopolarum
Viduæ b. G. W. RUMPII & H. VIEROOT.
MDCCLXIV.

VIRO

ADMODUM REVERENDO
ET DOCTISSIMO

JOANNI WILHELMO PARIS,

V. D. M.
ECCLESIÆ, QUÆ CHRISTO COLLIGITUR
HULSTÆ FLANDRORUM,
ANTISTITI SENIORI,
SCHOLÆQUE IBIDEM RECTORI,
QUEM OLIM
IN STUDIORUM TYROCINIIS
COMMILITONEM CHARISSIMUM,
ET DEIN PER SEPTENNIUM,
IN EODEM
APUD ECCLESIAM HULSTENSEM
MUNERE,
EXOSCULATUS FUI
COLLEGAM CONJUNCTISSIMUM,

DUODECIMUM HUNC

BIBLIOTHECÆ

BREM. NOVÆ
FASCICULUM.

IN DOCUMENTUM
AMORIS MUTUI,
DULCISSIMI IN MUNERE LEVAMINIS,
QUI
NON OBSTANTE LOCORUM,
QUÆ NOS SEJUNXIT, INTERCAPEDINE,
SARTUS MANET,
MANEBITQUE SEMPER ILLIBATUS,
ET
IN GRATITUDINIS TESSERAM,
PRO OMNIBUS,
QUIBUS ME SIBI DEVINXIT,
AMICITIÆ FRATERNÆ BENEFICIIS,
EX ANTIQUA FORMULA
DO, DICO, DEDICO,
ET UT
PRO EO, QUO MULTIS PRÆSTAT
INGENII ACUMINE,
AC ERUDITIONE HAUD PROLETARIA,
BIBLIOTHECAM HANC AMPLIFICET,
DOCTISQUE SUIS SCRIPTIS EXORNET,
AMICE EXPETO,
TANDEM
CHARUM ILLUD CAPUT,
DOMUMQUE EJUS OMNEM,
ECCLESIAM HULSTANAM,
EJUSQUE IN EAM VIGILIAS ET LABORES,
UT AD GLORIAM S. NUMINIS
BENEDICTUS IN SINU SUO GAUDEAT,
DIVINÆ GRATIÆ COMMITTO
NICOLAUS BARKEY.

ELENCHUS SCRIPTORUM FASCICULI TERTII CLASSIS QUARTÆ.

I. OLAI CELSII, Continuatio Historiæ *Linguæ & Eruditionis Arabum*, Caput 5 & 6. pag. 373.

II. ELIÆ PALAIRET, Continuatio *Auctorum Sacrorum Classicorum*, & quidem MARCI. pag. 436

III. HENRICI HEISEN, Dissertatio *de præcipuo Epistolæ ad* ROMANOS *scopo*. pag. 453.

IV. AUGUSTI LUDOVICI ZACHARIÆ, *V. D. M. Cothenensis*, Ἀνακρίσις & amica *super loco* JEREM. *XXXI.* 22. Nam Jehova novum creavit in terra, Femina circumdabit Virum: *cum Editore Biblioth. Brem. Novæ* Epistolaris Collatio, *qua hypotheseos, quæ ponit miracu-*

culosam Messiæ, Filii Dei, conceptionem ac incarnationem, possibilitas ac præstantia docetur. pag. 479.

V. LITTERARIA pag. 517.

VI. INDEX Scriptorum, *quæ in quatuor primis Classibus exhibita sunt.* pag. 538.

VII. VIII. IX. X. INDICES ceteri, *locorum S. S. explicatorum vel illustratorum, Vocum Hebraicarum, Arab. & Græcarum expositarum, & rerum præcipuarum* pag. 544 f.



I.

OLAI CELSII,

CONTINUATIO HISTORIÆ LINGUÆ ET ERUDITIONIS ARABUM,

CAPUT QUINTUM *)

DE FATIS LINGUÆ ARABICÆ INTER EUROPÆOS.

Judæi in Mauritania & alibi linguam Arabicam excoluerunt. Fridericus Ænobarbus ſ. Barbaroſſa Arabum ſcripta in Latinam Linguam transferri curavit ſeculo XII. Qui transferentes. Qui libri verſi. Transferentium imperitia oſtenditur per exempla, tam e ſcriptis Mathematicis, quam Medicis, & Philoſophi-

*) Capita *primum* & *ſecundum* lege Claſſis hujus *Quartae* p. 1. ſqq. *Tertium* & *Quartum* ibid. p. 203. ſqq.

ſophicis. Concilii Viennenſis ſalubre decretum de ſtudio Linguæ Arabicæ propagando per Europam. Europæi nimis ſegniter hoc ſancitum Pontificis exſecuti. Superiori ſeculo debent quicquid ſplendoris inter Europæos hodie obtinent Arabicæ Muſæ. Librorum Mſſ. Arabicorum copia in Europa oſtenditur eundo per Bibliothecas principes Europæ tam publicas quam privatas. Primi Linguæ Arabicæ in Europa cultores, Poſtellus, Raphelengius, & Erpenius. Enumerantur Semones harum literarum reliqui; Batavi, Germani, Itali, Maronitæ, Galli, Angli, Sueci, ita ut ſimul diligenter annotetur, quid quisque in Arabicis ſcripſerit, ediderit que. Diſquiritur de Origine Typographiæ Arabicæ. Voſſius notatur. Officinæ celebriores enumerantur, tam publicæ, quam privatæ. Libri, qui ex quacumque celebriore officina Arabice prodierunt.

§. 1.

Poſtquam in Oriente ſic decoxerat Arabum eruditio, inter Judæos hinc inde diſperſos, & Europæos occidentales ſenſim refloreſcere cæpit. Et Judæi quidem cum hac ætate communia cum Saracenis ſtudia habuerint, quin ab iisdem ſcientias & artes didicerint, haud dubi-

dubitandum est. Certe quidquid in Grammaticis, quicquid in arte poëtica apud Judæos jam in usu est, id omne ab Arabibus mutuatum videtur. Primus Hebræorum Grammaticorum fuit, non R. Jehuda Fessanus, uti communiter creditum est, sed hoc antiquior R. Saadias Gaon, qui vixit A. Ch. 927. & de Arte Gram. III. libros conscripsit; Item Raf Hai Geonæus & Ben Laberat Fessanus. Ipsa præterea methodus eorum Arabibus exacte respondet. Quorum scilicet exemplo Grammaticæ partes constituerunt tres, nomen videlicet, verbum, & participium. conf. Giarum Erpenii *p.* 4. & Kimchi *Miclol.* Pari quoque ratione cæteras Philologiæ & Philosophiæ partes Hebræi vel ab Arabibus mutuatas in suos libros transtulerunt, vel ad methodum eorum tradiderunt, docente cel. Hottingero *Hist. Eccl. sec. XII. p.* 258. & *sec. XIV. p.* 258. Sed & linguam Judæi Arabicam impigre excoluerunt, adeo ut de Judæis in Ægypto commorantibus R. Samuel Karraita in Itinerario, quod cura Nob. D. Gust. Lillieblad aliqua sui parte jam excusum est, ita scribat: וגם ספרי חכמי הקראי הרבה כולכם בלשון ערבי *His accedunt libri bene multi sapientum Karræorum sermone omnes Arabico conscripti.* Item de Maimonide R. Gedalia *p.* 43. *a.* quod

præter ſcripta quæ hodie reperiuntur, plurima etiam deperdita ſint בתורה בפילוסופיא בהגיון ורפואה ובלשונות הרבה כמו ערבי יווני וכשדי *ex iis, quæ ad legis divinæ explicationem pertinebant, ad ſcientias etiam Philoſophicas, Logicam, Medicinam, Linguarumque cognitionem*, utpote *Arabicæ, Græcæ, Chaldaicæ.* Idem Arabice ſcripſit ſuum Moreh Hannevochim, item explicationes Miſchnæ, vid. Juchas. *p.* 131. b. & Gemaræ; *Schalſch. Hakkab.* 43. etiam Miſchnaios Arabice tranſtulit, teſte Hotting. *Hiſt. Eccleſ. P. I. p.* 83. aliaque ſcripſit tum Theologica, tum quoque Medica. R. Enoch f. R. Moſis totum Talmud Arabice enarravit. Pocock. *Præf. Port. Moſis.* R. Bechai ſenior Arabica lingua conſcripſit librum Chobhat Hallebhabot. *Zem. David.* 55. R. Aben Tybbon Maimonidis Moreh Hannevochim ex Arabico Hebraice vertit, item librum Coſri, vid. Hotting. *Bibl. Orient. p.* 96. Juchas. 131. b. nec non commentaria in Pirke Abhot, & Tr. Sanhedrin, teſte Jacobo Ben Moſe Ben Accaſi ap. cel. Pocock. *in præfat. ad Port. Moſis*, unde & אבו המעתיקים *pater interpretum* non immerito eſt adpellatus. R. Aben Ezra ſæpius in Commentariis ſuis voces obſcuras ex Arabiſmo explicuit, & Saadiæ paraphraſin Arabicam caſtigavit. R. Salo-

Salomo Autor Mechabberoth, vertit Ebn Rajesum de judiciis Astrorum, quem librum haberi in Biblioth. Cæs. Vindobonensi, ex Tegnagelii Legato, testis est Georgius Velschius *præf. ad Ruzname Naurus.* R. Abraham fil. Diuri librum Arabico sermone consignavit, titulo, de Fide excelsa. *Juchas. l. cit.* R. Maimonidæ אגרת תימן Epistolam Meridiei, id est, ad Judæos ad Meridiem habitantes, Arabicam fecit R. Noachus. Elegantem illam Historiam de jurisjurandi religione sedulo servanda, ejus captus dulcedine, ex Arabica lingua in Hebraicam convertit R. Abraham, Magni illius Mosis Maimonidis filius, cujus semita viam fecit, & amplius Latinitate donavit illustris Wagenseilius, eamque Exercitationum libello inseruit.

Saadias autem Gaon Judæus undiquaque doctissimus & celeberrimus, omnes Vet. Test. libros in gratiam popularium suorum longe lateque per universum imperium Saracenicum in Asia Africaque dispersorum in sermonem transfudit Arabicum. De eodem R. Gedalias in *Schalscheles Hakkabbala p.* 38. a. testatur ופי' התורה בלשון ערבי ומביאון' עזרא בפרש' בראשית' *quod etiam in legem lingua Arabica commentarios scripsit, quorum meminit Aben Ezra super Sectionem legis illam, quæ Bereschit inscribitur.*

Pentateuchum Arabice a Judæis in Mauritania conversum vulgavit Erpenius, de quo vid. *præf. ejusd.* R. Josephus Haccohen, Maimonidis Discipulus, cuique suum Moreh dicaverat, Paraphrasin scripsit in Canticum Canticorum, de qua vide Pocock. *præf. ad Port. Mos.* Hotting. *Hist. Eccl. sec. XII. p.* 254. *& Bibl, Or. p.* 94. De Judæo, qui libros Regum in Arab. linguam transtulit vide Pocock. *not. specim. Hist. Arab. p.* 361. Quatuor Evangelia ex Chaldaico traducta in Arabicum per Pharaonem Hebræum, habentur inter Mss. Arabica Bibliothecæ Laurentinæ in Escuriali Regis Hispaniarum. Sunt præterea Versiones Bibliorum non paucæ ab Arabibus Christianis confectæ, de quarum usu, autoritate atque antiquitate fuse egerunt Waltonus in *prolegom. Bibl. Polyglott.* & *Pocockius præf. in Lect. Variant. Pentateuchi Arabici*, item Hottingerus *de Heptaplis Parisiensibus p.* 85. Hic obiter notare licebit omnes ætate esse inferiores Muhammede; Usum in Theologia, tam Exegetica, quam Historica & Elenchtica maximum esse & insignem; non tamen tantum, ut contra analogiam fidei quicquam inde mutuandum, aut antiquitatis prætextu plus æquo ei tribuendum sit.

§. 2.

§. 2.

Nec minor inter Europæos literarum Arabicarum cura extitit; imprimis poſtquam circa A. Ch. 1120. laudatiſſimæ memoriæ Imperator Fridericus II., quem Ænobarbum vel Barbaroſſam adpellant, libros Arabicos quoſcunque in linguam Arabicam ſuomet ſumtu transferri curavit. De quo ipſius Cæſaris in opere Epiſtolico Petri de Vineis *Lib.* III. *ep.* 67. ad Scholam Bononienſem extat epiſtola, quam nonnulla ſui parte hic exhibere viſum eſt. *Dum librorum ergo volumina, quorum multifarie multisque modis diſtincta chirographa noſtrarum armaria divitiarum locupletant, ſedula meditatione revolvimus, & accurata contemplatione penſamus; compilationes variæ ab Ariſtotele aliisque Philoſophis, ſub Græcis Arabicisque vocabulis antiquitus editæ in ſermocinalibus & mathematicis diſciplinis, noſtris aliquando ſenſibus occurrerunt: quas adhuc originalium dictionum ordinatione conſertas, & vetuſtarum veſtium, quas eis ætas prima conceſſerat, operimento contectas, vel hominis defectus aut operis ad Latinæ linguæ notitiam non perduxit. Volentes igitur, ut veneranda tantorum operum ſimul authoritas apud nos, non abſque commodis communibus, vocis organo traduce innoteſcat: ea per vi-*

ros lectos, & in utriusque linguæ prolatione peritos, instanter jussimus, verborum fideliter servata virginitate, transferri.

§. 3.

Inter alia autem tum temporis ex Arabico in Latinum conversa, (quæ sane plurima, ut e Bibliothecarum indicibus constat) Platonis & Aristotelis pleraque fuisse deprehendimus. Ptolomæi item Magnam Syntaxin, Theodosium Tripoliten de Figura Sphærica, Euclidem, Hippocratem, Galenum, aliaque ex ipsis Arabum scriptis. Nec alia illo tempore, quid? ante annos hosce CC. horum Græcorum Scriptorum interpretatio Latina in manibus fuit Europæorum, quam ex Arabica versione expressa. Fidem dictis facient insignium quorundam virorum testimonia, quorum primum erit D. Philippi Melanchtonis in præf. ad Ptolomæi Almagestum s. Magnam Compositionem. *Aliquamdiu studia hujus doctrinæ viguerunt in Regno Saracenico, cum Alexandriæ, tum alibi, cumque deessent Latinis hominibus fontes artis, videlicet hic Ptolomæi liber, curavit eum Fridericus Imperator, ex Arabico sermone in Latinum converti.* Jos. Scaliger in Epist. ad Stephanum Ubertum. *Florentibus Arabum rebus, summa meliorum literarum imperi-*

peritia in tota ecclesia Latina erat: quum bonæ disciplinæ inter Muhamedanos maxime vigerent. Et profecto quicquid latini scripserunt, postquam illos insciticæ suæ monuit Arabum industria, id totum Arabibus acceptum debent; Philosophiam, Medicinam & Mathematica. Nam nullum Græcum scriptorem habuerunt, quem non ex Arabica in Latinam translatum legerint. Ptolemæi magnam Syntaxin prius ex Græca Arabicam, ex Arabica Latinam factam tractare cæperunt. Sic Euclides Arabice, deinde Latine conversus, tamdiu inter nos obtinuit, donec capta Constantinopoli exules Græci nos relictis lacunis ad ipsos fontes convertere docuerunt. Et Joh. Seldenus in Commentario ad Eutychii Patriarchæ Origines Ecclesiæ Alexandrinæ. p. 156. *Scientiæ liberales viteque institutæ diu vocari solebant à nostris studia Arabum, & Arabica studia, veluti denominata â gente ac locis, ubi tunc solum serio colebantur. Id etiam liquet ex præfatione Adelardi Monachi Bathonienſis, Athelardi item dicti, in quæstiones suas naturales, quas ex Arabum scholis redux in Angliam conscripsit. Hac de re item consulas Guilielmum Malmesburiensem de gestis Regum in libro 2. c. 10. Floruit ante quingentos Athelardus ille abhinc annos (Henrico I. in Anglia regnante) & primus Euclidis Elementa*

Geometrica Latine vertit, sed ex Arabico, (quorum exemplar MS. penes me habeo) uti & alia Mathematica. Nam seculis in illis, ut & diu post, non ex Græco fonte, sed ex Arabicis Versionibus Latine, sed barbare nimis redditis Platonis ac Aristotelis pleraque, Ptolemeum item, Hippocratem, Galenum, Euclidem, id genus alios habebant Academici Occidentales. Et Avicennas tandem, Averroes, Alfarabios versos. Nec vero Themistios, Philoponos, Alexandros, Simplicios omnino legebant; quos nec habuere, uti nec alios ferme autores Græcos, antequam, post captam à Muhamede II. Constantinopolim A. Ch. 1453. Græci aliquot scientiores eorum exemplaria, in Italiam ac Germaniam profugi, secum asportabant. Latine autem versi erant libri illi Arabici, in Academicorum gratiam, sub Lothario Saxone, & Friderico Ænobarbo circa A. 1140. De Messahalæ Arabis opere, quod Noribergæ superioris seculi anno XLIX. Latine edidit Joachimus Hellerus, in præfatione sic scribit idem:

Hæc quia consiliis Regum conducere sensit,
Servavit nobis Friderici provida cura
Cæsaris, hoc Autore sonat nunc verba Latina
Non prius intellectus Arabs. - - -

§. 4.

§. 4.

In illis autem qui vertendis libris illis operam collocarunt, eminent ADELARDUS BATHONIENSIS, Anglus, cujus modo ex Seldeno mentionem fecimus. De hoc ita Pocockius, Filius, in præf. ad Epistolam Abi Jaafar Ebn Tophail; *in Anglia mature florere cæperunt hæ literæ opera Adhelardi Bathoniensis magnæ eruditionis viri, qui Henrico Wilhelmi in Anglia imperante (circa A.* 1130.) *floruit, ac Latinorum omnium primus Arabum gazas Europæ invexit, aliorumque post eum, qui iis ornandis felici conatu incubuerunt.* Vixit quoque A. D. 1190. DANIEL MORLEYE, Anglus, qui Mathematicæ artis cupiditate tactus ad Arabes ea ætate imprimis eruditos, animum adjecit, & Toletum profectus, eorundem scrinia excussit, teste Hotting. *Hist. Eccl. sec. XII.* ANTONIUS LAURUS *de* PALATIIS qui *Paduæ A.* 1218. de Arabico in Latinum transtulit Albubathris librum nativitatum. Ejus quoque est versio Centum aphorismorum, vel Centiloquii Hermetis, editi *Venet.* 1501. ABEN AMRAM Judæus. GERARDUS CREMONENSIS, qui Joh. Gravio (præfat. ad Astron. Shah Cholgii) *vir linguæ Arabicæ peritissimus* audit. Vertit ille Gebrum Hispalensem,

sem, (*Joh. de Regio Monte Orat. in Alfrag.*) Abubethri Rhazæ opera exquisitiora *Bas.* 1544. *fol.* Canonem Avicennæ, quæ versio MS. duobus tomis extat in Bibliotheca Regia Holmiæ; edita a. est Lugduni 1522. Bas. 1556. & Venet. apud Juntas 1595. a Joh. Costæo. Allacen Arabis librum unum de Causis crepusculorum, quam cum suo ejusdem argumenti edidit Olysipp. Petrus Nonius A. 1513. Abhenquesit lib. 1. de facultatibus ciborum Argentinæ 1531. PLATO TYBURTINUS vertit Almansoris propositiones ad Regem Saracenorum edit. Basil. 1551. & multo ante Venetiis. Albategnium, teste Joh. de Reg. Monte in præf. ad Alfrag. GEORGIUS VALLA PLACENTINUS, Abubethri Rhazæ librum de peste. ALBANUS TORINUS VITODURANUS Rhazæ librum X. de Arte Medica. ANDREAS VESALIUS BRUXELLENSIS Rhazæ Lib. IX. de A. Med. ANDREAS ALPAGUS BELLUNENSIS Serapionis practicam Medicinalem Venet. apud Juntas 1550. Idem Avicennæ versionem castigatam edidit, & alia. JOHANNES CAMPANUS Euclidem ex Arabico vertit teste Trithemio Script. Eccles. JOHANNES HISPALENSIS Alchabitium de judiciis Astrorum Venet. 1512. item Introductorium ejusdem in Astrologiam Francford,

ford. 1508. ABRAHAM JUDÆUS & SIMON JANVENSIS Serapionis comment. de simpl. Medic. Venet. ap. Juntas 1550. Item Abulcasis Servitorem. STEPHANUS, (Philosophiæ discipulum se adpellat,) Haly filii Abbasi librum, Medicinæ complementum dictum, Latine versum Lugd. edidit 1523. in 4. ARMEGANDUS BLASII Gallus, Avicennæ & Averrois opera in Lat. Linguam vertit, & comment. illustravit circa A. D. 1274. FRANCISCVS BVRANA Averroëm vertit. Longe plures addi possent, si otium esset Catalogos Bibliothecarum excutere. confer. si lubet, Tomasini Catalog. Mss. Bibliothecæ Patavinæ, & Biblioth. Bodlejanæ Jamesii, vel potius Thomæ Hyde edit. A. 1674. in fol. Labbei Biblioth. Univers. & Biblioth. Mss. Catalogum Mss. Biblioth. Regis Hisp. apud Ravium in Spec. Alcor. item Gesneri Bibliothecam, aliosque.

§. 5.

Versa præterea deprehenduntur in Bibliotheca Regia Holmensi, sed nescio a quibus, Bethem Centiloquia, & de horis planetariis; Zahelis de electionibus, Messahalah de ratione Circuli & stellarum; Omar de nativitatibus, quos uno volumine cum aliis nonnullis ejusdem argumenti exhibuit Nico-

Nicolaus Prücknerus *Bas.* 1551. Abenzoar Arabs de Regimine sanitatis, & de simplicibus Medicis, MS. Messahalæ lib. III. quorum I. agit de revolutione annorum mundi; II. de significatione planetarum in nativitatibus. III. de receptione. *Norimb.* a Joach. Hellero A. 1549. Novem judices in judiciis Astrorum, Messehella, Aomar, Alkindus, Zael, Albenait, Dorothæus, &c. *Venet.* 1508. De principiis judiciorum Astrologiæ Introductorium Zahelis Ysmaelitæ, & flores Albumasaris *August. Vind.* 1495. Albumasar Albalachr introduct. in Astrologiam, MS. Sapheæ recentiores Doctrinæ patris Abrusahk Azarchelis summi Astronomi edita a Joh. Schonero *Norimb.* 1534. Alfragani Elementa Astronomica. *Norimb.* Theodosius Tripolites de Fig. Sphærica. *Venet.* Ptolemæi Planisphærium. *Tolos.* cIↃCXLIV. Abhenquesit de Balneis *Venet.* apud Juntas 1553. Abhomeron Abynzoar in re Med. Lib. III. *Venet.* 1496. Abubethri F. Zachariæ F. Arazi Medici opera parva *Lugd.* 1510. Alchindus de Compositarum Med. Gradibus &c. *Patavii* 1584. Gebri Chymia MS. Hæc ibi. Plures autem ejus generis libros reperies, si consulueris Catalogos supradictos, quorum haud pauci sunt, qui lucem nunquam videre, eo nomine feliciores visi

visi cel. Christ. Ravio in præf. Specim. Alcorani, „*perdituri* sc. *alias in momento omnem de se opinionem & exspectationem.*

§. 6.

Nam observamus, quod plerumque non optime officio suo functi fuerint interpretes illi. Aut enim Arabici sermonis proprietatem non recte perceperant, aut Latini, aut etiam utriusque: Unde scabræ admodum versiones illæ sunt, nec raro tam longo spatio ab Arabico textu dissidentes, quam absunt a terra sidera. Imo & interdum non sine periculo errarunt, quod exemplo ostendemus. Jusserat Avicenna, celeberrimus Arabum Medicus, morsum viperæ curari الثوم *AlTum* i. é. *allio*, quod interpres insigni αβλεψία, & manifesto vitæ discrimine reddiderat *somnum*; legerat siquidem ille النوم *AlNum*, quod Arabibus significat somnum, unico tantum punctulo demto. Sed & loquendi formulas perplurimas Latinis auribus insuetas ingratasque ad Arabum imitationem satis barbare confinxerunt, ut *longitudinem longiorem, & longitudinem propriorem*, quoniam Arabes augem, s. apogæum البعد الابعد; & oppositum augis البعد الاقرب ad-

adpellant; & quoniam Arabes interſectiones Orbium excentricorum cum Zodiaco رأس & ذنب vocant, viſum eſt iſtis *caput & caudam Draconis* uſurpare; verum Græci longe ſignificantius alterum συνδεσμον αναβιβαζοντα, alterum καταβιβαζοντα reddiderunt. Sic quia arcus Zodiaci a linea apogæi εις τα ἑπομενα ſignorum, ad lineam vel medii, vel veri motus numeratus Arabibus dicitur المركز, placuit interpretibus Latinis eundem centrum adpellare.

§. 7.

Hujusmodi igitur erroribus cum ſcateant verſiones illæ, ſæpenumero nugas agunt, judicio cel. Bocharti in Hierozoico, qui ſtilum ſtringunt in Autores. Neque enim ipſos refellunt, ſed interpretes, per quorum incuriam aut imperitiam σφαλματα illa in egregia opera irrepſerunt. Itaque Georg. Bertinus præf. in Medic. *Arabibus maximam injuriam faciunt, qui cum in vernacula lingua elegantiſſimi ſcriptores extiterint, Barbarorum interpretum errata præſtare non tenentur.* Sic P. Kirſtenius in *præf. Gram. Ar.* & Mauſſ. in *Plut. p.* 71. Amat. Luſitanus *in Scholiis Cur.* 1. *Cent.* 1. Joh. B. Montanus de *Concoct. humorum p.* 177. Wilhel-

helmus Bedwellus præfat. sæp. cit. *Arabum hæc culpa non est, sed interpretum. Arabes enim scriptores omnium suo tempore doctissimi, acutissimi, cultissimi, interpretum oscitantia cognomen barbariei vix eluendum contraxerunt. Hoc docti norunt, & publicis scriptis testati sunt.* Cel. Pocockius Orat. de L. Arab. *Barbarorum sordes interpretum in elegantissimos autores conjicimus, & lacunas nacti lutulentas, fontes ipsos ut cœno oppletos contemnimus: itaque nostro & rei literariæ damno aquas limpidissimas fastidimus. Quidni pari jure ipsi Aristoteli, Barbari alicujus interpretis ore loquenti, barbariei notam imurimus? Utinam fieret aliquando, ut Alfarabium, Avicennam, Avenpacem, eâ, quâ scripserunt linguâ legeremus; & tum demum libere de Arabum doctrina, sententiam ferremus.* & post pauca: *Hæc ad barbariei notam à Philosophis Arabum amoliendam dicta sunto, ne quis, quod interpretum est, autoribus imputans, cum larvis luctari pergat. Ipsos ubi fontes adierit, tum demum testis fide dignus, aut judex idoneus haberi merebitur. Quicquid alias durius pronunciaverit, calumnia erit, non judicium.* Atque in eundem sensum multa adferunt alii multi.

§. 8.

Enim præter sensus Autorum Arabum mire nonnunquam distortos, atque depra-

vatos, etiam voces ipſas male lectas expreſſasque in verſiones ſuas Latinas tranſtulerunt interpretes; atque inde præcipue fœda illa barbariſmi nota in Arabes promanavit. Subnectemus exemplo nonnulla, quo conſtet, haud a vero eſſe aliena, quæ tum ab autoribus citatis, tum a nobis de illis allata ſunt. Et imprimis Aſtronomica & Geographica vocabula quædam ex Ulughbeighi, Tizini, Ebn Kethiri Ferganenſis, AlGieuharii aliorumque operibus emendata exhibebimus.

Arabice.	Recta Scriptura.	Prava Interpertum Lectio.
البطين	*ElBotein*	*Albatyn ſ. Albuten.*
النثرة	*ElNethra,*	*Anachera.*
الصرفة	*Elſerpha,*	*Aſampha.*
البلدة	*ElBelda,*	*Albendach.*
ميزار	*Mizar,*	*Mirach. Miraz. Mirar. Mirath.*
فم الحوت	*PhamElHut,*	*Fontabant, Fomahant Fumahant.*
سمت	*Semt,*	*Zenit, Senith.*
اوج	*Aug,*	*Aux, augis.*

هبوط

هبوط	*Habut*,	*Hadhid.*
السمت	*Alſemt.*	*Azimuth.*
باب المندب	*Bab ElMendab,*	*Babelmandel.*
جبل طريق	*Gebel Tarik,*	*Gibraltar*
بلد الجريد	*Beled ElGerid,*	*Biledulgerid.*

Quibus addi poſſent ex ſcriptis Aſtronomicis, item Geographicis & Itinerariis alia ſexcenta; ſed hæc ſufficiant γευσεως loco. Hiſce adjungo ex ſcriptis Medicorum nonnulla:

زنجبيل	*Zingibil,*	*Gingiber*, & Græci recentiores ζιγγιβερ.
جدوار	*Gjedwar,*	*Zedoaria*, Græci, ζαδοαρ. ζαδυρ. ζαδαρ ζαδυρα ζαδερα. ζαδυαρια.
كافور	*Caphura,*	*Camphora.*
بلسان	*Beleſan,*	*Balſam.*

§. 9.

Plura non adjicio; nam per centurias herbarum, morborum, medicamentorumque nomina Arabica perperam ſcripta apud

Silvaticum in Pandectis, item Caſtellum in calce Lexic. Med. aliosque numerari poſſunt. Hiſce autem annecto nomina propria Autorum quorundam Arabum, miſerum in modum ab iisdem interpretibus corrupta; Quo tamen nomine feliciores fuiſſe Arabes exiſtimo, quod ſic non ſuis, ſed diverſis plane nominibus totiens immerito vapularunt. Sic qui Arabibus eſt ابن الحفيد *Ibno'l Hafid.* interpretibus eſt *Abhenguefit*, vel *Albengnefit.* Pro ابو مروان ابن زهر *Abu Merwan Ibn Zobar*, dixerunt corrupte, *Abhomeron ſ. Abimeron ſ. Abymeron Abinzoar.* Pro *Abu-Beer Muhammed. fil. Zach. AlRazi*, corrupte, *Abuchare Mugamet & Albubater. ſ. Abubater ſ. Abubatris Razis.* ejusque libro الحاوي *AlHawi*, corr. *Helchawy.* Pro البتاني *Muhammed AlBattanius*, corrupte, *Mahomet Albategnius.* Pro ابو علي ابن سينا *Abu Ali Ibn Sina*, corrupte *Albo Haly, ſ. Abohaly Avicenna.* Pro ابو علي ابن حزلة *Abu Ali Ibn Gjezla*, corruptiſſime, *Bubahylyha Byngesla.* Pro *Ebn Bagia*, corr. *Avenpaces.* Pro ابو معشر البلخي *Abu Maſher AlBelchi*, corr. *Albumaſar, ſ. Abu-*

Abumaiſar, ſ. *Apomaſares*. Pro الغرغاني *Muhammed AlFerganus*, corr. *Mahomet Alfraganus*. Pro الحسن *Al-Haſen*, corr. *Allacen* ſ. *AlHazen*. Pro *Abil-Walid Amiro'lMumenin Jacob AlManſur*, corr. *Abil Gualit Miramamolin Jacob Almanſor*. Pro ابن رشد *Ibn Roſhd*. corr. *Averroës*.

§. 10.

Quamvis itaque hodie haud magnam ob verſiones ſuas gratiam inveniant Interpretes illi, laude tamen ſua fraudandi non ſunt, quod rem literariam renaſcentem, pro re nata, juvare haud gravate ſuſceperint.

§. 11.

Cum autem artes jam magis magisque excoli inciperent, & linguarum ſtudia haud parum ad religionis dogmata ſtabilienda Clementi V, Pontifici M. viderentur allatura momenti; Is itaque in concilio Viennenſi, quod Anno Salutis MCCCXII. coactum, inter alia hæc ſanxit: *Ut igitur peritia Linguarum hujusmodi poſſit habiliter per inſtructionis efficaciam obtineri, hoc ſacro approbante Concilio, ſcholas in ſubſcriptarum linguarum generibus, ubicunque Roma-*

nam curiam residere continget, nec non in Parisiensi & Oxoniensi, Bononiensi, & Salamantino studiis providimus erigendas; statuentes: ut in quolibet locorum ipsorum teneantur viri Catholici, sufficientem habentes Hebraicæ, Arabicæ & Chaldææ linguarum notitiam: Duo videlicet uniuscujusque linguæ periti, qui scholas regant inibi, & libros de linguis ipsis in Latinum fideliter transferentes, alios linguas ipsas solicite doceant, earumque peritiam studiosa in illos instructione transfundant. Quæ utut, salubri sane consilio, sic sancita essent, & Parisiis tum temporis, atque in Hispania inter Monachos Ordinis prædicatorum, autore Raymundo a penna forti, has omnes Linguas publice fuisse doctas, sint qui affirment; (vid. *Bzov. An. Chr.* 1325. *s.* 13. & *Epist. Franc. Bosqueti, Episcopi Lodovensis, ad Iosephum de Voisin*) nimis tamen languide fuisse excultas, non Historia modo, sed & res ipsa loquitur.

§. 12.

Nostro igitur & superiori seculo debent, quicquid splendoris inter Europæos hodie obtinent, transmarinæ hæ Musæ. Tum demum enim librorum Arabicorum major numerus, ampliorque supellex in Europam advecta est; quæ ante ibi erat cor-

vo

vo rarior albo, nigroque ſimillima cygno. Adeo ut nunc voluminum quinque millia ibi enumerare non difficile fuerit, teſte cel. Golio *præf. Lex. Arab.* Quid 5000? Sola Bibliotheca illa Regis Maroccani, quam Nearcha Maſſilienſis in Hiſpaniam avexit, ſepties mille, & octingentis codicibus conſtat. Erpen. *Orat. II. p.* 64. quibus plurimos poſtea acceſſiſſe a cel. Golio ſe accepiſſe fatetur Hotting. *Anal. p.* 228. Præterea Laurentina in Eſcuriali Regis Hiſpaniarum jam anno 1583. MS. habuit codices 261, ut ex Catalogo a Ch. Ravio cum Alcorani ſpecimine edito, & ab Hottingero in *append. Bibl. Orient. p.* 332. conſtat. Quanta vero in Hiſpania translata olim fuerint Arabum volumina, ex ſtatuto illo, quod circa eadem fecit Franciſcus Ximenius, Archiepiſcopus Toleranus, cognoſcere licebit, idque ex lib. 2. Alvari Gomeſii, de illius Cardinalis rebus geſtis. nimirum is, *cum Mahometanæ perfidiæ extirpandæ in regno Granatenſi aliisque Hiſpaniæ locis intentus eſſet, in id quoque diligenter incubuit, ut libri, quibus ſuperſtitio illa tradebatur, abolerentur. Alfaquinis ergo, (ſic Mauri ſacrorum Antiſtites nominant) ad omnia obſequia eo tempore exhibenda promtis, Alchoranos, id eſt, ſuæ ſuperſtitionis graviſſimos libros, & omnes, cujuscunque*

autoris & generis essent, Mahametanæ impietatis Codices, facile sine edicto, aut vi, ut in publicum adducerentur, imperavit. Quinque millia voluminum sunt ferme congesta, quæ variis umbilicis, Punica arte & opera distincta, auro etiam & argento exornata, non oculos modo, sed animos quoque spectantium rapiebant. Multi eis se donari à Ximenio petierunt, sed nemini quicquam concessum est: ignibus omnia, publica in pyra, ad unum exusta, præterquam aliquot ad rem medicam pertinentia, cujus gens illa non sine magno profectu studiosissima semper fuit, quæ propter saluberrimæ artis dignitatem, ex incendio illo liberata, in Bibliotheca Complutensi nunc servantur.

§. 13.

Rem autem aliter, & nisi fallor, majore fide, narrat, qui vitam ejusdem Cardinalis Hispanico idiomate complexus est, Eugenius de Robles in libro, *Compendio de la Vida y hacanas del Cardenal D. Fray Francisco Ximenez de Cisneros y del oficio y Missa Muzarabe, ympreso en Toledo per Pedro Rodrigez anno de* 1504. quem inter cimelia & insignem rarissimorum librorum multitudinem, ad historiam, linguas & rei Antiquariæ studium ac commodum spectantia, in patriam nostram nuper advexit dili-

gens

gens ac curiosus ille multorum Regnorum Scrutator, idemque varia ac multiplici doctrina excultum pectus habens, JOH. GABR. SPARWENFELDT, vir Nobilissimus, quem Charites amant, de omnibus bonis & universa re literaria bene meritus; Ximenium scilicet præter alia summæ pietatis specimina, etiam Maurorum, qui ejus tempore Granatæ degebant, convertendorum consilium cepisse, & magnas illi instituto impensas destinasse. Inter alios autem Mauros fuisse quendam nomine Abenamar Ilmado Zegri, illustri sanguine ortum; quem Leo, Capellanus Archiepiscopi, vinculis primo & carcere ad Christiana sacra adigere conatus; mox vero summis beneficiis ad se adductum eo adegerit Ximenius, ut baptizari & Christianum fieri, novoque nomine Gonzales Ferdinandus Zegri, adpellari non recusaverit. Hic inter alias res præclaras, ob s. fidem Catholicam pio (ut scribit Eugenius) zelo susceptas, etiam libros ad Muhammedanam religionem spectantes publice cremavit, ut simul, si fas esset, Saracenici nominis memoriam omnem aboleret, servatis tantum iis Bibliothecæ Alcalensi, qui ad Medicinam pertinere videbantur. Rem totam ex ipsius Autoris verbis, quæ adponere lubet clarius percipiemus; *Des pues desto el Arcobispo, aficionado*

nado de su buen natural, le recibio en su cása, aisignandole partido conforme à la Calidad de su persona, y con el exemplo de tan santo Prelado à quien servia, fue un Christianissimo cavallero, y hizo notables cosas, manifestando en ellas el valor de su persona, y monstrando juntamente ser muy zeloso del aumento de nuestra santa fé Catholica. Entre otras fue, juntar todos quam tos Alcoranes de Maboma pudo auer alas manos, y otros muchos libros tocantes à su secta, que passaron de un cuento y cinco mil volumines, y quemarlos publicamente, sin reservar muchas iluminaciones, y en quadernaciones costosas, que pudieran servir para otros libros, con manezuelas, chapas, registros de oro y plata: diziendo que su animo era borrar, si pudiesse, la memoria de que tan pestilenciales libros huniesse temdo z estimado su tierra: guardando su lamente algunos que tratauan del arte de la medicina: de los quales escogio los mas necessarios, y los embio à la libreria del Colegio mayor de Alcala, embiando juntamente à la yglesia de san Illefonso del mesmo Colegio (fundacion del Arcobispo su semor) muchas trompetas y anafiles morisços, que oy dia se ven en ella, en memoria de los bechos de nuestro prelado, y del Christianissimo pecho deste noble Cavallero.

§. 14.

§. 14.

Taceo instructissimas Bibliothecas alias, ut Viennensem; *cujus Catalogum nuper edidit Daniel de Nessel Bibl. Cæsareæ Bibliothecarius.* Lugdunensem, quam libris Arabicis MS. XL. Illustris Jos. Scaliger (vid. *Meursius in Athenis Batav. lib. I. c.* 13.) Golius vero ultra CCL. ex oriente allatis ditavit, ut e Catalogo liquet. Oxonienſem quoque prætereo, quæ antehac legato Gulielmi Laud, Cancellarii ejusd. Academiæ, mox magni Seldeni musæo, nuper vero e libris Pocockianis insigne cepit incrementum. Bibliothecam item Bavariæ Ducis, ubi libri Arabici Gul. Postelli asservantur. (*Postell. in præf. Compend. Cosmogr.*) Parisiensem, quam ope ejusd. Postelli plurimis Arabum monumentis instruxit Rex Franciscus. Quotannis vero cura virorum insignium, qui ad coëmendos libros in Orientem ablegantur, magnis Sapientissimi Regis impensis augetur. Ambrosianam, quæ Mediolani est, de qua *vid. præf. Thes. Arab. Antonii Giggeji.* Cantabrigienses, tam publicam, quæ possidet libros Orientales Thomæ Erpenii, quorum Catalog. vide apud Hotting. *append. ad Bibl. Orient. p.* 24. quibus illa pridem donata est a Georgio, duce Buckinghamiæ

harniæ, ejusdem Cancellario; (vid. Vossii *opus Epistolicum à Colomesio editum Epist.* 4.) quam Collegii Trinitatis Bibliothecam, cæterasque. Taceo quoque Bibliothecam Augustam in arce Wolfenbutelensi, de qua ex professo scripsit Conringius, quem consulas. Monachiensem item, de qua Swertius *in Athenis Belg. p.* 50. nec non Palatinam s. Heidelbergensem, quæ initio hujus seculi in Vaticanam dicitur translata. Taceo libros quoque omnes, quos Clarissimorum Virorum privati passim foruli custodiunt; quorum non paucos indicat Chr. Ravius Pan. I. p. 34. *Ducentos habet Dn. Golius. Elichmannus ultra septuaginta habuit. Ludovicus de Dieu itidem aliquot. Illud Mercatorum decus, & studiorum ille fautor Orientalium, Dn. Ansloo, plures habet codices, & per præstantissimum illum juvenem Germanum Dn. Gentium ultra ducentos & ipse comportabit. Ut taceam quid penes Adrianum Junium, Ultrajectinum, Amstelodamensis Gymnasii Rectorem clariss. est Mscriptorum. Ut taceam quid in aliis est Regnis, scio me non mentiri, si decem millia voluminum Mscriptorum extare confidenter dixero.* & p. 32. *Ipse attuli trecenta Mss. Arabica, Persica, Turcica, Hebraica, Græca, Armen. Russica.* Vid. ejusd. Spolium Orientis *edit. Kiloni* 1669. & Erpen. *de ling. Arab.*

Arab. Orat. II. p. 86. Libros Bibliothecæ Arab. Joh. Baptiſtæ Raymundi enumerat Hotting. *App. Bibl. Or.* 31. Cum itaque hoc primum tempore in Europam migraverit librorum Arabicorum ditior ſupellex; factum quoque eſt, ut noſtri ſeculi hominibus Grammaticarum, Lexicorum, aliorumque id genus ſubſidiorum conficiendorum labor ſimul & inde redundans utilitas contigerit, quam ſuperiora ſecula, ob defectum idoneorum autorum, unde regulæ Grammatices petendæ exſtruendæque erant, ſperare non poterant.

§. 15.

Primus a. inter Europæos, qui in hiſce aliquid præſtitit, erat Guilielmus Poſtellus, Normandia Gallus, qui A. 1538. Grammaticæ Arabicæ rudimenta Pariſiis vulgavit, quam ex vulgaribus Arabum Magiſtrorum præceptionibus collectam eſſe monet Joſephus Scaliger *in Opuſc. p.* 461. Qui quoque Poſtellum Arabicæ linguæ, non adeo quantum videri volebat, peritum fuiſſe ſcribit, quippe qui primum caput Alcorani præter tria aut quatuor verba infeliciter reddiderit. Eodem tempore in Belgio & quidem Leidæ floruit Franciſcus Raphelengius, qui & ipſe tabulas in Grammaticam concinnaverat, ſed quas edi noluit vir minime ambitioſus, ne

Po-

Poſtello gloriam præripere voluiſſe videretur. *Meurs. in Ath. Bat.* Conſcripſit autem ille primus Lexicon Arabicum, non quidem perfectum, ſatis tamen copioſum, adjutus librorum ſubſidiis, quæ ipſi Poſtellus, Maſius, & Scaliger, Viri Arabicæ linguæ gnariſſimi, lubenti ac benevola manu ſubminiſtrarunt, illique deſcribendo vix ultimam manum impoſuerat, cum mors illum occuparet xx. Julii A. Ch. cIↃIↃxcvII. Lexicon illud quindecim ab obitu ipſius annis, id eſt, A. 1613. publici juris factum eſt Leidæ. Sicque ille omnium primus fuit, qui

Cum pátriis Batávis Arabás confudit & Indos.

§. 16.

Raphelengio mortuo Arabicæ Linguæ profeſſionem in Academia Lugduno-Batava ſuſcepit Franciſcus Junius, qui acta Apoſtolorum & Epiſtolas Pauli ad Corinthios ex Arabico tranſtulit. *Leid.* 1578. 8. ſed cum illi Theologiæ, quam præterea ſuſtinuit, profeſſio ſatis negotii faceſſeret, linguæ Arabicæ Profeſſionem in Guilielmum Coddæum derivari facile patiebatur die VIII. ſept. A. cIↃ. IↃxL. Is Coddæus ſcripſit Catalogum librorum omnium Arabico-

bicorum, Chald. Syr. & Hebr. qui aut allegati, aut tam editi, quam inediti eo tempore extarent, teste Joh. Meursio in *Athenis Batavis*. Floruit eodem tempore Nicolaus Clenardus, Batavus, qui cum esset Arabicæ linguæ discendæ avidissimus, & videret, *qu' il n'y avoit personne au pais-bas* (verba sunt Is. Bullart en Academ. des sciences & des Arts liv. IV.) *capable de contenter sa curiosite, prit un psautier ecrit en cette langue, a l'aide du quel il acquit quelque connoissance de ces Characteres.* & mox: *Il resolut de traduire la bible en leur langue, pour les eclaires des lumieres de nostre religion.* De quo Muhammedanorum conversionem promovendi studio, sic etiam scribit ad Latomum præceptorem: *Nisi mihi librorum defuerit copia, stat sententia, fideliter Latinis dare, quicquid in superstitione positum est.*

§. 17.

Idem Clenardus adeo hujus linguæ suavitate afficiebatur, ut cum Principi Portugalliæ a studiis esset, & laute sustentaretur, ejus tamen perdiscendæ causa Africam trajiceret, & inter gentes ferociſſimas multa dura patiens per aliquam multos annos versari sustineret. Interea libros Arabicos coëmit quamplurimos, & cum sola Christiani cujusdam perfidia bonam voluntatem

tatem ejus impediret, inque discrimen eum adduceret, ejus evitandæ causa in Hispaniam se proripere coactus est, ubi non multo post Granatæ moritur Anno 1542. Reliquit autem Epistolas & Grammaticam Arabicam, locumque, ubi eadem hodie servetur, indicat Bullartus l. cit. his verbis: *Il en composa une grammaire, que l'on a trouvee ecrite de sa main chez le Docte Loüis Perez, Espagnol.*

§. 18.

Eluxit paulo post in Batavia Thomas Erpenius, qui cum ex Scalígeri suasu hisce Musis serio animum adplicuisset, peregre abiit, Viennæque inter Turcas & Arabes diutius commoratus est, & linguam Arabicam cum cæteris Orientalibus Linguis ex asse didicit. Anno hujus seculi XII. in patriam redux, maximo omnium adplausu Arabicæ linguæ Professor in Academia Lugdunensi creatus est. Quo facto, nihil antiquius habuit, quam subsidia adornare, quibus juventus subnixa, ad linguæ illius adyta faciliore, quam antea, calle perduceretur. Edidit igitur anno Professionis suæ secundo Grammaticam Arabicam V. libris explicatam *Leyd.* 1613. quam Amstelodami recudi fecit Ant. Deusingius A. 1636. Lugduni vero Jacobus Golius A. 1656.

A.

A. 1620. rudimenta linguæ Arabicæ edidit, item Grammaticam, dictam Giarumia cum versione. A. 1617. Onomasticon quoque elaboravit in Alcoranum, quod MS. laudat cel. Hotting. *Hist. Or. lib. I. c.* 1. Et cum deessent textus, in quibus se exercerent juventutis ingenia, Abi Ubeid proverbiorum centurias duas a se & Josepho Scaligero notis illustratas exhibuit A. 1614. quæ recusæ anno 1623. cum rudimentis L. Arabicæ in 8. secutæ sunt A. 1615. Fabulæ Locmanni, quibus alia proverbiorum centuria addita. *Lugd. in* 8. & *Amst.* 1636. cum ejusdem Grammatica. Accessit his A. 1616 N. Testamentum Arabice, & A. 1617 Historia Josephi ex Alcorano, cum triplici versione Latina. A. 1621. Orationes II. de dignitate L. Hebr. & Arabicæ. A. 1622. Pentateuchus Mosis Arabice, & 1625. Elmacini, scriptoris Arabis celeberrimi, Historia Saracenica, cum versione in fol. & in 4. cum versione seorsim excusa; seorsim item suo cum textu in 8. A. 1629. post mortem ejus prodiit versio & notæ ad Paraphrasin Arabicam in Evangel. Johannis, *Rostoch.* Multa quoque alia Heros ille meditabatur, ut Alcoranum Arabice cum refutatione solida edendum; Novum Testamentum ex translatione Vulgata, & versionibus Syriaca, Arabica,

Æthiopica & Armenica, cui operi nomen dare decreverat Tabernaculum Christi. (*Swertius in Ath. Belg.*) Thesaurum Grammaticum; Historiam linguæ Arabicæ, Lexicon Arabicum; & Geographiam Arabicam Abulfedæ. Mortuus autem est peste *Lugd. Bat. A.* 1624. eumque pro funere laudavit Gerh. Joh. Vossius, Oratione, quæ typis edita est Lugd. 1625. & inter memorias Eruditorum a Viro Doctiss. & diligentissimo Henningo Witte Rigæ collectas. Manes item Erpenianos vulgavit P. Scriverius cum variorum Doctorum Virorum Epicediis.

§. 19.

Hoc Semone defuncto non defuere in Belgio alii, qui tam præclaro exemplo incitati, pari studio Arabicam Linguam excolerent. Inter præcipuos vero celebrandus Jacobus Golius, de cujus Orientali itinere, quædam, quæ adferantur, non indigna habet Vossius in Epist. ad Joh. Meursium, quæ in magno Opere Epistolico a Colomesio edito est quinquagesima prima. *Golius Arabice docet, sed popposcit à Curatoribus ut sibi potestas daretur cum Wetsio, designato consule Aleppensi, in Syriam suis sumtibus proficiscendi atque impetravit, post trimestre aut circiter se itineri accinget.*

Quæ-

Quæres, quis Deus hanc illi mentem inſpirarit? Nempe non alio compellitur, quam quod multa adeo in Arabica lingua ſuperſint, quæ nec illi nec cuiquam in orbe Chriſtiano cognita ſint. Quæcunque Arabica Lexica ſuppetunt mutila videntur. Quid dico, videntur? Imo ſi de iis quidem loquamur, quæ ſcripta ſunt ab hominibus Chriſtianis, deſunt verba pæne infinita. Ita qui interpretari quid velit, ſæpe ad fallaces conjecturas recurrere cogatur. Ea autem quæ lingua ſua Arabes condiderunt; multo quidem ſunt perfectiora, ſed quia gentis ſuæ hominibus ſcripſere, ita breviter ſuccincteque cuncta interpretantur, ut à Chriſtianis hominibus non intelligantur. Præſertim ubi ritus Arabum attinguntur noſtris ignoti, aut ubi ad Poëtarum Arabum loca alluditur, quos iidem ſæpe ne per tranſennam quidem videre. Sperat igitur Golius noſter; ſi annum unum Damaſci, & vicinis locis, cum Doctiſſimis Arabum atque aliarum Aſiæ gentium colloquio familiarius detur, poſſe ſe plus uno proficere die, quam vicenis, ſi ſuo omnia labore hic ruſpetur. Certe juvenis eſt præclarus, magnumque aliquando virum dabit, ſi Deus ei valetudinem & vitam, quod ex animo voveo, cum Batavia tum præcipue ſtudiorum cauſa. Multa enim ex Arabum monumentis erui poſſunt, quæ a noſtris ſciuntur, juxta ac ab ignariſſi-

rissimis. Neque fefellit Vossium tam felix præsagium. Etenim Golius insigni librorum Arabicorum copia ditatus, (ut literæ ejusdem ad Vossium ex Oriente missæ indicant) ab itinere cum reverteretur, haud secus a Doctis expetitus est cultusque, quam olim a procis suis Atalanta aut Hippodameja. Redux autem Arabicæ linguæ & Matheseos professionem capessivit, immortaleque nomini suo monimentum condidit Lexico Arabico confecto, quod Lugd. Bat. prodiit A. 1653. editaque Arabsiadæ Historia Timuri anno 1636. & proverbiis Arabicis Imperatoris Alis, 1629. Erpenii Grammatica revisa, in multisque correcta & locupletata Historiis elegantissimis scriptoris Arabis AlHaririi Basrensis, item Eliæ III. Patriarchæ Antiocheni explicatione festi nativitatis; Surata LXI. Alcorani cum commentariis Gelallodini interpretis celeberrimi, aliquot proverbiorum centuriis, aliisque, ut merito propterea novum opus haberi possit; versa in linguam Arabicam Catechesi & Confessione Belgica (*Hotting. Thes. Phil. p.* 62.) Alfergano in lingua sua nativa i. e. Arabica exhibito, cum versione & doctissimis commentariis Lugd. 1669. sed quæ per mortem ipsius non potuisse absolvi dolet orbis eruditus; edito Catalogo librorum, quos ex Oriente in Bibliothecam

cum Leidenſem tranſpoſuerat, Pariſ. 1630. & cum titulis Arabice expreſſis Lugd. 1640.

§. 20.

Floruere & alii in Belgio harum literarum licet non profeſſores, callentiſſimi tamen, ut Joh. Elichmannus, Sileſius, Med. Doctor, qui quantum in hiſce ſtudiis valuerit, vel Pythagoræ carmina aurea, Arabica paraphraſi ab illo donata, & una cum Cebete Arabico cum Salmaſii præfatione edita Lugd. 1640. planum fecerint; item Epiſtola Arabica ad Cl. D. Joh. Zecchendorfium de uſu Linguæ Arabicæ in Medicina Jenæ A. 1636. impreſſa. Sed & eundem ex fragmento epiſtolæ de vitæ termino ad Joh. Beverovicium datæ, tanquam ex ungue leonem poteris cognoſcere. Ludovicus de Dieu Epiſtolam, quæ fingitur, Dni noſtri J. Chriſti ad Abgarum Arabice verſam dedit in animadv. ad Xavier. Hiſt. Chriſti pag. 611. Antonius Deuſingius Medic. & Mathem. Profeſſor Acad. Gröning. edidit Canticum Avicennæ de Medicina. ſ. Inſtitutionum Medicarum compendium. Item Selecta Medica Joh. Meſuæ Damaſceni. Erpenii Grammaticam Arab. cum Apologis Locmanni, & adagiorum Arabicorum centuria A. 1636. Vid. effig.

& Vitas Professorum Groningensium p. 214.

§. 21.

Anno superioris seculi LXXXIII. Literæ Arabicæ in Germania etiam superiore nasci cœperunt. Cum Ruthgerus Spey Bopardianus, Ecclesiæ Schonavienſis pastor Epistolam pauli ad Galatas, & 6 primaria capita Christianæ religionis Arabice translata, Heidelbergæ publicavit, iisque Grammaticæ Arabicæ compendium subjunxit. Non ita multo post efloruit ibidem Valentinus Schindlerus, qui Lexicon Pentaglotton scripsit ediditque A. 1592. sed vocabulis Arabicis Hebraico Charactere expressis, quod suis quibusque literis aliquando edendum promisit Thomas Erpenius, sed immatura morte præventus hunc laborem suscipere non potuit. Johannes Fabricius, Dantiscanus, Specimen Arabicum, i. e. tria scripta Arabica elegantissima, cum notis Grammaticalibus & Coronide de Poësi Arabum, edidit Rost. 1638. Sed versio Carminis Abul Olæ verum autorem agnoscit J. Golium, uti ipse Golius nos docet in præf. Gram. Erpenianæ a se editæ, & Thomas Hyde in Catalogo Bibliothecæ. Bod. Edidit quoque Versionem testamenti, l. pacti potius, Muhammeme-

medis. Petrus Kirſtenius, Medicinæ Doctor, præter Grammaticam in tres partes diviſam Vratisl. 1609. quatuor Evangeliſtarum Vitas ib. Notas in Mathæum Arabicum ib. 1610. Obſervationes in Epiſtolam Judæ ib. Librum II. Canonis Avicennæ, cum Doctiſſimis commentariis ib. 1609. Decadem ſacram Canticorum & Carminum Arabicorum Lipſ. 1610. Orationis Dominicæ ſpecimen, item Pſalmi LI *mi* & Suratæ I. Alcorani, juxta ſex exemplaria Arabica MS. Breslæ 1608. proprio Typographeo edidit. Tubingenſem Academiam illuſtravit Wilhelmus Schickardus opere illo hiſtorico, quod Tarich Regum Perſiæ inſcribitur, quod e ſcriptore Arabico Latine liberiore paraphraſi tranſtulit Tub. 1648. Abulfedæ præterea Geographiam vertit, & Grammaticam Arab. ſcripſit, quæ tamen adhuc ἀνέκδοτα ſunt. Johannes Henricus Hottingerus, Tigurinus, Confeſſionem Helveticam Arabice vertit, (ipſe *Bibl. Or. p.* 93. *& in Epiſt. ad Chriſt. Ravium, quæ extat in Ravii Spec. Alc.*) Lexicon Harmonicum reliquit & alia non pauca ad philologiam Arabicam ſpectantia. Is cum Tiguro Leidam trajiceret, fracta navi in undis miſere periit. *Heideggerus in vita Hotting.* Andreas Sennertus Grammaticam Arabicam edidit *Vitteb.* 1666.

Mathias Wasmuth, Holsatus, Grammaticam Arabicam cum præfixa paræneſi Arabicæ linguæ edidit *Lugd.* 1654. Floret hodieque Nob. Jobus Ludolfus, Arabicæ non minus ac Æthiopicæ cæterarumque Orientalium linguarum peritiſſimus. Mathias Fridericus Becchius, qui non ita pridem duas Alcorani Suratas edidit. Abrahamus Hinckelmannus, qui A. 1690. Teſtamentum Muhammedis, de cujus γνησιοτητι haud immerito dubitant eruditorum nonnulli, Arabice & Latine edidit; nunc autem immortalem ſibi famam parat editione Alcorani Arabici, cum Lexico Alcoranico, poſt quod expectare nos jubet Thomæ a Kempis de imitatione Chriſti libros IV. ex Latina lingua in Arabicam elegantiſſime traductos per Fr. Cæleſtinum a S. Liduina Carmelitam diſcalceatum, qui A. 1663. in 8. Romæ prodiere, ex officina Typographica S. Congregationis a prop. fide. Jenæ claret Joh. Danzius, & Breslæ And. Acoluthus, qui & ipſi Alcoranum hoc tempore edere dicuntur. A Germanis ad Italos convertimur.

§. 22.

Inter Italos primos Arabicæ linguæ peritia celebratur Auguſtinus Nebienſis, qui Pſalterium Davidis Arabice edidit initio

ſec.

sec. superioris. Franciscus Martelottus Arab. L. Profess. Romanus, Gramm. reliquit. Philippus Guadagnolus institutiones Arabicas contexuit Romæ editas 1642. item Apologiam pro Christiana religione, quæ Romæ Latine prodiit A. 1631. Arabice vero 1637. Dominicus Germanus de Silesia Fabricam linguæ Arabicæ adornavit, adjecta Latina & Italica interpretatione Rom. 1639. item Dittinario overo Grammatica della lingua volgare Arabica & Italiana Rom. 1636. Thomas a Novaria, Thesaurum Arabico-Syro-Latinum edidit Romæ 1636. & Isagogem in scientiam Logices, & Theses S. Fidei Arab. Lat. Rom. 1625. Antonius Giggejus, Professor Mediolanensis, Thesaurum L. Arabicæ quatuor spissis voluminibus comprehensum edidit Mediol. e typographia Coll. Ambr. A. 1632. Athanasius Kircherus Lexicon Copto-Arabicum emisit Rom. 1644. qui & plurima Arabica Oedipo Ægyptiaco, cæterisque suis operibus insperfit. Ludovicus Marraccius e Congregatione Cleric. Regularium Matris Dei, Innocentii XI. P. M. olim Confessionarius, hodiernus Arabicæ L. professor Romanus, Prodromum Refut. Alcorani edidit Romæ 1691. & Patavii nunc cum ejusdem refutatione excudi dicitur Alcoranus.

§. 23.

Haud parum in Italia & Gallia literas Arabicas promoverunt Maronitæ; illis enim cum lingua Arabica vernacula ſit, teſte in Epiſt. ad Nob. Ludolfum conſule Aleppenſi, non mirum quoque, ſi ejus linguæ peritiſſimi ſint. Inter eos autem de hiſce ſtudiis plurimum meriti ſunt Abrahamus Ecchellenſis, qui Pariſ. 1641. cum verſione edidit Anonymi ſcriptoris Arabis, librum, ſub tit. *Munus Regium*, qui res varias, utpote Phyſicas, Metaphyſicas, Logicas, Aſtrologicas, & Theologicas pertractat. Vertit quoque ex Arab. in Lat. ſermonem V. VI. & VII. libros Conicorum Apollonii Pergæi, qui Florent. prodiere An. 1661. de quo videatur Fauſtus Naironus, Maronita, in *præf. Diſſert. de Maronitis edit. Rom.* 1679. Gabriel Sionita & Joh. Hesronita, Maronitæ e Monte Libano, Geographiam Ebn. Edriſi ex Arabico verterunt. Pariſ. 1619. Grammaticam quoque Arabicam conſcripſerunt, cujus I. liber Romæ prodiit. Gabriel Sionita præterea Teſtamentum Muhammedis (pactum ſecuritatis vertendum monet Salmaſius in Epiſt. ad Hug. Grotium) ed. Pariſ. 1630. Et Paraphraſin Arabicam Bibliorum in Latinum convertit. Pſalterium

Ara-

Arabicum ed. Rom. 1619. Petrus Metoscita, Cyprius, Maronita e Libano, Arabicæ L. Pr. Romanus reliquit institutiones L. Arabicæ, obiitque A. 1625. Victorius Scialac, Accurensis Collegii Maronitarum Ravennæ fundator, R. Bellarmini Cathechismum Arabice vertit Rom. 1613. Item Liturgiam Basilii Magni, Gregorii Theologi, & Cyrilli Alexandrini Aug. Vind. 1604. & Psalmos una cum Gabriele Sionita Rom. 1619. 4. Johannes Leopardus Hesronita, alius a superiore, conscripsit Arabice tractatum, cujus tit. *Vindemia Sacramentorum*, teste Fausto Nairono de Maronitis p. 122. Michael Hesronita; a quo prodiit Arabice descripta Calendarii emendatio. Antonius Banesius Archipresb. nonnulla poëmata de Historiis sui temporis Arabice compilavit.

§. 24.

In Gallia Arabicam linguam excolere cœpit Guilielmus Postellus, de quo paulo ante. Jos. item Scaliger, qui præter alia linguæ Arabicæ institutiones; & Arabicæ linguæ Thesaurum, supra 30. millia vocum continentem reliquisse dicitur. Conf. Colomesii *Galliam Orient. p.* 116. Stephanus Hubertus, Ar. Ling. Prof. item Isacus Casaubonus & Claudius Salmasius, quorum

rum opera hinc inde veſtigia non pauca excultæ diligentius hujus literaturæ oſtendunt. Joh. Baptiſta Wallius Lexicon Arabicum Pſalteriale ed. *Pariſ.* 1632, D. Vattierius Hiſtoriam Tamerlanis Gallice vertit. Pariſ. 1658. cujus & verſionem Latinam promiſit. Item Murtadii Fil. Gaphiphi Hiſtoriam de Pyramidibus & Admirandis Ægypti *Pariſ.* 1666. nec non Elmacini Hiſtoriam Muſulmannorum Pariſ. 1657. & totum Avicennam Latine. Gilbertus Gaulminus Georgii Syni Chronicon Arabicum, cum Catalogo Codicum ſuorum Arabicorum adornare ſe ait in *Epiſt. ad Ravium.* De Jacobo Guijonio vid. P. Colomeſii *Galliam Orient. p.* 268. Samuel Bochartus animalia Biblica, quæ antea in incerto erant, ex Arabibus feliciſſime illuſtravit, ſtupendo Hierozoici opere, quod Londini primo prodiit; deinde in Germania; nuperrime vero Lugd. Batavorum, cum reliquis operibus, cura & ſtudio Joh. Leuſden, & P. de Villemandy. Progredimur ad Anglos.

§. 25.

Inter hos Wilhelmus Bedwellus S. Johannis Epiſtolas Catholicas Arab. Lat. edidit 1612. Idem in Anglicum vertit Dialogum inter Sinan & Ahmed de religione, ha-

habitum in reditu a peregrinatione Meccana, qui & Arabice in 8. extat. Joh. Gravius Tabulas Geographicas Nasireddini & Ulughbeighi publicavit Lond. 1652. Epochas celebriores Ulughbeighi. *Lond.* 1650. Abulfedæ Principis Hamæ descriptionem Mawaralnahræ *Lond.* 1650. Anonymum Arabem de Siglis Persarum & Arabum Astronomicis *Lond.* Abulfedæ Canones Geographicos promisit in præfat. ad tab. Nasiredd. Joh. Seldenus Saidi Ebn Batrik. s. Eutychii, Patriarchæ Alexandrini, Ecclesiæ Alex. Origines Arabice cum versione & commentario edidit *Lond.* 1642. Edwardus Pocockius, cum in Oriente adhuc versaretur, Hugonis Grotii libros de Veritate Religionis Christianæ in Arabicum idioma trasfudit, teste cel. Hotting. *Hist. Eccl. sec.* 8. *p.* 515. & *Bibl. Or. p.* 93. qui postea editi *Oxon.* 1660. in 8. Specimen Historiæ Arabum ex Abulfaragio cum notis *Ox.* 1650. Gregorii Abulfaragii Historiam Universalem Arabice & Latine *Oxon.* 1663. Eutychii, Patriarchæ Alexandrini, Annales Arabicos cum vers. Lat. *Ox.* 1658. Portam Mosis, id est, Dissertationes Maimonidis Arabicas in Mischnajot, eisque subjunctas notas Miscellaneas *Oxon.* 1655. Epistolas Canonicas cum notis. Variantes Lectiones Pentateuchi Arabici in opere Polyglot-

glotto' Anglicano. Edwardus Pocockius, Filius, cum versionè edidit Epistolam Abi Jaafar Ebn Tophail *Ox.* 1671. Brianus Waltonus in Bibliis Polyglottis paraphrasin Bibliorum Arabicam edidit *Lond.* Edmundus Castellus Lexicon Heptaglotton ad Biblia Polyglotta intelligenda elucubravit ad usus oculorum jacturam usque, *Londin.* Thomas Hyde, Bibliothecarius Academiæ Oxoniensis, Tabulas longitudinum & latitudinum stellarum fixarum Ulughbeighi. *Oxon.* 4. 1665. Oxonii Professionem Arabicam suis sumtibus instituit Guilielmus Laud, Archiepiscopus Cantuariensis; Cantabrigiæ vero Thomas Adam, Eques Auratus. Satis igitur in Anglia Literarum Arabicarum promotioni hodie prospectum est. Inde in Patriam nostram trajiciemus.

§. 26.

Et huc quidem Musas Arabicas ante annos plusculos invitavit Christina, Regina, quæ Arabicæ Linguæ professorem cæteris addidit. Sed tamen nullus adhuc fuit, quin cum Arabica pariter reliquarum Ling. Orientalium Professionem sustinuerit. Ita sane B. M. Sveno Westro Gothus, qui Catechesin minorem s. summa doctrinæ Christianæ capita Syriace & Latine, cum præceptis Syriacis edidit *Upsal.* 1627. item in-

inſtitut. Hebraicas. 1637. Joh. Laurbergius, qui juvenis adhuc carmen gratulatorium Syriace ſcripſit D. Olao Laurelio cum Syntagma Theologicum ederet An. 1641. Chriſtianus Ravius, Berlinas, longe plurima in his oris ad Orientalium ſtudiorum, præſertim vero Arabicæ, de qua nunc agimus, linguæ uſus conſcripſit atque perfecit, ſed propter impedimenta alia hic pauca publicavit, inter quæ Diſſertatio Academica de Dudaim Rubenis 1655. 8. & Verſio nova in Capp. priora Geneſeos memoranda veniunt. Johannes Petri Buſchagrius A. 1651. ante abitum ad exteros emiſit Diſp. Acad. de Maſora totam Hebræo ſtylo conſignatam. Anno autem 1655. aliam de Uſu Linguarum Orientalium in Theologia. Sub itinere ſuo adverſaria ex variis codicis Syriaci editionibus collegit; de quibus ita celeb. Hottingerus in ſcripta ad Buſchagrium epiſtola Heidelb. 1659. *Adverſaria ex codice Syriaco Altorfii magno cum deſiderio expecto. Habeo ſub prelo diſputationes ordinarias, de verſionibus in linguas vernaculas, quibus hæc mantiſſa lucem adferet. Fac igitur rogo, primum atque licuerit, notarum illarum copia mihi fiat.* Harum ſibi copiam factam, in diſſertat. de translat. in Linguas Vernaculas pag. 178. idem vir celeberrimus grato commemorat animo.

Poſt

Poſt reditum in patriam, quamvis adverſa valetudine fere ſemper uſus fuerit, a lucubrando tamen haud deſtitiſſe arguunt docta illius & magni laboris ſcripta, quæ inedita adhuc penes hæredes ſervantur; ut ſunt; Theologia Talmudica, cui ipſemet ſupremam manum impoſuit, item duo tractatus quorum primo explicat Præceptum Chriſti Matth. 22. *Date Deo, quæ Dei ſunt*, ubi de formulis precandi veterum Judæorum multa afferuntur; altero, *date Regi, quæ Regis ſunt*, ubi haud minus docta atque egregia fuſe inculcantur. Uno Johannis Terſerus ob mortem præmaturam nihil præter diſſertationem de Teraphim dare potuit; ſic quoque qui ei in munere ſucceſſit D. Andreas Grubbius. viri nihilominus in literis Orientalibus verſatiſſimi. Ex hiſce patet, ante hæc tempora Linguam quidem Sanctam, cum Chaldæa & Syriaca egregie hic cultas atque promotas; Arabicam a. neglectam fere & inſuper habitam fuiſſe. Noſtræ vero ætatis major eſt felicitas; quam piæ ſedulæque poſteritati celebrandam relinquimus. Præter hoſce ordinarios apud Upſalienſes Linguarum Orientalium Profeſſores, ut olim non defuere, ita nec hodie deſunt, qui Sacra nobis oracula ex ipſis fontibus explicare ſciant. Quorum πολυ-

γλωτ-

γλωσσια cum nemini non nota sit, & eam hic laudare supersedebo.

§. 27.

Antequam huic capiti λοιπον, quod dicitur, χειρα imponamus, de Typographia Arabica quædam addere placet. Illa inter Europæos hoc tempore satis dextre exercetur. *Hodie* (ait cel. Hottingerus Bibl. Quadrip. p. 5.) *non occidentalium tantum, sed & Orientalium Characterum omnium typos in Europa adeo habemus politos, & affabre compositos, ut nihil ad summum perfectionis apicem desiderare videamur.* Cœpit a. Typographia Arabica superioris seculi initio. Gerhardum enim Vossium, virum doctissimum, deceptum esse, haud dubitamus, cum de typographia Vaticana ita scriberet de Sci. Math. p. 69. *Ab An. Chr.* 1585. *usque ad An.* 1590. *Romæ sedit Sixtus V. Qui pontifex bene est de studiis meritus, cum aliis nominibus, tum etiam prelo Arabico, quod antea in Europa erat nullum. Id institutum Romæ A,* 1589. *atque hoc loco a nobis memoratur, quia primum eo prelo prodierit Arabice Euclides, uti & Avicenna & quatuor Evangelistæ, & alia.* Constat sane non pauca Arabica ante id tempus typis excusa esse. Miror decantatum illud Psalterium Nebiense, quod

ab editore Auguſtino Juſtiniano, Epiſcopo Nebienſe, ſic adpellatur, tam curioſi diligentiam viri fugere potuiſſe. Id Genuæ excuſum a Petro Paullo Porro An. 1516. Atque hoc, niſi fallor, primum eorum, quæ Arabice edita. Nam ad calcem eſt: *Impreſſit miro ingenio Petrus Paulus Porrus.* Huic itaque Typographiæ Arabicæ primitus inſtitutæ gloria adſcribenda eſt. Præterea Alcoranus, cujus exempla omnia cremata diximus, Venetiis prodiit 1530. item libelli duo Aſtronomici, in 8. Papiæ A. 1539. excuſa eſt Theſei Ambroſii introductio in XIII linguas; ſed Arabici characteres manu adpicti ſunt. Lutetiæ Pariſ. Gul. Poſtelli introductio in XII linguas, & Gram. Arabica, aliaque A. 1538. Heidelbergæ Ruthgeri Spey Gram. Arab. A. 1583. Hi libri omnes & alii plures ante erectam a Sixto V. Typographiam Vaticanam impreſſi ſunt; typis licet rudioribus; neque enim artes eodem tempore perfectæ ſunt, ac inventæ. Ante Sixtum vero, fuit Gregorius XIII. qui volumina Orientalia bene multa imprimi in Urbe curavit, ſicuti in Vaticani palatio, de operibus Pontificis hujus ſequens docet inſcriptio: quam in Tractatu Italico Della libreria Vaticana pag. 324. inſeruit Mutius Panſa:

IMPRI-

IMPRIMENDI ARTEM HEBRAICIS,
GRAECIS, CHALDEIS, ARABICIS,
ARMENIS, ILLYRICIS
CHARACTERIBUS AB SE PRAECIPUE
INSTRUCTAM ITA PROMOVET,
UT JAM ORIENTIS, ET
ORPRESSAE A TURCIS, ET SCISMATICIS
EUROPAE POPULI, MISSIS
CATHECHISMIS PROPRIA AD PIETATEM
LINGUA INSTITUANTUR.

Hanc autem Typographiam, quæ in Belvedere primo constituta fuit, in Palatium Vaticanum postea collocavit Sixtus, unde sine dubio novam & ab ipso instauratam dixit Vossius. Nec multo aliter Angelus Roccha in append Biblioth. Vatican. p. 413. *Quare Sixtus V. ad præclara omnia & sane pia contendens, Typographiam Apostolicam Vaticanam magnificentissime instituit.* & post pauca: *Hinc nobilissimam Typographiam, rem quidem Pontifice, quin se ipso dignam, in Vaticano instituit Dominico Basa, Veneto Typographo, homine quidem navo & industrio ac sagaci, ad Typographiam erigendam & regendam electo, qui pro hujusmodi re præstanda, circiter quadraginta aureorum millia insumsit, nullo parcens incommodo, nullique impensæ. Hæc præterea Typographia Apostolica Vaticana, & elegantia*

ac varietate, ingentique characterum copia, Latinis ſc. Græcis, Hebraicis, Arabicis, & Servianis nec non chartarum pulcritudine ac bonitate, aliisque rebus imprimendi arti neceſſariis, cæteras typographias longe antecellit, Viris eruditiſſimis, ad exemplaria, quod caput eſt, recognoſcenda & illuſtranda ſelectis.

§. 28.

Fallitur & in eo Voſſius, quod dicat eo prelo prodiiſſe Arabice Euclidem, Avicennam, & quatuor Evangelia, nam illa omnia typis Mediceis excuſa ſunt. Unde etiam profecta Geographia Arabica, quæ a Maronitis Latino cœlo donata eſt Pariſiis. Evangelia autem illa duplici habitu prodiere, & cum verſione Latina interlineari, & ſine ea, ſed cum figuris & ſplendidis typis in folio. Inde etiam habemus profeſſionem fidei Chriſtianæ, Arab, in 4. item eandem Arab. & Latine. Alphabetum quoque Arabicum cum prolixo ſyllabario, & exercitatione Lectionis Joh. Baptiſtæ Raymundi 1592. in 4. Grammaticam Arabicam, dictam Cafia, magno & eleganti charactere in 4. Tractatum Grammaticum, dictum Giarumia in 4. Item alium dictum Taſrif cum verſ. Lat. & not. Joh. Baptiſtæ Raymundi, egregio charactere in 4. Regali, ut vocant. Colloquia Tria de reli-

gio

gionè Mahometica in 4. Sed de his libris, quæ typis Mediceis Romæ prodiere, diligenter obſervandum, quod erroribus typographicis ſcateant; præcipue Avicenna, in quo quosdam Iſacus Caſaubonus in notis ad Hiſt. Auguſtæ ſcriptores, & Samuel Bochartus in Hierozoico, longe autem plurimos Petrus Kirſtenius in notis ad Librum II. Canonis Avicennæ: ubi pag. 32. *nemo* inquit, *illi editioni injuriam faciet, qui longe plura* ὀφαλματα *Typographica ei ineſſe dixerit, quam lineas.* Et in præfatione: *Avicennæ exemplar Romæ impreſſum vitioſiſſimum.* Ex officina autem erecta auſpiciis Sixti v. & Gregorii XIII. Pontificum, & quidem literis Syriacis habemus precationes Chriſtianas Arabicas in 8. Liturgias Chriſtianas Syr. & Arabicas in 4. Miſſale Chriſtianum Arab. & Syrum in fol. Cathechismum Chriſtianum Arabicum in 4. aliaque.

§. 29.

Ex Officina Savariana Pſalmos Davidis cum vocalibus & verſ. Latina in 4. Catechismum Religionis Chriſtianæ Bellarmini Arab. Latin. in 8. Gabrielis Sionitæ Gram. Arabicam.

§. 30.

Ex Typographeo S. Congregationis nis de Propaganda fide apud Zachariam Dominicum Acſamiteka Kronenfeld Alphabetum Arabicum 1633. in folio aperto. Annales Arabicos Baronii, quorum pars I. & II. interprete Fr. Briętio, Rhedonenſe Capucino, prodiere 1653. in 4. Annalium ſacrorum Latino-Arabicorum Epitomen 1655. in 4. Grammaticam Arabicam Giarumiam adpellatam cum verſione Latina Tho. Obecini 1631. in 8. Theſaurum Arabico-Syro-Latinum, Interp. Thoma a Novaria 1636. 8. Fabricam L. Ar. cum interp. Itala, Aut. Fr. Dominico Germano de Sileſia 1639. fol. Fabrica Piccola della lingua Arabica Volgare e Italiana del Menedemo autore 1636. 4. Antitheſin fidei Arabicam 1638. 4. Dottrina Arabica Italiana 1642. 8. Thomæ a Kempis opera, de quibus ſupra. Brevem orthodoxæ fidei profeſſionem 1648. 8. quæ & A. 1630. in 4. excuſa extat. Dechiaratione della dottrina Chriſtiana piu copioſa del Bellarmino, tradotta in lingua Arabica da Gio. Heſronita, Archipresb. 1627. 8. Iſagogen ſ Introductorium Arabicum in ſcientiam Logices cum verſ. Lat. 1625. 4. Vid. Catalogum Librorum typis & impenſis S. Congregationis de Fid. propag. impreſſorum editum Romæ 1667.

§. 31.

§. 31.

Fuere quin etiam non pauci ex eruditis, qui privatas sibi officinas instauraverint, ut Franciscus Raphelengius, Leidæ, e cujus typ. præter alia prodiere Alphabetum Arabicum cum Psalmo LI. & explicatione interlin. in 4. Epistola ad Titum Arab. cum vocalibus & versione Lat. Joh. Antonidæ. Tres Epistolæ Johannis cum vers. Lat. Gul. Bedwelli in 4. Gram. Arab. Erpenii. in 4. Proverbiorum Arabicorum centuriæ 11. cum notis Scaligeri & Erpenii in 4. Lexicon Arabicum Raphelengii cum notis Erpenii in 4.

§. 32.

E Typographia, quam Leidæ instituerat Th. Erpenius, præter ipsius opera, prodiere Epistolæ Pauli ad Romanos & Galatas Ar. in 4. Heidelbergæ Joh. Henricus Hottingerus Typographiam, suis usibus obstetricaturam instruxit, Breslæ P. Kirstenius, & Viennæ Austriæ Fr. Meninski, & alii aliis locis. Hoc autem tempore in omnibus urbibus paulo majoris momenti, ubi artes & studia præcipue linguarum, vigent, Typographiæ Arabicæ erectæ sunt: ut Paravii, Mediolani, Tiguri, Oxonii, Londini, Lugduni, Amstelodami,

Ultrajecti, Francofurti, Lipſiæ, Hamburgi, Roſtochii, Haſniæ, Upſaliæ &c. Ubi vero typi Arabici non ſuppetunt, ſolent Arabica charactere Hebræo, ſed non æque feliciter exprimere, additis diſcriminis cauſa punctis & virgulis quibusdam, hoc modo:

אבתהּתּגּחכּרדּרזסשּשׂצּטּעּגּפּקכלמנוה

Ita Coſtantinopoli a Judæis excuſus eſt Pentareuchus Perſicus Tawuſii: ita Francofurti Lexicon Schindleri; ita duas Alcorani Suratas non ita pridem edidit Mathias Fridericus Becchius; Ita Maimonidis præfationes in Miſchnam Cel. Pocockius, ita Geographiam Sacram S. Bochartus, & multi alii, alia multa.

CA-

CAPUT SEXTUM

DE USU LINGUÆ ARABICÆ IN VARIIS DISCIPLINIS.

Utilis eſt Arabica Lingua (א) omnibus, qui veritatis ſtudio ducuntur. (ב) Theologis. (ג) Juris Conſultis. (ד) Medicis (ה) Philoſophiæ Studioſis, & imprimis Mathematicis, ob copiam ſcriptorum Mathematicorum in Arabica Lingua, & terminorum. (ו) Politicis. (ז) Philologis.

§. 1.

Quæres tandem, Benevole Lector, quo uſu, quave utilitate ſe commendet Lingua, cujus originem, incrementa ac laudes, tanto verborum adparatu explicare ſuſceperimus. Scies, & id quidem paucis. Utilis (1.) eſt omnibus, qui veritatis ſtudio ducuntur. *Hoc enim*, ait cl. Elichmannus in Epiſt. ad Beverovicium, *absque linguarum ſeu clavium uſu, inane plerumque antea ad nos redibat, & loco fidelis teſtimonii, vulgivagos rumores & perſonas ementitas coram noſtro judicio ſiſtebat.* Sic cel. Golius Arabicam linguam excoli diligentius cupit, *ut ita totius literati mundi concentus* (verba habentur in præf. Lex. Arab.) *ſuis numeris implevi poſſit atque ad occultas plurimas res*

adeundas, quas etiam Europæis perspectas esse conveniat, communique hominum societati conducat, nova & luculenta fax præferri. Aegidius Gutbirius præf. N. T. Syriaci, commodissimum scribit esse instrumentum, quo studia nostra cum Asiæ atque Africæ incolis feliciter communicare possimus.

§. 2.

(II.) Utilis & plane necessaria est Θεολογουμενων παισι. Andreas Sennertus in program. præfixo Gramm. Hebrææ. *Theologo adeo hæc lingua necessaria est, ut citius extra noxam alterutro oculo carere is possit, quam ut in re maximi sane momenti alienis oculis videre mavelit.* Ego, si quid censeam, ait cel. Pocockius not. Miscell. p. 12. *Theologo adeo utilem existimo, ut si textum Hebraicum aliquando penitius excutere necessarium ducat, ea sine manifesto veritatis præjudicio, ne dicam, dispendio, carere non possit.* conf. Hotting. *Anal.* & *Smegm. Orient. P. I.* D. Jord. Edenii *ad Hotting. Epist.* Pocockius in *notis Miscell. p.* 1. & *passim.* Utilis autem est ideo, quod (1.) restituat radices & significationes genuinas quamplurimis vocibus L. Hebrææ. *S. Lingua Veteris Testamenti libris comprehensa*, ait cl. Mart. Trostius præf. Lex. Syr. *absque hujus adminiculo multis in locis videtur esse obscura, ste-*

rilis

rilis ac imperfecta. *Hæc igitur vere est fax, quæ lucem isti præfert, & clavis qua occlusa istius aperiuntur, obscura illustrantur, difficiliora enodantur.* Exempla restitutarum ex Arabismo vocum & radicum Hebræarum, per centurias numerare licet apud Castellum in Lexico, Bochartum *in Hierozoico*, Hottingerum in *Thes. Phil. p.* 506. item *Anal. Hist. Theol. p.* 145. & 257. & *Smegm. Orient. cap.* 7. *a pag.* 116. *ad* 201. Pocockium *not. ad spec. Hist. Arab. p.* 92. & 233. & 390. & *Not. Miscell. p.* 34 & 39. & 67. Thom. Hyde *in Tab. Ulughb.* 23. Lud. de Dieu *in Act. Apost. cap.* 7. & *Math. c.* 9. Itaque Rabbini, quoties hæret calculus, ad hanc linguam confugiunt, tanquam ad sacram anchoram. Nesciebant illi, quid esset apud Esaiam XIV 23. ומאטאטיה, donec audirent famulam quandam Arabicam dicentem sociæ suæ שקולי מאטיתא ומאטי ביתא *accipe scopas & scopato domum.* Tract. Megilla *fol.* 18. citante Buxtorfio, *in Lexico Hebr.* & R. Kimchi *in præf. ad* ספר שרשים & *in rad.* מאטא. (2.) Quod explicet voces Arabicas textui originali, non Veteris modo Test. imprimis librorum Poëticorum & maxime Jobi, sed & Novi Test. inspersas. (3.) Quod Versiones Arabicæ Veteris & N. Testamenti loca obscura non nunquam felicius expo-

exponant, quam vaſta aliorum commentaria. (4.) Quod reliquis etiam Sacris linguis, ut Chaldaicæ & Syriacæ, plurimum lucis inferat Arabica. (5.) Quod ritus quosdam orientalium populorum in Sanctis ſcripturis memoratorum illuſtret. exempla dedit Hotting. *in Hiſt. Or. L. I. 8. p.* 197. Pocock. *ſpec. Hiſt. Ar. p.* 329. (6) Quod ad impia Muhammedis dogmata percipienda ac refutanda conferat. (7.) Quod ſit inſtrumentum ac veluti ſpirituale commercium, quo gentes extra Chriſtianum orbem degentes, huic impertiant, quicquid bonæ mentis & virtutis habent; hic vero illis ſalutiferam Evangelii lucem ac vim refundat. *Gol. Præf. Lex. Ar.*

§. 3.

III. Utilis eſt Juriſconſultis; ut ejus beneficio, leges, inſtituta & placita tot orientis ſapientum, adeoque juſtitiam ipſam totius Aſiæ & Africæ, & magni imperii illius Saracenici, cum Romano & Patrio jure conferre, quæque inde patriæ ſuæ, & civium ſaluti accommoda ſint, prudenter temperare ſciant. Th. Erpen. *Orat.* 11. *p.* 69. Chr. Rav. *Paneg.* 11. *p.* 19.

§. 4.

IV. Utilis eſt Medicis. Math. Paſor Orat. Inaug. ſcribit; *Medicinam neminem per tran-*

transennam aspexisse, qui non ultro, Arabicæ linguæ cognitionem artis illius professoribus summopere necessariam esse confiteatur. Scilicet, ut Avicennæ aliorumque Arabum, qui sane longe plurimi sunt, medica scripta pervolvere, indeque tanquam ex fonte, omissis interpretationum rivulis, saluberrima monita tuendæ valetudini depromere possint; neque in explicatione terminorum artis errent ignari, præsertim illorum, qui ob varietatem ac imperitiam Versionum depravati sunt & detorti, quales nonnullos superiore cap. indicavinus.

§. 5.

V. Utilis est Philosophiæ Studiosis & imprimis Mathematicis, quo Arabum in illis disciplinis insignia scripta ac observationes in lingua sua nativa legant, suoque usui adplicare possint, quidque sit Aux, Semt, Nathir, Hegira, Algebra, Almanacha, Almucantharat, aliaque innumera, ex originibus suis & mathematicis principiis ipsorum Arabum nosse explicare.

§. 6.

VI. Utilis est Politicis Europæis & rerumpublicarum administratoribus, præsertim iis, quibus cum populis Asiæ Africæque commercia intercedunt; uti pluribus

ostendere Cl. Ravius *in Obtest. ad Europam*, & *præf. spec. Alcor.* Item Nob. Ludolfus *præf. append. ad Hist. Æthiop.*

§. 7.

VII. Utilis est Historicis. Nam ut in superioribus dictum, historiam populorum Orientalium tam civilem, quam Ecclesiasticam, id est, dogmata, mores, ac ritus Christianorum Orientalium, aliunde quam ex Arabibus petere haud licet.

§. 8.

VIII. Utilis tandem Lingua Arabica est Philologis omnibus; quibus tam commendata esse debet, quam commendatione dignissimum est voces Arabicas nosse, quæ multis Arabisini imperitis nescio quid effecerint monstri, ut خليفة *Chalifa*, quam in proprium nomen convertit Polydorus Virgilius *de Rerum inv. p.* 517. cum successorem notet Muhammedis. الكسير *Al-Iksir*, sive, ut vulgo dicitur, *Elixir*, quam nonnulli ab eliciendo deducunt, cum sit ex Arab. كسر *fregit*. *Ipsa* هجرة *Hegiræ vox, ait Hottingerus Anal. p.* 313. *quam multis est* μηλον εριδος. *Genebrardus Chron. L. III. p.* 479. *haud scio, inquit, num corrupte Hegira, sit potius astrologorum æra. nugæ!*

nugæ! شريف *Scherif*, ſic nobiles vocant, & Muhammedem ſanguinis jure contingentes. De voce مملوك *Mamluk* vanas quasdam conjecturas vid. in *Lex. Schindleri*, & *Martinii*. مفتي *Mufti*, Sapiens ſ. Doctor. وزير *Vezir*, Conſiliarius ſ. Vicarius principis a وزر *portavit onus*, eo quod in partem curarum veniant principi. مسلمين *Moſelmanni*, i. e. Credentes ſ. totos ſe Deo committentes. محمد *Muhammed*, pro quo corruptiſſime dicunt Mugamet, Magomet, Machomet, Muchamet &c. atque ſic aliæ pulveris inſtar, *numeroque carentis arenæ*.



II.

ELIAE PALAIRET, AUCTORES SACRI CLASSICI,

MARCUS.

Cap. XII. *v.* 5. Τους μεν δέροντες, τους δε αποκτεινοντες.) Alii *Codd.* pro Τους μεν τους δε legunt Ους μεν αλλους δε. Optima est recepta lectio. Confirmat *Herodian.* l. 1. p. 7. Τους μεν πειθοι ες συμμαχίαν προσηγαγετο, των δε ηδη κρατησας ην τοις οπλοις, *Hos quidem in societatem venire adduxerat, illos vero edomuerat armis.* Item l. 5. p. 224. Των μεν κολασθέντων, των δε εξωσθέντων. *His quidem supplicio affectis, illis vero expulsis.*

Vs. 12. Και εζητων αυτον κρατησαι.) In Ζητειν *Conandi* sensu Hebraismum *Bezæ* aliorumque cerebrum mirifice invenerunt. Eos merito refutavit *Eckhard.* Observ. philol. ex Aristoph. p. 34. Adde porro *Aristoph.* Nub. p. 196.

- - - Συ δε
Ζητεις ποιησαι τ' αργυριον πλειον το σον.

Tu

- - - Tu vero
Conaris reddere pecunias tuas ampliores.

Sic & *Jophon* apud *Stobæum* excerpt. de Morib. tit. 2. p. 173. Ειδεναι τα θεων ζητει. *Divina noſſe conatur.* Similiter *Quærere* pro *Conari* extat apud *Propert.* 2. 2. 5.

Liber eram, & vacuo quærebam vivere lecto,
At me compoſita pace fefellit Amor.

Vſ. 19. Ινα λαβη - - την γυναικα αυτου.) ſc. γυναικα, vel εις γυναικα, vel προς γαμον. Abſolute quoque Auctor Incertus *de Incredibil.* c. 5. Την Δηιανειραν ελαβεν. *Deianiram accepit.* Item *Menander* apud *Stob.* Serm. 189. p. 645. Ουκ εκεινην λαμβανει. *Non illam accipit.* Plenius locuti ſunt *Diodorus Sinopenſis* in Poët. Gnomic. p. 259.

Κρειττον γαρ εστιν ευ πεπραμμενην λαβειν
Γυναικα απροικον, ἢ κακως μετα χρηματων.

Melius enim eſt bene educatam accipere
Uxorem ſine dote, quam male cum pecuniis.

Item *Eratoſthenes* cataſteriſm. c. 31. του Ποσειδωνος βουλομενου την Αμφιτριτην λαβειν εις γυναικα. *Neptuno volente Amphitritem ac-*

cipere uxorem. Denique *Polyænus* l. 8. p. 808. Την θυγατερα αυτης προς γαμον λαβων. *Cum filiam ejus in matrimonium accepisset.* Et *Dionys. Halicarn.* l. 11. p. 709. Ουκ ηδυνατο προς γαμον αυτην λαβειν. *Non potuit in matrimonium ipsam accipere.*

Vs. 26. Ουκ ανεγνωτε εν τη βιβλω Μωσεως - - ως ειπεν αυτω.) Verba Η βιβλος Μωσεως notant *Opera Mosis.* Similiter Incertus Auctor apud *Stobæum* florileg. tit. 3. p. 21. Εψευσατο βιβλος Ομηρε. *Mentiuntur opera Homeri.* Item alius in *Antholog. Gr.* l. 1. c. 67. epigr. 26. p. 140. Ησιοδε ποτε βιβλον - - ελισσων. *Hesiodi opera aliquando - - volvens.* Notandum in super Ως ante ειπεν poni pro Οτι. Sic & *Rom.* c. 11. *v.* 2. Ως εντυγχανει τω Θεω. Ita quoque & apud Exoticos. *Moschus* idyl. 2. *v.* 12. Φασκεν δ' Ως μιν ετιαπε. *Dicebat vero, quod eam genuerit.* Item *Anytes* in Antholog. Gr. l. 4. c. 12. epigr. 109. Δεικνυς Ως κρεισσον πυρ πυρος εσιν ερως. *Ostendens quod amor sit ignis fulmine potentior.* Ut & *Aeschyl.* Sept. contra Theb. *v.* 623. Οιδεν Ως σφε χρη τελευτησαι μαχη. *Novit quod se oportet occumbere pugna:* ubi *Schol.* Ως per Οτι exponit.

Vs. 32. Ουκεσιν αλλος πλην αυτου.) Eodem ferme modo locutus est *Isocrates* de permut. p. 475. Υπερ ων ουδεις αν αλλος επιχειρησειε πλην των εμοι πεπλησιακοτων. *De quibus nemo alius*

alius conaretur præter eos, qui me doctore uſi ſunt.

Vſ. 34. οτι νουνεχως απεκριθη - - ου μακραν ει απο της βασιλειας του θεου.) Vox Νουνεχως ſemel tantum in N. T. occurrit, pro qua alii *Codd.* Συνεχως vitioſiſſime legunt. Reperitur apud *Plamud.* in vita Aeſopi p. 2. Οις πολλα των αλογων - - νουνεχως προσεχηκοτα μυθευεται. *Quibus pleraque brutorum - prudenter attendiſſe finguntur.* Ultimam formulam, omiſſa præpoſitione, uſurpavit *Dionyſ. Halicarn.* l. 3. p. 161. Ου μακραν της Φιδηνης κατεστρατοπεδευσεν. *Non longe a Fidenis caſtra poſuit.*

Vſ. 37 Καὶ πoθεν υιος αυτου ἐστι;) Hic Πoθεν pro Πως, *Quomodo*, ponitur, uti patet ex *Lucæ* c. 20. *v.* 42. Πως λεγουσι τον Χριστον υἱον Δαβιδ ειναι. Eodem ſenſu occurrit Πoθεν apud τους LXX. uti 4. *Reg.* c. 6. *v.* 27. Πoθεν σωσω σε; *Quomodo ſervarem te?* Sic & *Unde* pro *Quomodo* proſtat apud *Terent.* Andr. 3. 2. 31. *Unde id ſcis?*

Vſ. 44. Ολον τον βιον αυτης.) τον βιον. h. e. *Facultates.* Sic & apud *Dionyſ. Halicarn.* l. 1. p. 13. Κατα βιου ζητησιν. *Ad facultates quærendas.* Et *Philoſtrat.* vita Apoll. l. 1. p. 11. Κεκτηται γαρ - - βιου πλεω. *Poſſidet - - facultates plures.*

Cap. XIII. *v.* 3. Καθημένου αυτου εις το ορος.) Pro ἐν τῳ ὀρει. Sic & apud Exoticos

Εις pro εν occurrit. *Heliodor.* l. 8. p. 374. Εις οικημα (pro Εν οικηματι) κατακλεισαμενος. *In carcerem* (pro *In carcere*) *occluſus.* Et *Achill. Tat.* l. 3. p. 157. Ωσπερ εις αντρον (pro εν αντρω) εμενομεν. *Velut in antrum* (pro in antro) *manſimus.* Id Latini imitantur. *Oroſius* l. 4. c. 6. *In conſpectum* (pro *conſpectu*) *populi necatus eſt.*

Vſ. 9. Εις συνεδρια) ſc. βουλης, vel γερουσιας. *Herodian.* l. 2. p. 107. Συνιασιν εις το συνεδριον. *Coëunt in conſeſſum.* ſc. *Senatus.* Plenius Id. ibid. p. 69. Κατηλθεν επι το συνεδριον της βουλης. *Contulit ſe ad Senatus conſeſſum.* Et *Dionyſ. Halicarn.* l. 2. p. 99. τω συνεδριω της γερουσιας ανενεγκας τον λογον. *Conſeſſui Senatus communicata re.*

Vſ. 15. Καταβατω εις την οικιαν.) Sic & apud Poërarum patrem odyſ. κ. v. 431. Κιρκης ες μεγαρον καταβημεναι. *Circes in ædes ut deſcendatis.*

Vſ. 16. Εις τον αγρον ων.) Pro Εν τω αγρω. Vide quæ dedimus ſupra ad *v.* 3. Adde *Achill. Tat.* l. 5. p. 353. Διανυκτερευσειν ελεγεν εις τον αγρον. *Pernoctaturum dicebat ſe in agrum:* pro *in agro.* nec non *Xenoph. Epheſ.* l. 2. p. 35. Εις αγρον οικειν εκελευσαμην. *In agrum* (pro *agro*) *degere juſſi.*

Vſ. 33. Αγρυπνειτε.) h. e. ut loquitur *Demophilus* Sentent. in Opuſc. Mytholog. p. 620.

p. 620. Αγρυπνοι εστωδε κατα νουν. *Mente pervigili eſtote.*

Vſ. 34. Εκαστω το εργον αυτου.) *Maximus Tyr.* diſſ. 5. p. 48. Πριν πυθεσθαι το εκαστου εργον. *Prius quam cognoverit cujusque munus.*

Vſ. 35. Ὁ κυριος της οικιας - - ἡ μεσονυκτιὸ.) Sic & apud *Diogenem Laërt.* l. 6. c. 2. p. 598. Ὁ ουν κυριος, εφη, της οικιας που εισελθοι; *Dominus igitur, inquit, domus quo ingredietur?* Nota μεσονυκτιὸ. ſc. ωρας: per ſe enim hæc vox adjectiva eſt. *Theocrit.* idyl. 13. *v.* 69. Ιστια - - μεσονυκτιον (ſc. ωραν) εξεκαθαιρον. *Vela - - media nocte purgabant.* Plenius in plurali numero habet *Anacreon* ode 3. init. Μεσονυκτιοις ποθ' ωραις. *Mediæ noctis aliquando tempore.*

Vſ. 36. Εξαιφνης.) *Iſocrat.* orat. de Pace p. 280. Εξαιφνης επιστας τοις γιγνομενοις. *Repente ſuperveniens his rebus.* Nec non *Abbiamus* in Antholog. Gr. l. 1. c. 37. epigr. 5. p. 75.

- - - Αμελουντων
Ημων εξαιφνης ηξει ὁ πορφυρεος.
- - - *Non curantibus*
Nobis repente ſuperveniet mors.

Cap. XIV. *v.* 7. Δυναιθε αυτους ευ ποιησαι.) Sic *Libanius* epiſt. 100. p. 53. Ον δε ευεπεποιηκε πολλακις. *Cui vero beneſecit ſæpe.*

Item *Isocrat.* ad Demonic. p. 55. Τους αγαθους ευ ποιει. *Bonis benefacito.* Et *Heliodor.* l. 7. p. 322. Καιρος τους ξενους ευ ποιειν. *Tempus est hospitibus benefaciendi.*

Vs. 11. Καὶ ἐπηγγειλαντο αυτῳ αργυριον δουναι ϗ ἐζητει πως ἐυκαίρως αυτον παραδῳ.) Pro Ἐπηγγειλαντο δουναι, alii *Codd.* εδωκαν, vel ἐδίδουν, legunt. Optima est lectio, quam firmat *Diodor. Sicul.* l. 2. p. 137. Τουτῳ μὲν ἐπηγγειλατο δωσειν σατραπειαν της Βαβυλωνιας. *Huic promisit dare præfecturam Babyloniæ* Itemque *Dion. Cassius* l. 47. p. 335. Καὶτοι ταις γυναιξὶ - - τας προικας - - δωσειν ἐπηγγειλαντο. *Quamvis uxoribus - - dotem - - dare promisissent.* Nota insuper Καὶ, ante ἐζητει, vertendum esse *Tum.* Sic & *Matth.* c. 6. v. 33. Και ταυτα παντα προστεθησεται υμιν. *Tum omnia hæc adjicientur vobis.* Item c. 12. v. 21. Και ἐν τῳ ὀνόματι αυτου ἐθνη ἐλπιουσι. *Tum in nomine ejus gentes sperabunt.* Ita quoque apud alios. *Appian. Alexandr.* de bel. Pun. p. 72. *Consules vero jusserunt dicere quid peterent.* Και οι πρεσβεις ἐλεγον. *Tum legati dixerunt.* Item *Achilles Tat.* l. 1. p. 11. *Hæc ego quoque noviſſe poſſum, qui tot amoris cauſa paſſus ſum.* Καὶ, τί πεπονθας, ειπον, ω αγαθὲ; *Tum, quid paſſus es, dixi, o bone?* Denique ζητειν οπως, pro πως, dixit *Dionys. Halicarn.* l. 10. p. 665. Καὶ ου ζητειτε οπως παρ' αυτων λη-

ψεσθε

ψεσθε δικας; *Et non quæritis, quomodo de illis poenas ſumere poſſitis?*

Vſ. 12. Εθυον.) *Mactabant.* h. e. *Mactare ſolebant.* Solet ſæpius *ſolendi* ſignificatio in verbis obtinere. Sic. c. 15. *v.* 6. Απελυε: *Dimittere ſolebat*, uti patet ex *Matth.* c. 27. *v.* 15. Ειωθει απολυειν. Sic *Dion. Caſſ.* l. 43. p. 220. Τας αρχας ταπε αλλα, οσα τισιν ὁ δημος πρωτος Ενεμεν, αποδεικνυναι ἐψηφισαντο. *Magiſtratus, reliquosque honores, quos alias populus quibusdam tribuebat* (pro *tribuere ſolebat*) *ipſum* (Cæſarem) *conferre decreverunt.* Adde *Homer.* odyſ. γ. *v.* 379. Παπερ' ἐωθλον ἐν Αργειοισιν Ετιμα. *Patrem eximium inter Argivos honorabat:* pro *honorare ſolebat.* Id. ibid. *v.* 409.

- - - Οις ἐπι μεν πριν
Νηλευς Ιζεσκεν. - - -
- - - *Quibuscum quidem antea*
Neleus ſedere ſolebat. - - -

Vſ. 13. Ανθρωπος.) h. e. *Servus.* Sic *Lucæ* c. 12. *v.* 36. Ανθρωποις προσδεχομενοις τον κυριον. *Servis exſpectantibus dominum.* Item *Joann.* c. 5. *v.* 7. Ανθρωπον ουκ εχω. *Servum non habeo.* Et *Philipp.* c. 2. *v.* 8. Ευρεθεις ως ανθρωπος. *Cum eſſet re vera ſervus.* Sic & apud τους LXX. 2. *Paralip.* c. 24. *v.* 6. Ανθρωπου του θεου. *Servi Dei.* Adde *Achill. Tatium* l. 4. p. 263. Ὁ ανθρωπος, δικα-

δίκαια, ἐφη, φοβῃ. *Servus merito, inquit, times.* Similiter apud Latinos *Homo* pro *Servo* usurpatur. *Petronius* Satyric. c. 63. p. 317. *Habebamus tum hominem Cappadocem.*

Vſ. 31. Σὲ ἀπαρνησομαι.) *Dionyſ. Halicarn* l. 8. p. 507. Καὶ διὰ τουτο φίλους τε ἀπαρνουμεθα, ὁταν ἀδικῆσωσι. *Et propterea etiam amicis renunciamus, cum nos injuriis afficiant.*

Vſ. 35. Ει δυνατον ἐϛι.) Sic & *Palladas* in Antholog. Gr. l. 1. c. 89. epigr. 2. p. 174.

\- - - Παρα μοίρην,
Ει δυνατον, ψυχην τερπομένην μεταγειν.
\- - - *Præter fatum,*
Si fieri poſſit, vitam gaudentem traduce.

Vſ. 44. Δεδωκει - - συσσημον.) Vox Συσσημον ſemel tantum in N. T. occurrit, & optimæ notæ eſt, pro qua ex mera gloſſa alii *Codd.* legunt Σημειον. *Diodor. Sicul.* l. 13. p. 576. Ηιραν το συσσημον της μαχης. *Suſtulerunt ſignum certaminis.* Ut & ibid. p. 603. Τουτο γαρ ην το συσσημον τοις τριηραρχαις. *Hoc enim ſignum erat Trierarchis.*

Vſ. 50. Καὶ ἀφέντες αὐτον παντες ἐφυγον.) Appoſitiſſime dixit *Silius Italicus* l. 5. v. 478.

Non

- - - *Non æquus in arctis*
Nimirum rebus ſuaſor Metus.

Vſ. 53. Καὶ συνέρχονται αὐτῳ.) ſc. ἐς λογους. *Appian. Alexandr.* de bel. Parth. p. 251. Χρονου αξιωντος, ἐν ᾧ συνελθωσι. ſc. ες λογους, *Tempus rogante, quo venirent cum ipſo.* ſc. *in colloquium.* Plenius Id. bel. Pun. p. 33. Ὁ δὲ ηξίωσεν ετι συνελθειν ἐς λογους Σκιπωνι. *Ille autem rogavit adhuc venire in colloquium cum Scipione.*

Vſ. 58. Τον χειροποίητον.) *Heliodor.* l. 2. p. 111. Χειροποιητου πυρος. *manu excitato igne.* Item *Achill. Tatius* l. 1. p. 53. Πηγη ανεβλυζεν χειροποίητος. *Fons ſcaturiebat manufactus.* Et *Aelian.* hiſt. animal. l. 13. c. 18. Λιμναι χειροποίητοι. *Stagna manufacta.*

Vſ. 63. Διαρρηξας τους χιτωνας αυτου.) Summum doloris erat veſtium dilaceratio. Sic Horatii ſoror, cognita ſponſi nece, notante *Dionyſ. Halicarn.* l. 3. p. 157. Τοντε χιτωνα κατερρηξατο - - ᾠ ἐθρηνει. *Veſtem laceravit - - & lamentabatur.* Idem feciſſe perhibetur Fimbria Romanorum Dux, cum milites ſuos ad Syllam pergere videret, teſte *Appiano Alexandr.* de bel. Mithrid. p. 353. Κατερρηξας τον χιτωνισκον ἑκασοις προσεπιπτεν. *Lacerata veſte, ſingulis provolutus eſt.* Nec non Daphnis apud *Longum* Paſto-

ſtoral. l. 4. p. 110. cum ſuos flores évulſos reperiſſet; Κατερρηξατο ευθυς τον χιτωνίσκον. *laceravit illico veſtem.*

Vſ. 65. Ραπισμασιν αυτον εβαλλον.) εβαλλον. h. e. *feriebant.* Ita quoque *Dionyſ. Halicarn.* l. 1. p. 67. Εβαλον οι μεν ακοντιοις, οι δε λιθοις. *feriebant hi quidem telis; illi vero lapidibus.* Item *Geminus* in Antholog. Gr. l. 3. c. 14. epigr. 21. p. 347. Μέ κεραυνοις βαλλει. *Me fulminibus ferit.* Ut & *Demetrius Bithynus* ibid. l. 4. c. 7. epigr. 19. p. 444.

- - - Οι δε νομηες
Βαλλουσί με λιθοις.. - -
- - - *Bubuli vero*
Feriunt me lapidibus. - -

Vſ. 72. Εκ δευτερου - - οτι πριν αλεκτορα φωνησαι δις - - ἢ ἐπιβαλων εκλαιε.) Priorem formulam habet *Athenagoras* legat. p. 128. Εαν τις - - ἐκ δευτερου καταφιλησῃ. *ſi quis - - ſecunda vice oſculatus fuerit.* Nota Πριν cum Infinitivo poni pro Πριν ἤ. *Antonin. Liberalis* c. 13. p 112. Πριν αφικέσθαι. *Prius* (ſc. *quam*) *adveniſſent illi, qui ipſam abducerent.* Plene *Dionyſ. Halicarn.* l. 2. p. 102. Πριν ἤ των αλλων τι διαπραξασθαι. *Priusquam aliorum quid perficeretur.* Denique nugaciſſimus Gloſſator in aliis *Codd.* pro Επιβαλων εκλαιε exaravit Ηρξατο κλαιειν. Ut *Incipiendi* notio in his verbis obtineret,

Di-

Divus Auctor ſcribere debuiſſet, Καὶ ἐπεβαλε κλαίειν. Semper enim hoc ſenſu verbum Επιβαλλειν cum Infinitivo conſtruitur. Vide quæ jam notavimus, & adde *Diodor. Sicul.* l. 14. p. 724. Ως δ' ἐπεβαλον - - προφέρεσθαι του Διονυσίε τα ποιηματα. *Simul ac inceperunt - - proferre Dionyſii poemata.* Επιβαλων elliptice ponitur, pro Επιβαλων αυτῳ (ſc. *Jeſu*) τους οφθαλμους, vel τας οψεις. vel τα ομματα. *Injectis oculis in ipſum*, ſc. *Jeſum.* confer Obſervat. noſtras in h. l.

Cap. XV. *v.* 7. Φονον πεποιηκεισαν.) Sic Φονον ἐργαζεσθαι dixerunt alii. *Herodian.* l. 3. p. 128. Πολλην αρπαγην καὶ φονον ειργασαντο. *Multam prædam & cædem fecerunt.* Item *Appian. Alexandr.* de bel. civil. l. 1. p. 616. Εν οπλοις φονον ἐργασασθαι. *Armis cædem facere.*

Vſ. 11. Ανέσεισαν τον οχλον.) Peſſime alii *Codd.* hanc lectionem deturpant, pro Ανέσεισαν legentes Επεισαν, Ανέπεισαν, Ανέσησαν. *Euripid.* Oreſte *v.* 612. Εκουσαν ανασεισω πολιν. *Haud invitam concitabo urbem.* Et *Diodor. Sicul.* l. 14. p. 646. Τους τε Συρακοσίους ανασειων. *Syracuſanos concitans.*

Vſ. 17. Καὶ ἐνδυουσιν αυτον πορφυραν.) Hic *Purpura* pro *Veſte purpurea* ponitur. Sic *Dionyſ. Halicarn.* l. 5. p. 299. Τοτε πορφυραν - - πλανηθεις. *Purpura - - deceptus.* Item *Appian. Alexandr.* de bel. Mithr. p. 299.

299. Πορφυραν βασιλικην ημφιεσμένος. *Purpura regia amictus.* Et *Diogenian.* centur. 8. 94. Πίθηκος ἐν πορφυρᾳ. *Simia in purpura.*

Vſ. 21. Ερχόμενον απ' αγρου.) *Palæphat.* de Incredibil. p. 17. Αφ' ων χωρων ἐρχομενοι ἐπολέμων τοις Θηβαίοις. *A quibus regionibus venientes bellum intulerunt Thebanis.* Et *Homer.* Il. κ. *v.* 341. Απο στρατου ερχεται ανηρ. *Ab exercitu venit vir.*

Vſ. 24. Τις τι αρη.) Hic Τις pro Εκαστος ponitur. *Ariſtoph.* Eccleſ. *v.* 207. Ιδιᾳ σκοπειῶ ἑκαστος οτι τις κερδανει. *Privatim ſpectate ſinguli, quid quisque lucrabitur.* Item *Aeſchyl.* Chœph. *v.* 56. Φοβειται δέ τις. *Metuit vero quisque:* ubi *Schol.* τις) αντι του εκαστος.

Vſ. 34. Εβοησεν - - λέγων - - εις τί μ' ἐγκατελιπες;) Simili ferme modo Charicio apud *Callimach.* hym. in Pallad, *v.* 85.

Ἁ νυμφα δ' ἐβοησε, τί μοι τον κωφον ερεξας;
Nympha vero clamavit, quid meo puero facis?

Vſ. 36. Γεμίσας σπογγον οξυς.) Pro Γεμίσας alii *Codd.* Πλησας legunt ex mera Gloſſa. *Aeſchyl.* Agamemn. *v.* 453. Γεμίζων τους λεβητας. *Implens urnas.*

Vſ.

Vſ. 37. Αφεις Φωνην μεγαλην εξέπνευσε.) ſc. θυμόν, *animam.* Sic *Ariſtidas* apud *Stob.* Serm. 49. p. 171. Αιμορραγησας ἐξεπνευσε. ſc. θυμον. *Sanguine manans exſpiravit.* ſc. *animam.* Patet ex *Homero* odyſ. δ. *v.* 522. Καπεσεν - - θυμον αποπνέων. *Decidit - - - animam exſpirans.* Similiter apud Latinos *Exſpirare.* ſc. *animam.* Sic *Silius Italicus* l. 5. *v.* 332.

- - - *Telum ore cruento*
Exſpirans premit. - - -

Plenius *Virgil.* Aen. l. 11. *v.* 882. *Exſpirant animas.* Ceterum priorem phraſin habet *Libanius* epiſt. 355. p. 174. Υπο πληθος πληγων Φωνην αφησειν. *Sub crebris plagis vocem emiſſurum eſſe.* Item *Euripid.* Phœniſ. *v.* 1462. Φωνην μεν ουκ αφηκεν. *Vocem non emiſit.*

Vſ. 39. Εξ ἐναντίας αυτου.) Sic *Achill. Tatius* l. 3. p. 195. Ορω δύο τινας ἐξ ἐναντίας - - σπουδη θέοντας. *Duos quosdam ex adverſum video - - quam citiſſime currentes.*

Vſ. 44. Εθαυμασεν ει ηδη πεθνηκε, ἢ - - ἐπηρωτησεν ει παλαι απεθανε.) *Iſocrat.* ad Demonic. p. 59. Και μη θαυμασῃς, ει πολλα - - ου πρέπει. *Et ne mireris, quod multa - - non deceant.* Item *Achill. Tatius* l. 2. p. 145. Μη θαυμασῃς ει δια πυρος τις ανέβαινεν εις ουρανον. *Ne mireris quod per ignem quis in cœlum*

lum adſcenderit. Notandum παλαι elliptice, pro ετι παλαι poni. *Heliodor.* l. 1. p. 31. Παρακαλέσω δέ την Αρσινοην, ουσαν μοι παλαι γνωρίμην. *Rogato autem Arſinoen, dudum* (pro *jam dudum*) *mihi cognitam.* Item *Ariſtoph.* Plut. act. 2. ſc. 3. p. 44. Οπερ παλαι παρεσκευαζομην -- κρατιστον ἐστι. *Quod dudum* (pro *jam dudum*) *paravi* - - *optimum eſt.* Plene *Dionyſ. Halicarn.* l. 11. p. 712. Ελεησαι παρθενον, μητρὸς μεν ορφανην ουσαν ετι παλαι. *Miſereri virginem, matre orbata quæ jam dudum erat.* - -

Cap. XVI. *v.* 3. Ελεγον προς ἑαυτας.) *Polyæn.* l. 5. p. 464. Προς τους φίλους ελεγεν. *Dixit amicis.* Item *Dionyſ. Halicarn.* l 4. p. 233. Ουδὲν ετι αισχυνθεισα λεγει προς αυτον. *Non amplius pudoris plena dicit ipſi.* Et *Aelian.* hiſt. animal. l. 6. c. 59. Καὶ προς εαυτην ἐλεγεν. *Et ſibimet ipſi dicebat.*

Vſ. 5. Εν τοις δεξιοις.) Εν pro *Ad.* Sic *Appian. Alexandr.* de bel. Syr. p. 259. Τους δ' ἐλέφαντας (εσησε) Εν αριστέρᾳ. *Elephantes vero* (*collocans*) *ad ſiniſtram.* Et *Achilles Tatius* l. 1. p. 17. Εν αριστερᾳ παρθένος ἐμφαινεται μοι. *Ad ſiniſtram virgo mihi apparet.*

Vſ. 8. Ειχε δέ αυτας τρομος.) Pro Δέ alii *Codd.* legunt Γαρ, quod mere gloſſam redolet. *Ariſtoph* Avib. *v.* 585. Ιατρὸς ων, ιαομαι, μισθοφορει δέ. *Medicus cum ſit, ipſos medeatur, operam enim mercede locat:* ubi

Schol.

Schol. μισθοφορει δέ.) ὁ Δέ αντι του Γαρ. Item *Euripid.* Oreſte *v.* 680.

Καγω σε ικνουμαι - -
Τοις δεομένοισιν ωφελειν; οιος τε δ' ει.
Et ego tibi ſupplico - -
Ut juves auxilio egentes, potens enim es:

ubi *Paraphraſt.* Δυναπος γαρ υπαρχεις. Denique *Aeſchyl.* ſuppl. *v.* 5.

- - - Διαν δέ λιπουσαι
Χθονα - - - φευγομεν.
- - - Divinam enim linquentes
Terram - - - fugimus:

ubi quoque *Schol.* Δίαν δὲ.) ὁ Δέ, αντί του Γαρ.

Vſ. 11. Κακεινοι ακουσαντες - - ηπιστησαν.) Sic plane *Aelian.* hiſt. animal. l. 13. c. 6. Περιηγειται δέ εωθεν τοις ἐμπόροις τα πεπραγμένα. ακουοντες δὲ ηπίστουν. *Narrat* (ſervus) *mane mercatoribus totam rem: illi autem audientes fidem negabant.*

Vſ. 14. Υστερον ανακειμένοις.) Υστερον, inquit illuſtr. *Grotius*, non eſt *Poſtremo*, ſed *Deinceps.* Preſſius verteris, *Paulo poſt.* Et enim ponitur pro ολιγῳ, vel ολιγον vel Μικρον υστερον. *Philoſtrat.* Apoll. epiſt. 13 p. 390. Αλλοις μεν ων αλλο τι ἐργον δικαιως γενοιτο νυν, ἡ ϗ υστερον. *Alii quidem igitur aliud quid opus ſuſcipiunt, ſive nunc ſtatim, ſive paulo poſt.* Plenius *Themiſt.* orat. 2. p. 39. ολιγῳ υστερον πεμπει αιχμαλωτον. *Paulo poſt mittit captivum.* Item *Aelian.* var. hiſt. l. 8. c. 17. Ὁ δ' συν Σόλων

- -

- - ὀλιγον υστερον τον βιον ἐτελευτησεν. *Solon autem - - paulo post vitam finivit.* Nec non *Heliodor.* l. 2. p. 66. Απολιψῃ με μικρον υστερον. *Recipies me paulo post.* Videtur etiam *Post* pro *Paulo post* adhiberi apud *Terent.* Hecyra 4. 4. 78. *In culpa non est: post de matre videro.*

Vſ. 20. Του κυριε συνεργωντος και τον λογον βεβαιωντος.) Incertus Auctor in *Gnomic. Poei.* p. 213. Θεος συνεργων παντα ποιει ραδιως. *Deus adjuvans omnia facile facit.* Item *Ariſtænet.* l. 1. epiſt. 13. p. 84. Αι μεν γαρ ατελεις μη συνεργωντος του θεου. *Illæ enim* (artes) *imperfectæ ſunt, non adjuvante Deo.* Præterea τον λογον vertendum eſt *Doctrinam*, nempe Evangelicam. Anacharſis apud *Diogen. Laert.* l. 2. p. 109. dicit, Σε δια μεν τον λογον εκ της Ελλαδος σωθηναι, δια δε τον φθονον εν τη οικειᾳ απολεσθαι *Ob Doctrinam ſuam e Græcia ſalvum evaſiſſe, ſed ex invidia in propria terra in pereundi periculo fuiſſe.* Item *Maxim. Tyr.* diſſ. 17 p. 170. Υποπευω εξ Ιταλιας Αθηναζε ἐλθειν τον λόγον. *Suſpicor ex Italia Athenas allatam fuiſſe hanc Doctrinam.*

TANTUM!

III.

III.

HENR. HEISEN,

PROFESS. PUBL. ORD. BIBLIOTHECARII
ET PÆDAGOGIARCHÆ BREMENSIS

DE PRAECIPUO EPIST. AD ROMANOS SCOPO DISSERTATIO.

SUMMARIUM.

§. 1. Statuitur esse scopus ille tollendum ex Romana ecclesia de lege cærimoniali dissidium. §. 2. Sed dissensus iste aut levis admodum, aut plane nullus fuit. §. 3. Nequaquam Paulus ad Rom. primo cap. Christianos Judæos, sed gentiles, & speciatim Romanos alloquitur. §. 4. Idem fit tota ad Rom. epistola. §. 5. Moralis potius, quam cærimonialis lex ad palmarium epist. ad Rom. scopum pertinet. §. VI. In ecclesia Romana pristini Pagani conversis ad Christum Judæis numero, honoribus, divitiis, & potestate multum præstabant, & de cærimonialis legis observatione magnas creabant molestias. §. 7. Præcipuus epist. ad Rom. scopus est vicariæ Filii Dei justitiæ demonstratio solidissima

atque locupletiſſima; id quod multis argumentis, a blandiente ſibi omnium hominum natura; ſpeciatim a Stoicorum ſecta, Romæ tunc florentiſſima; ab eccleſiæ Romanæ celebritate & auctoritate; a paganorum denique Romanorum ſumma in ſummum Deum Creatorem ſuum atque Legislatorem, commiſſa injuſtitia, hacque talionis jure juſtiſſimo ab eodem ſeveriſſime vindicata, deſumtis probatur. §. 8. Paganorum Romanæ urbis incolarum alii fuerunt longe peſſimi, alii ex adverſo ſtrenui bonorum morum cultores, cumque his a civibus ſuis Chriſtianis communicatam eſſe Pauli ad Romanos epiſtolam, veri perquam eſt ſimile. §. 9. Promittitur Habacuci vaticinium ita interpretandum, ut noſtræ τῶν ἐκ πίστεως εἰς πίστιν interpretationi optime reſpondeat.

§. 1.

Promiſſi datam nuperrime fidem, dante jam Deo, atque hinc nec ætate mea, licet grandiori, remoram injiciente, libero, ea, quæ de *generaliori* Epiſtolæ ad Romanos *ſcopo* κατ' ἄρσιν & κατα θεσιν dicenda habeo, quanta poſſum, & cauſæ momentum permittit graviſſimum, modeſtia exponendo. *Scopum* hunc, ad quem omnia hujus Epiſtolæ collimare videantur, perquam rev. & doctiſſ. JOH. NIC. RICHTERUS facit *tollendam e medio Judaizantium & ab origine gentilium eccleſiæ Romanæ membrorum*

rum diſcordiam. "Diſcordiæ, ſcribit, (1.) "fomitem hac epiſtola e medio tollere, Ro- "manosque Chriſtianos ad unanimitatem "excitare, & confirmare in ea ſtuduit; qui "fuit *generalior* ejus ſcopus, ad quem "omnia collimare videntur. Erat autem "cum in doctrina, tum in moribus, quod "arctiori animorum unioni adverſabatur. "Hinc pars epiſtolæ theoretica & practica. "Chriſtiani Judaizantes, ut vocant, legem "imprimis Gentilium collo cupiebant impo- "nere, &c. „

§. 2.

Sed, quod bona cum venia humaniſſimi, mihique honoratiſſimi Viri dixerim, nequeo ipſi adſurgere. Nam primum tanta nequaquam, dictante has ad Romanos literas Apoſtolo, Romæ Chriſtianos inter Judæos atque gentiles graſſabatur diſcordia, ut ad eam præcipue tollendam Paulus, qua erat ſapientia, longiſſimam hanc duxerit exarandam epiſtolam eſſe. Primum Hieroſolymis coactum concilium, cujus præcipua fuerunt membra Apoſtoli, & Præſidem egit Spiritus Sanctus; conditum hujus concilii decretum, idque miſſa Antiochiam & per Syriam atque Ciliciam ocyus circummiſſa notificatum epiſtola, in qua diſertis perſcribe-

*) Bibl. Nov. Brem. Claſſ. I. Faſc. I. p. 110. med.

batur vocibus: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*, ne quid oneris Levitici novis ex gentilitate Sanctorum civibus & Dei domeſticis præter illa, quæ extemplo ſubjiciuntur, levicula & oppido pauca, imponatur (2.) motæ primævos inter Chriſtianos de legis cærimonialis obſervantia controverſiæ nervos inciderunt, & propugnatorum ejus fregerunt animos. Nulli abhinc pro tuendo carnali ſervilique cultu lacertos moverunt, præterquam falſi Apoſtoli & obſtinatiores quidam Chriſti caſtra ſecuti Phariſæi, idque non perdiu, & ſolummodo in eccleſiis Hieroſolymitanæ urbi propinquioribus Corinthiorum, Galatarum & Philippenſium maxime. Disjunctiſſima vero ab Hieroſolymis Roma & ad Romanos Epiſtola demum elucubrata eſt, poſtquam Paulus jam ab Hieroſolyma & circumjacentibus regionibus ad Illyricum uſque prædicandi Evangelii munus impleverat, (3) qua tempeſtate litigium cærimoniale jam deferbuit, & extremum quaſi duxit ſpiritum.

§. 3.

Deinde rev. perq. RICHTERUS, capite ad Rom. primo ſermonem ad Chriſtianos, non origine gentiles, ſed Judæos dirigi,

(2) Act. XV. 28. (3) Rom. XV. 19.

rigi, opinatur. Hoc ſedulo monet, & repetens iterum iterumque inculcat. (4) Cumprimis eminent ſequentia ejus in ſubjuncta paraphraſi verba: "vos imprimis, qui, licet "Chriſto nomen dederitis, atque Eum pro "Meſſia promiſſo agnoſcatis, in lege tamen "gloriamini, & a corpore iterum ad um-"bram confugitis, &c. „ (5) At vero ſcribit Paulus primi hujus capitis verſu quinto, quod acceperit Apoſtolatum ad obedientiam fidei *inter omnes gentiles*, affirmatque commate ſexto, hos inter quoque illos, ad quos ſcribit, Romanos eſſe, diſerte inquiens: *Inter quos etiam eſtis vos.* Inciſo dein tertio decimo apertiſſime rurſus eosdem reliquis gentibus accenſet; & ſequenti decimo quarto debitorem annunciandi Evangelii factum ſe, non Judæis, ſed Græcis, &, qui iis opponuntur, *barbaris*, *ſapientibus* juxta ac *inſipientibus* teſtatur: in qua diſtinctione ad *Græcos* & *ſapientes* referri oportere Romanos, ἐξηγητικὸν eſt. Sexto decimo quidem verſu Judæi mentio *primum* fit ac *præcipue*, verum extemplo Græci nominatim ſubjiciuntur, & emotæ mentis eſſet, qui ex hoc, quod quis de Judæo primum ac præcipue loqui-

 tur,

(4) Lib. cit. p. 113. lin. 1. p. 117. lin. 4. & lin. ult. p. 118. §. 8. lin. 1. p. 120. lin. ult. &c.
(5) Ibid. p. 123. ſub med.

tur, inferret, eum non AD alium, niſi AD Judæum primum ac præcipue loqui. Quæcunque poſtmodum primo ad Romanos capite de ſola Dei cognitione naturali, δοκησισοφίᾳ, horrenda idololatria, & abominabili corruptiſſimæ humanæ naturæ impudicitia enarrantur, illa omnia & ſingula, nemo negat, multo magis in Romanos quam in Judæos, utrosque ſeu Chriſti jam initiatos ſacris, ſeu avitam etiamnum tuentes religionem, competere, ut longe potiori jure ſtatuatur, illos Apoſtolum, non hos affari. An Judæos unice per legem naturæ ſui Deus imbuit notitia? An, qui δοκοῦντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν, Judæi, non autem gentiles, & cum maxime horum fuerunt philoſophi? *Miracula Judæi, & Græci*, id eſt gentiles, *quærebant ſapientiam.* (6) An deteſtanda ejuſcemodi idololatria, qualem Paulus commemorat, deteſtabiles ſe Judæi inde a Soſpitatoris ἐνσαρκώσει ad hodiernum uſque diem reddiderant, qui non modo cultum, ſed & omnem imaginum, homines & animalia ratione deſtituta referentium, cane pejus & angue refugiunt uſum atque ornatum? Ubi Chriſtus & Apoſtoli Judæos monſtruoſæ illius, & legis naturæ, imo ipſius naturæ, non dicam hominis, ſed multarum belluarum validiſſima repagula tranſilien-

(6) 1 Cor. I. 22.

lientis atque perfringentis reos peregerunt? Si licuiſſet per veritatem, num ſibi temperaſſent, qui infinitis pœne modis leviora matrimonii crimina, verbi cauſa libellorum repudii abuſum, liberrimo ipſis ore & calamo objectarunt! De ethnicorum vero ſtupris maſculis, & gemina illis cætera vel dictu & cogitatu horrenda ſpurcitie ſi quis ambigit, næ ille eſt plerorumque, & cumprimis Romanorum hoſpes in hiſtoriis; auctorque illi ſim, ut in Vitis, non Tiberii & Neronis, ſed his multo caſtiorum Julii Cæſaris atque Auguſti unum modo evolvat SUETONIUM.

§. 4.

Capite quidem ſecundo ſtilum Apoſtolus ad converſos convertit Judæos, verum ita, ut gentiles gentilium doctor non ſtatim deſerat, ſed eorum æque ac ex circumciſione fidelium ad verſum uſque ſeptimum decimum agat cauſam, & tum demum exorſus: *En tu cognominaris Judæus;* Judæos alloquatur. Reliqua epiſtolæ omnia capita ſic comparata ſunt, ut liquido conſtet, Auctorem præcipue ac longe frequentius cum præputiatis, quam cum recutitis credentibus ſermonem inſtituere. "Vobis, ait, "dico gentibus, quatenus ego quidem gen-"tium Apoſtolus ſum, miniſterium meum

"celebro. (7) Et quem eodem poſtmodum "capite graviter hortatur: „ Tu, quum eſ- "ſes oleaſter, inſitus es pro ipſis (Judæis) "& particeps radicis ac pinguedinis oleæ "factus es, ne gloriare adverſus ramos: quod "ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed "radix te. - - Illi propter infidelitatem de- "fracti ſunt, tu vero per fidem ſtas. Ne "effertor animo, ſed time, - - alioquin & "tu excideris; (8) is eſſe alius nequit, quam "ab origine gentilis. Cap. XV. hæc pro- "fert: „ Audacius vobis ſcripſi, *Fratres*, aliqua ex parte. - - (9) Quinam ſunt illi, quos alloquitur fratres? Patet ex ἀμέσως ſequentibus, quibus audaciæ ſuæ qualiscunque juſtiſſimam affert rationem, inquiens: "Propter "gratiam, quæ data eſt mihi a Deo, ut ſim "miniſter Jeſu Chriſti apud gentes, operans "Evangelium Dei, ut oblatio gentium red- "datur accepta. - - Non enim ſuſtinuerim "quicquam loqui, quod non effecerit Chri- "ſtus per me ad obedientiam gentium ver- "bo & opere. „ (10) Mitto huc facientia reliqua multa, ne videar otioſus, neu fiam odioſus. Quid? quod cel. HEUMANNUS exiſtimat, proprie nunquam hac epiſtola Paulum initiatos Chriſti ſacris Judæos allo- qui, ſed, quoties facit, per Apoſtrophen ad

(7) Rom. XI. 13. (8) Ibid. vers. 17-22. (9) vers. 15. (10) vers. 15-18.

ad abſentes, tanquam præſentes haberi ſermonem. Cujus ſententiæ ſuæ hanc dat rationem, quod nulli Romæ Chriſtiani Judæi firmam fixamque ſedem tenuerint, ſed tantummodo unus alterve ex Judæo Chriſtianus ſubinde ex peregrinis terris ad urbis hujus eccleſiam acceſſerit, & pauxillum temporis commoratus iterum abierit, ut prælegi epiſtola noſtra in cœtu credentium Romanorum potuerit, nullo, pariter credente, Judæo præſente. Adi, ſis, ipſum pl. rev. Virum. (11) Veruntamen, ne quid diſſimulem, quod favere RICHTERO, feliciſſimi ingenii, & præſtantis doctrinæ Viro, quocum invitus ſententiæ feci divortium, videtur, ſi quid video ego, Pauli συγγενεις, *cognati*, quibus ſalutem ſuis verbis impertiri jubet, (12) obſtant. Cum enim Apoſtolus noſter fuerit Hebræus ex Hebræis, ejus quoque cognatos oportet Judæos fuiſſe, & concipere nequeo, qui certus eſſe idem Noſter potuerit, eos perlata Romam hac epiſtola hac in urbe præſentes fore, ut ſua ipſis ſalus nunciari poſſet, niſi eadem in urbe habitarint.

(11) Expoſit. Germ. Epiſt. ad Rom. p. 591. fin. & p. 658. ſub init. & in Act. Apoſt. cap. XXVIII. pp. 715. & 716. (12) Rom. XVI. 7. 11.

§. 5.

Rectius ſibi, judice me, conſuluiſſet laudatus jam plus ſemel rev. adm. RICHTERUS, atque majorem expoſitioni ſuæ conciliaſſet gratiamque fidemque, niſi tenacius uni cærimoniarum legi, & orto ex ea Romanæ eccleſiæ diſſidio adhæſiſſet. (13) Judæi & plerique ex Judæis Chriſtiani legis non ſolius cærimonialis, verum & maxime *moralis*, aut, ſi mavis, *Sinaiticæ* vel *Decalogi*, qui potiſſimam ſui partem moralis eſt, obſervatione propriam juſtitiam ſtabilire annitebantur, nimirum ignorantes juſtitiam Dei, adeoque nec eidem ſubjecti; (14) quem pernicioſum errorem Paulus æque ac alterum illum, quin multo magis proſcribit. Pariter ethnici moratiores, morem gerendo morali, conſcientiis ipſorum inſcriptæ, legi, etſi mancum mutilumque, ſua freti juſtitia, alienam omnem aſpernabantur, nec perſuadere ſibi poterant, propter alterius, ejusque unius obedientiam ſe univerſos judicem ſupremum poſſe, velle, imo debere juſtos pronunciare. Horum Apoſtolus non minorem, quam Judæorum habet rationem, & tam prolixe, quam graviter eos convincere

(13) Biblioth. cit. loc. p. 113. 5. med. p. 118. init. p. 121. fin. p. 123. lin. 4. &c. (14) Rom. X. 3.

cere allaborat, quam infirmo tibicine, quam lubrico & fallaci, ac nullo potius fundamento omnis ipsorum nitatur justitia. Abrahæ semen erant Judæi, sed Abrahamum diducto negans & pernegans sermone Apostolus, justitiæ Dei compotem factum per opera esse, an opera *cærimonialis* intelligit legis? (15) Nisi forsan prætexens, circumcisionis datam Abrahamo jam esse legem velis præparationem ad œconomiam legalem cum legali ipsa œconomia, hoc est diluculum cum ipso die, & cum exorto sole confundere auroram. Superiori capite (16) Davidem sistens testantem, omnes omnino homines, Judæos ex æquo & gentiles, gravissimorum reos flagitiorum se facere, ac postea (17) concludens, nullam carnem per opera legis coram Deo justam haberi atque declarari, contra vero peccatorum agnitionem ex lege proficisci; num denuo de cærimoniarum loquitur lege? Tandem cuncta illa, quæ capite septimo toto de lege tradit, videlicet primam quoque concupiscentiam peccatum esse; hac se lege delectari secundum interiorem hominem; eidem rebellare legem peccati in ipsius membris; bonam, sanctam, justam & spiritualem esse divinam legem, quæ ipsum docuerit, quod ante regenerationem suam,

(15) Rom. IV. 1. sqq. (16) Rom. III. 10. sqq.

ſuam, etſi legis peritus, neſcierit, nimirum, ut modo dicebamus, *concupiſcentiam primo primam*, quemadmodum Scholæ loquuntur, jam eſſe peccatum, & quæ cætera hujus ſunt commatis; an tu retuleris ad cærimonialem, & non longe potiori jure ad moralem legem? Manet igitur firmum fixumque, & omni ſuperius exceptione, in definiendo principali epiſtolæ hujus ſcopo legem cærimonialem minus dignam eſſe, quæ in cenſum veniat: at moralem ſæpenumero Pauli utramque facere paginam, & tanti momenti res in animos noſtros ingerere, ut ad primarium divini ſcripti argumentum pertinere videatur. De cætero, quam perq. rev. RICHTERUS τῶν ἐκ πίστεως εἰς πίστιν dedit interpretationem, ea plurimum redolet ingenii, & mihi præ reliquis arridet, nec dubito, quin multos invenerit fautores, imo inventura plures fuiſſet, ſi doctiſſimo Viro licuiſſet, libuiſſetve aliis eandem affinibus, & Paulinam repetitionem atque conſtructionem referentibus phraſibus cum illuſtrare, tum ſtatuminare.

§. 6.

Romæ illo tempore, quo ad Romanos ſuas Paulus dedit literas, aut nullos omnino, aut tam paucos, Chriſti ſacra amplę-

plexos, Judæos fixas ſedes atque domicilium collocaſſe, ut Chriſtianorum in urbe domina turbare quietem, obtrudendo ipſis legem ſuam cærimonialem, nequiverint, in antecedentibus (18) veri fecimus ſimillimum. Addimus nunc, quod ex adverſo Romanorum, ad fidem in Chriſtum converſorum, numeroſiſſimus fuerit numerus, inque eo, qui divitiis affluebant, florebant honoribus, quin poteſtatibus pollebant. Cui ſalutem dicere extremo harum literarum capite Paulus jubet, *Narciſſus*, videtur gratioſus ante omnes Imperatoris Claudii aulicos *Narciſſus* fuiſſe, SUETONIO memoratus; (19) id quod cel. jam HEUMANNUS obſervavit. (20) Et ad Philippenſes (21) ſcribit Apoſtolus: Salutant vos omnes ſancti, *maxime vero qui ſunt ex Cæſaris domo*. Neque ſilentio involvenda ſunt, quæ primo ejusdem epiſtolæ capite (22) teſtatur: "Ve"lim, ait, vos ſcire, Fratres, quæ mihi "acciderunt, magis ad profectum Evange"lii eveniſſe; adeo ut vincula mea in Chri"ſto facta celebria ſint in toto prætorio ac "reliquis omnibus locis, & plerique ex fratri"bus in Domino, freti vinculis meis, ma"gis audeant impavide ſermonem loqui.„

Non-

(18) §. IV. (19) Vita Claudii cap. 28. (20) Explanat. German. epiſt. ad Rom. p. 654. ſub init. (21) Cap. IV. 22. (22) Phil. I. 12-14.

Nonne ex his in proclivi eſt conjicere, ex ipſis Pauli judicibus, conſpicuis dignitate viris, quosdam de chriſtianæ religionis veritate jam tunc cœpiſſe convinci? Domitiano imperante, quod non multo poſt Apoſtoli noſtri exceſſum contigit, Cæſaris hujus *cognati* inter Romanæ eccleſiæ membra fuiſſe, hæcque præter cæteras extitiſſe cauſa videtur, quod tyrannus, ut novæ religioni, latius in dies ſerpenti, validum poneret obicem, juſſerit, primum ejus antiſtitem, Apoſtolum Joannem, in inſulam Patmum deportari. Temperare mihi nequeo quin huc facientia, licet a doctiſſ. CELLARIO jam occupata (23) adjungam. De Flavio Clemente, Conſule Romano SUETONIUS: (24) "Flavium, inquit, Cle-"mentem, *patruelem* ſuum contemptiſſimæ inertiæ - - repente ex tenuiſſima ſuſpicio-"ne tantum non in ipſo ejus conſulatu intere-"mit. „ Quem ad locum LÆV. TORRENTIUS ita: "Quum hunc Fl. Clementem "contemptiſſimæ inertiæ hominem vocat "SUETONIUS, eo ipſo Chriſtianum fuiſſe "demonſtrat. De quo injurio in Chriſtia-"nos titulo, quod inertes, & inutiles, & "infructuoſi dicerentur, TERTULLIANUS cap.

23) Pag. 434. Diſſertat. Academic. edit. Jo. Georg. Walchii, Lipſiæ 1712. (24) Vit. Domit. cap. 15.

cap. XLII. Alio quoque, inquit, injuria-"rum titulo poſtulamur, & infructuoſi in "negotiis dicimur.„ Et qui in JULIANI APOSTATÆ verſatus eſt ſcriptis, compertum habet, quod hic, qui impacta primævis Chriſtianis crimina poſtliminii quaſi jure viventibus ſua ætate illorum poſteris peræque veri omnis effœtam calumniam affricuit, milites chriſtianos, ſua ſequentes caſtra, contemtiſſimæ damnarit inertiæ, dictitando, eos, ubi pugnandum ſit, non ad arma, ſed ad preces confugere, nec agiles habere manus, facereque greſſus celeres, ſed lenta ex imo pectoris ducere ſuſpiria. Tantis igitur in Romana eccleſia viris, tantum abfuit, ut pauculi in Jeſum credentes Judæi, iidemque ξένοι, παροικοι καὶ παρεπίδημοι, Chriſtianæ religionis exercendæ morem imponere auderent, ut indulgentiſſime ſecum agi arbitrarentur, ſi ſuis vivere legibus, & ſuum δυσβάσακτον imo ἀβάσακτον cærimoniarum ferre jugum perſeverantes, fidelium Romanorum, pace ipſorum ſacra frequentarent, nec putarentur fide minus integra Chriſto nomina dediſſe. Qui præjudicio vacuus cuncta, quæ hac epiſtola de Judæis Chriſtianis afferuntur, expendit, facili negotio videt, eos non Romanis credentibus, ſed vice verſa hos illis fuiſſe graves, & multas de cærimoniali lege moleſtias

ſtias creaſſe. De carnis uſu eſuque verba faciens Apoſtolus haud obſcure indicat, fieri injuriam ſcandalumque præberi Judaicis Chriſtianis, qui eo abſtinebant, a tuentibus illum, ac licentiſſime ipſo ſibi uſu vindicantibus Romanis. Inter cætera dicit. "Si propter eſcam frater tuus moerore affi-"citur, non jam ſecundum charitatem am-"bulas. Ne eſca tua illum perdito, pro "quo Chriſtus eſt mortuus. (25) Atque "iterum: „ Bonum eſt non veſci carnibus, neque bibere vinum, neque quidpiam, in quo frater tuus impingit, aut offenditur, aut infirmus eſt.„ (26) Porro quam vehementer hos Romulea de ſtirpe natos, renatosque per Evangelium gentiles moneat, ne propter repudiatos Judæos, ſeque in eorum aſſumptos locum efferantur animis, ſupra exſcripſimus. (27) Præ cæteris omnibus gentilibus Romani Judæos ſummo deſpicatui, ſibique probro familiarem eorum ducebant converſationem, ut ex TACITO, SUETONIO, JUVENALE, MARTIALE, aliis abunde conſtat, nec videntur illi ad quos data hæc eſt epiſtola, hanc civium ſuorum & popularium philautiam atque αυθαδειαν penitus exuiſſe. Cum vero ſpiritualium Iſraëlis bonorum facti participes

(25) Rom. XIV. 15. (26) Ibid. vers. 21.
(27) §. IV.

pes essent, videri civitatis Dei hospites ingratissimi poterant, si pristinis insistere vestigiis pergerent. Ne igitur salutis suæ quodammodo auctorem populum in posterum fastidirent, neu cum maxime illos hujus gentis, qui æque pretiosam secum sortiti erant fidem, minores se in religione haberent, summas Israëlis secundum & spiritum & carnem prærogativas verissimis, id est, pariter summis Præco divinus extollit laudibus; quin et recidivam novissimo tempore abjectæ nunc gentis beatitatem atque gloriam ex multis fallere nescius vaticiniis graphice vivis depingit coloribus. Acerbissima vero Judæi objurgatio (28) tam non in Christo sacros Judæos competit, quam nullo jure nefanda gentilium capite primo enumerata flagitia fictis meliore luto, quin Evangelii optimo tunc refictis præcordia gentilibus attribuuntur.

§. 7.

Omnium ab Apostolis, divini Spiritus amanuensibus, conscriptarum epistolarum hæc ad Romanos, ut ordine, ita dignitate, præstantia & pretio est prima. Quapropter, qui eam, inspiratus ab hoc Spiritu, dictavit Apostolus, multo sublimio-

(28) Rom. II. 17. sqq.

miorem, ampliorem, auguſtiorem, & ſalutiferum magis propoſitum ſibi habuit finem, quam finis eſt ille, qui agitatæ hactenus qualicunque de cærimoniali lege in eccleſia Romana controverſiæ imponendus erat. Jam ſi quæris ex me, quis ergo verus & condignus epiſtolæ omnium principis habendus ſit finis; dicam equidem, nec te ſuſpenſum, Lector, tenebo. Eſt nimirum VICARIA FILII DEI JUSTITIA AD ABSOLVENDOS IN DIVINO JUDICIO PECCATORES HOMINES SUMME AC UNICE NECESSARIA, PETITIS EX LUMINE NATURÆ ET GRATIÆ IRREFRAGIBILIBUS ARGUMENTIS UBERRIME DEMONSTRANDA. Omnibus omnino mortalibus, ætate Apoſtolorum Judæis æque ac Romanis, Græcis juxta cum Barbaris erat; & eſt hodieque tam Chriſtianis, quam Chriſtum abnegantibus, & illis ſeu orthodoxis oretenus, ſeu heterodoxis, per inſitam univerſis philautiam atque ſuperbiam creditu difficillius nihil, quam omnem ipſorum juſtitiam eliminans, imo accuſans damnansque, & proprium omne bonis operibus invidens meritum ac præmium, VICARIA FILII DEI JUSTITIA. Romæ tum florentiſſima STOICORUM erat ſecta, ut vel unus Paulo coævus nos condocet SENECA, ex cujus quoque operibus & Cicero-

ceronis STOICORUM *Paradoxis* abunde liquet, tanto eos vigore ac rigore moralem doctrinam atque virtutis ursisse studium, tamque immensum huic posuisse pretium, ut illi sectæ nulla gentilium Philosophorum alia unquam hac in parte viguerit similis, & vix secunda. Incredibilius nihil his Sapientibus præconio crucis videbatur, nihilque indignius & injustius, quam justissimum & benignissimum Numen ab innocentissimo Filio Suo non modo scelerum, sed etiam virtutum, & optimorum ab aliis hominibus perpetratorum operum propter consociatas his labeculas in furca infami atrocissimas, & vel dictu ac cogitatu horrendas pœnas repetivisse. Hæc crux acutissimorum erat ingeniorum crux, & desipientium Sapientum stultitia primæ magnitudinis, (29) ad cujus statim prædicatores dicebant: *Abite in malam crucem.* Sed vero cum religionis Christianæ sacra anchora, prora & puppis æternæ salutis, veritatis columna & stabilimentum, quo stante stat, & quo cadente cadit Ecclesia, ut pii Veteres loqui amabant, vicaria hæc sit justitia, rectissime Paulus consilium cepit demonstrandi eam tanto irrefragibilium rationum cumulo, quantum non temere alibi in ullo alio totius Verbi divini libro offendimus. Demonstrationem

(29) 1 Cor. I. 21. 23.

ſuam miſit ad Romanos potiſſimum Chriſtianos, quoniam horum omnium fides in toto prædicabatur mundo; (30) adeoque ſpes affulgebat, fore, ut, ſi illi de palmario hoc ſanctiſſimæ fidei noſtræ capite inter ſe conſentirent, in aſſenſum, quicquid ubique Chriſtiani eſſet nominis, pertraherent. Plurima quoque hujus demonſtrationis aptiſſima nata ſunt ad gentiles etiamnum Romanos de vicariæ juſtitiæ ſumma neceſſitate, adeoque religionis Chriſtianæ divina veritate convincendos, ſi ea ſecum a credentibus jam in Chriſtum civibus ſuis communicata perlegerent. Omnia, quæ primo capite a verſu decimo octavo traduntur, eunt eo redeuntque, ut meridiana luce appareat clarius, *juſtiſſime* ſemper Deum egiſſe agereque cum gentilibus, hos autem cum optimo maximo Creatore ac Conſervatore ſuo *injuſtiſſime*. Nullo poterant jure prætexere, illum nec ſui ipſius, nec voluntatis ſuæ ipſis præbere cognitionem. Alterum enim faciebat, inviſibilia Sua, æternam ſcilicet tum potentiam Suam, tum divinitatem per viſibilia mundi conditi opera quotidie ipſis ante oculos ponendo; alterum inſcribendo cordibus ipſorum atque conſcientiis legem, recti pravique arbitram juſtiſſimam; & utrumque, ut eſſent inex-

(30) Rom. I. 8.

inexcuſabiles. (31) Contra ea nihil magis injurium in ſummam Dei majeſtatem dici aut cogitari poteſt, quam quod ethnicorum injuſtitia divinis his natura ſibi cognitis veritatibus vim fecerat, & denique ad illam nulla ſatis morte piandam impietatem auſa erat progredi, ut gloriam incorruptibilis Dei in imaginem corruptibili ſimilem homini, & volucribus, & quadrupedibus, & reptilibus mutaret. (32) Quam contumeliam, cæteras omnes immane quantum ſupergreſſam, ultrix divina juſtitia in devotiſſima capita retorſit adeo, ut, qui immortali atque puriſſimo Spiritui, ipſi Deo Creatori, qui eſt benedictus in ſecula, Amen. (33) mortalia corpora, eaque viliſſimarum ac turpiſſimarum beſtiarum affinxerant, ſua ipſi corpora libidinibus, quas humana abominatur natura, & multa abhorrent animalia, ſic fœdarent, ut cum iisdem non modo exæquarentur, ſed & longe infra teterrimam illorum ſortem abjicerentur. (34) *Talionis* hæc fuit *pœna*, quam frequentius olim, quam nunc, divinus humanusque judex irrogarunt, alter juſtiſſime ſemper, juſte non raro alter. Jubet Legislator ſupremus: *oculus pro ocu-*

(31) Rom. I. 20. coll. cap. II. 15. (32) Rom. I. 23. (33) Rom. I. 25. (34) Rom. I, 26. 27.

lo, dens pro dente, &c. (35) atque in antiquiſſimis Romanorum legibus, quas XII. Tabulæ complectebantur, *talio* jam præcipitur. "Talionis, inquit FESTUS, men-"tionem fieri in duodecim, ait Verrius hoc "modo: Si membrum rapſerit, ni cum eo "pacit, talio eſto. Neque id, quid ſigni-"ficet, indicat, puto, quia notum eſt: per-"mittit enim lex parem vindictam. „ In quibus *pacit* eſt *paciſcitur* ab obſoleto *paco*, pro quo deinceps paciſcor, uti oſtendit VOSSIUS Etymologico in *Pango*, & de *rapſerit* conſulatur DACERIUS ad laudatum FESTUM. (36) Neque vero ſua tantum corpora, ſed externa quoque omnia opera, & totam vitam juſtiſſimo Dei vindicis judicio dati in reprobam mentem ipſi idololatræ horribilem in modum deturparunt, ſicut prolixe ſtatim primo hoc capite ad ejus uſque finem per partes ſubjungitur. (37) Ita vero ſubjungitur ab Apoſtolo, ut, qui ſummam & unicam *juſtitiæ* Filii Dei neceſſitatem ſibi demonſtrandum ſumſit, ad *injuſtitiam*, tanquam ad fontem, omnium gentilium ſcelera referat. Incipit: Manifeſtatur ira Dei in omnem impietatem & *injuſtitiam* hominum, qui veritatem in *injuſtitia* detinent. Pergit ſic, ut pergens ad

(35) Exod. XXI. 23-25. (36) Pagg. 577. & 578. (37) Vers. 28-32.

ad externa gentilium prava opera denuo incipiat: Repleti omni *injuſtitia*; manifeſto argumento, velle ſe, *injuſtitiam* ſpectari, tanquam fontem, ex quo ſequentia cuncta manent ſcelera. Claudit tandem his vocibus: Qui, quum το δικαιωμα τȣ Θεȣ, *jus Dei* cognoverint, quod, qui talia faciunt, morte digni ſint, non ſolum ea faciunt, ſed facientes etiam comprobant. (38) Et ſane nullum peccatum ſive in Deum, ſive in ſemet ipſum ſive in alios homines homo committit, quo non injurius, aut in omnes tres, aut ſaltem in horum duos ſit, quodque hinc non ſimpliciter & indefinite appellari *injuſtitia* ex vero queat. Superſedeo illud demonſtrare, ne diffuſior ſim, & confido, unumquemlibet Lectorem, ſi quid in ipſo ingenii eſt, ſuo Marte hac demonſtrandi opera perfungi poſſe.

§. 8.

Ἐργαται αδικιας, *operarii injuſtitiæ* (39) omnes indiſcriminatim gentiles, ſed ante omnes fuerunt Romani. Qui Neronem ex Romana hiſtoria novit, idem novit, illo ad Romani imperii ſedente clavum, quo ſcripta ad Romanos epiſtola videtur, nullam totius terrarum orbis fuiſſe urbem omnibus flagitiis tam contaminatam atque

(38) vers. 18. 29. 32. (39) Luc. XIII, 27.

coopertam, quam omnium principem, Romam, id quod jam demonſtravi paragrapho diſſertationis hujus tertia, quæ, ſi commodum eſt, relegatur. Sed vero ex parte oppoſita erant quoque in populoſiſſima urbe oppido multi, inque iis eminebant laudati proxime antecedenti articulo STOICI, quos urebat amiſſa non ſolum *libertas*, ſed & *virtus* atque *religio*; quin ſub Nerone non *Chriſtiana* tantum *eccleſia*, verum etiam *Romana respublica* ſuos habuit MARTYRES. Familiam duxit peſſimi diſcipuli magiſter optimus, SENECA, conjurationis adverſus tyrannum conflatæ, ſed detectæ caput, hincque juſſu ejus adactus ipſe ſibi mortem conſciſcere; quem, quod mireris, conſpiratorum pars melior in locum deturbandi ſolio, & meritiſſima morte multandi Neronis creandum Imperatorem Romanum cenſuerunt, non ſane ob ſagatas ejus, ſed togatas virtutes longe præſtantiſſimas. Prodiit alii numero numeroſo conjurati e vinculis triplicium carenarum coram immaniſſimo parricida cauſam dixerunt, quorum multi crimen ultro ſunt confeſſi, nonnulli etiam adjecerunt, hoc ſe pacto voluiſſe eum beneficio afficere, quoniam aliter non potuiſſent ipſi, niſi morte, ſuccurrere, dedecorato flagitiis omnibus. (40) Quæ nunc animo ſententia ſurgit,

(40) Sueton. Nerone cap. 36. can-

candide Lector? Annon credere æquissimum est, his horumque similibus, jacturam bonorum morum, & religionis omnis insanabilia vulnera indignissime ferentibus animis si militantes omnes Apostoli nostri pro summa vicariæ Filii Dei justitiæ necessitate rationes legendi a civibus suis Christianis facta esset copia, permoveri eos ad transeundum in cœlestis nostri exercituum Ducis castra potuisse magno Christianæ rei incremento juxta ac ornamento? Et qua, quæso, fronte sustinueris affirmare, omnem illas legendi copiam denegatam ipsis penitus fuisse? Ita vero injurius es in primorum Christicolarum propagandi salvificam religionem suam enixum studium; ita nescis, quam avidi rerum novarum Romuli nepotes, non secus, atque ante ipsos fuerint Athenienses! Minime gentium, mihi crede, universa gens Romana tam abjecte de Christianorum fide sensit, quam invidia perciti Romanorum historici in literas retulerunt; id quod fusius demonstrandi commodior alibi suppetet occasio.

§. 9.

Quæ reliqua sunt, exque ipsis epistolæ ad Romanos visceribus petenda argumenta, quibus summa atque unica vicariæ

Filii Dei juſtitiæ neceſſitas evincitur, ea tantum non omnia perſequerer, niſi juſtam in magnitudinem hæc jam excreviſſet diſputatio. Propediem, ſi voluerit Deus, & per grandiorem licuerit ætatem, nec inutiles ingratasque has meas efie meditatiunculas ſenſero, nova in apricum protrahetur diatribe, qua perducere ad liquidum conabor, ORACULO HABACUCI, quo enunciatum ſuum obſignavit Apoſtolus, implementum ſuum atque divinam auctoritatem tum demum optime conſtare, ſi τὰ ἐκ πίστεως εἰς πίστιν eo, quem ipſis vindicatum ivi, ſenſu accipiantur.

IV.

IV.

AUG. LUDOV. ZACHARIÆ,

V. D. M. COTHENIENSIS

Ἀναλυσις,

ET AMICA SUPER LOCO

JEREM. XXXI, 22.

NAM JEHOVA NOVUM CREAVIT IN TERRA: FOEMINA CIRCUMDABIT VIRUM,

CUM CELEB. EDITORE BIBLIOTH. BREM. NOVÆ

EPISTOLARIS COLLATIO,

QUA HYPOTHESEOS, QUÆ PONIT MIRACULOSAM MESSIÆ, FILII DEI, CONCEPTIONEM AC INCARNATIONEM, POSSIBILITAS AC PRÆSTANTIA DOCETUR. *)

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

I.) Duplex in quærendo ac determinando ſcopo ac nexu alicujus pericopæ Sacræ Scripturæ, cum maxime profeticæ, cautio generalis §. 1. II.)

*) Diſſertatiuncula ſingulari, quæ *Bibliothecae hujus Cl. II.* p. 549. legitur, hunc vexatiſſi-

II.) Scopi ac nexus loci Jeremiæ XXXI, 22. inveſtigatio ac determinatio; cum rei declaratione per locum parallelum Jeſ. VII, 14. §. 2. III.) Verborum ipſorum Jeremiæ explicatio. Ubi A) præmiſſa obſervatione præliminari quod ad ordinem tractationis, §. 3. B) Exponitur א) Subjectum totius enunciati profetici: Et quidem declarantur α) Vox גבר §. 4. 5. β) reliquæ voces a) נקבה §. 6. & 7. b) Virum inter & fœminam relatio per vocem תסובב expreſſa, §. 8. ב) Prædicatum: Jehova novum creavit in Terra §. 9 C) Brevis monitio de implemento §. 10. IV.) Concluſio tractationis & epiſtolæ §. 11. 12,

CELE-

tiſſimum *Jeremiae* locum, aliter ac fieri plerumque aſſolet, auſus fui explicare. Tantum vero abeſt, ut exiſtimaverim, fore, ut in ſententiam meam ituri eſſent, quotquot hucusque communem interpretationem ſecuti, eandem & alios docuerunt; ut potius auguratus fuerim, exſtituros, qui meam ſententiam oppugnando defenderent communem, quam mecum ab ineunte ætate didicerunt. Imo hoc ipſum quam maxime exoptavi, hunc in finem, ut mea, ſi poſſet, ſtaret, ſin minus, ipſe minime invitus cauſa caderem, communisque ſententia vires acquireret. Accidit autem mox quod ſuſpicabar & in votis habebam. Præbuit ſe communis ſententiæ primum defenſorem Vir pl. Rev. & Doctiſmus A. L. ZACHARIÆ. commilito ut ab annis juvenilibus amiciſſimus, ſic & nunc Amicus & Symmyſta Chariſſimus, de quo Ipſi mihi-

CELEBERRIMO AC DOCTISSIMO VIRO

NICOLAO BARKEY,
FAUTORI ATQUE AMICO
ADMODUM COLENDO.

S. P. D.

AUGUSTUS LUDOV. ZACHARIÆ,

Noſti, Vir celeberrime, me non ita pridem in meis ad Te literis, aliud agendo, tuæ in illuſtrem, at *difficilis* ac *dubiæ* inter-

mihique gratulor. Ipſi, cum Patrum quorundam & Summorum Virorum patrocinium ſuſceperit, & mihi, cum ab Amico Veteri votorum meum compos factus fuerim & non niſi quæ amicitiam ſpirant exſpectare liceat. Præfert ille, licet Interpretationis meæ poſſibilitatem agnoſcat, communem ſententiam, & rationes hunc ad finem undique colligit. Commendat ſe comparatio utriusque Interpretationis perſpicuo, modeſto & amico dictionis genere. Simul ac Anacriſin hanc Doctiſſimi Amici accepi, mearum omnino duxi eſſe partium, eandem, ut altera quoque pars audiatur, quam primum fieri poterat, Biblioth. huic inſererere. Nihil ego adhuc, quod rem ipſam concernat, ad defenſionem Interpretationis meæ profero, ut lectori magis liberum ſit, judicare, num cauſa ceciderim; præſtolans alias armatorum copias, quæ ſe *Zachariae* mei. lateri jungent, aut qui & poſſibilitatem ſententiæ meæ oppugnabunt. Nunc ſolummodo ad ſuſpiciones §. 3 & § 9 motas amice reſpondebo. N. B.

interpretationis locum *Jeremiæ XXXI*, 22. כי ברא יהוה חדשה בארץ נקבה תסובב גבר *Nam creavit Dominus novum in terra: Fœmina circumdabit virum*, Diſſertationis eruditiſſimæ, quam *Biblioth. Brem. Novæ* ſ. l. inſeruiſti, mentionem feciſſe, atque amicum abs Te diſſenſum prodidiſſe. Dixi tum temporis, ni fallor, hypotheſin, quam Tute ornare ac ſtabilire ſategiſti, equidem *in ſe ſpectatam*, & *ſepoſitis aliis conſiderationibus*, *poſſibilem* eſſe: Verum, quia reapſe ſupra poſſibilitatem, ſub modo dicta reſtrictione, tua non adſcendit explicatio ac ἀποδειξις, alteram illam, quam interpretes alii adoptarunt, & ſecundum quam *vaticinium de* CHRISTO, ſive *myſterium incarnationis filii Dei in utero mulieris Virginis* hetc reperire ſibi videntur, tanquam ſcopo, nexui, circumſtantiis, verborumque ſignificatui ac ponderi, quin & locis parallelis, æque, nec minori demoſtrationis gradu, convenientem, adeoque hac ratione *pariter poſſibilem*, me hactenus præferre; atque ſuadere rationes theologicas, ut tamdiu in hac, ceu *nobiliori*, acquieſcamus, quamdiu illius prioris veritas & prærogativa nondum evicta ſit clarius ac evidentius.

Eja, Vir clariſſime, dum tempus aliquod ſuppetit, eamus, data in anteceſſum in ſignum perduraturæ amicitiæ dextra, eamus,

eamus, inquam, ambo, & quid hujus rei sit, videamus; eo magis, quia Tu in postremis tuis literis, dictis meis minus recte intellectis, ratus es, me ex sola *Nobilitate subjecti in mea hypothesi* argumentari, quæ argumentandi ac probandi ratio mihi nunquam in mentem venit. Iturus vero forte haud abs re erit, gressus quasi, ut alias in scriptis assolet, signis quibusdam jam interstinguere.

§. 1.

Expositionem tuam, adeoque & hypothesin, in se spectatam, & sepositis aliis considerationibus, nullam involvere contradictionem, adeoque eatenus *possibilem* esse, modo dixi: Quare non opus est, ut plura nunc in initio ea de re adjiciam. Verum scire jam simul ex Te vellem, Vir Doctissime, quid in altera explicatione, quæ meam in se continet hypothesin, videas, quominus sit (si ita tantisper, quando in rebus adhuc dubiis disceptamus, modeste loqui fas sit,) *æque possibilis?* Verum est, ex *scopo* & *nexu* orationis profetæ imprimis argumentaris; quasi vero is mihi esset contrarius, meamque hypothesin plane non admitteret? Non putem: Si modo hæc duo observemus: Nimirum 1.) *scopum specialem alicujus pericopæ cum maxime in Profetiis*

tiis Vet. Teſt. non ſejunctim ubivis a generali, qui eſt totius Sacræ Scripturæ; ſed ſæpius conjunctim cum illo, ſigendum eſſe. 2.) *Nexum orationis iterum non in ſe ſolum; ſed in collatione cum ipſis verbis, quæ in nexu obveniunt, & quæ tractamus, ſpectandum ac dijudicandum eſſe.* Quod ad *prius*, ſcopus generalis totius S. Scripturæ eſt Chriſtus & revelatio conſilii viarumque Dei ad nos per Chriſtum ſalvandos: & S. Scriptura in hoc reſpectu quaſi *unicus tantum liber* eſt, ſeu ſpectanda ea, ut *unum totum*, cujus ſinguli libri ſunt partes: vel, uti *Cl. Wyttenbachius* in Comp. Theol. dogm. & mor. §. 95. ſch. 1. loquitur: *Scriptores S. omnes ut unus tantum reputantur, quoniam omnes ab eodem Spiritu afflati*; adderemque ego: atque *omnes unum eundemque ſcopum generalem* habent, quo certo modo collimant omnia eorum ſcripta: Neque putem, Jeremiam e. gr. unquam de rebus Judæorum, qualescunque illæ ſint, vaticinaturum fuiſſe, niſi propter Chriſtum id factum, qua in re ei & omnibus S. Scriptoribus, cum maxime profetis, arcana intercedit ſanctiſſimaque harmonia & quaſi conſpiratio cum omnibus, dictorumque ex Spiritu S. directio: quæ conſtans S. Scripturæ in hac veritate fundamentali, æque ut in aliis ei adhærentibus, harmonia ſub vocabulo *analo-*

giæ

giæ fidei alias comprehendi consuevit, & *parallelissimum* S. Scripturæ concernit in suo genere excellentissimum, spiransque aliquid plane divinum. *Alterum* vero quod attinet, quod verba & nexus in oratione inter se debeant conferri, id æque evidentissimum est, ne, dum nexum sequimur presse, verborum ponderi detrahamus: Quod in oratione profetarum sæpe usu veniet, quando illi, dum per longiorem orationis nexum ac seriem de beneficiis corporalibus vaticinantur, derepente sæpius, Spiritu S. acti, mentem ad æthera, ad longe sublimiora, inquam, ac Spiritualia, cum maxime in CHRISTO vel regno Ejus adimplenda, evehunt atque extollunt. Ecquam sæpe, si hoc non observemus, præstantissimæ de *Christo*, principe ac rege ex Davidis prosapia oriundo, promissiones de *nudo aliquo homine*, principatum forte inter Judæos olim tenente, *Salomone, Hiskia, Zorobabele* &c. ut Judæi, occœcatis judicio divino eorum oculis, utplurimum instituunt, explicandæ erunt, omnisque in verbis profeticis vis ac robur pondusque, eorum, interpretumque Judaizantium, si vel Christiani sint, more, infringi debebit? Adverte modo, si placet, animum, dum hæc statim præsto & ob oculos sunt, ad Jerem. XXX, 9. & tum iterum v. 21. & hæc inter

centena alia exemplorum loco habe. Promiſſionesne ibi invenis de Chriſto, ſecundum proſapiam & munus ſuum characteriſato? Sequere vero preſſe tuum, quem urges, nexum in utroque loco, & ex illo ſolum argumentare, nullo adhibito ſtudio in verborum vim ac pondus, & neglecta analogia fidei, ſive harmonia ac parallelismo S. Scripturæ generali, quatenus Chriſtum concernit, ac vide, an non Chriſtus in ipſis illis locis, alias clariſſimis, Tibi evaneſcit, perit, quaſi velum oculis injectum ſit.

§. 2.

Jam hiſce præmiſſis, ad *locum ipſum*, quo de inter nos agitur diſputatio, accedamus propius. Verum eſto, ſaltem, Vir Venerande, inter nos, (nam alios interpretes in alia abire, atque autumare, ad Judæorum ex exilio, in quo hodiedum inter gentes diſperſi ſunt, adeoque ad converſionem eorum in ultimis temporibus exſpectandam, profetam reſpectum feciſſe, notum eſt,) Verum, inquam, eſto, promitti heic, quod ad ſummam oraculi capp. XXX. & XXXI. Jeremiæ, *liberationem ex captivitate Babylonica, reditumque in Canaanem* & ſic porro: Quid tum ſive in *ſcopo* ſive in *nexu* erit, quod meam hypotheſin evertat? a) Ipſe admittis, Vir Cl. in-

ſimul

simul in hac profetia promitti *fœderis novi erectionem*; proindeque ad *tempus N. T.* & quod hinc consequitur, ad *tempus* MESSIÆ respici. Adjicio, quod & imprimis *de adventu, excitatione & manifestatione Messiæ in carne*, promissio immisceatur; hoc ex c. XXX. 9. & 21 extra dubium est positum. Porro, si jam descendo b) ad *nexum proximum loci nostri*, de quo quæritur, liceat mihi illum ipsis tuis verbis *Biblioth. Novæ Bremens.* pag. 556 describere. Fateris nimirum, "profetam in eo esse, ut *consoletur* "*pios*, qui ren. desperatam esse lamentaban-"tur, nullumque supereſſe auxilium cense-"bant, qui contriti corde & pœnitentia ido-"lolatriam detestabantur, seque ad Domi-"num Deum suum convertebant. -- Imo, ut "certiores redderentur de futura sua felici-"tate, profetam, *inquis*, *v.* 21. 22. cum "apostrophe Judæos resipiscentes alloqui, "& monere, quasi jam tempus adesset, & "dies salutis, ut sibi ponant monstranda-"rum viarum ex Babelis regno in Canaa-"nem signa, & sic porro." Ecquid in hoc *nexu* est, quod meæ sententiæ contrarietur, quo minus in loco nostro *v.* 22. *de Christo nascituro*, eadem prorsus ratione ut cap. XXX. 9. & 21. iterum mentio ac promissio injiciatur, eaque, ceu argumento prægnantissimo atque excellentissimo *piorum* mentes

excitentur ac moveantur? Profecto, id non video. Certe, verba ipsa, *nam Jehova novum creavit* (more profetarum tempore præterito ob rei certitudinem pro futuro posito,) *in terra: Femina circumdabit Virum*, si cum nexu, si in eo considerentur, tam excellens quid innuunt, quam quod excellentissimum: & Subjectum dignius sub tanto verborum apparatu, quasi *montes parturirent*, (da veniam huic phrasi profanæ,) non cogitatur quam *Christus*. Fateor equidem, quod Tu ex verbis elicis, *Israelitas imposterum sine idololatria constanter Deo suo adhæsuros*: etiam magnum & excellens quid esse: sed tamen non ad eum excellentiæ gradum adsurgit, quam id, quod ex mea sententia innuitur, nec *verborum pondus*, de quibus deinde, exhaurit. Et si nexum jam *in se* spectes, & *cum nostris illis verbis in versu* 22. ad quæ ducit, modo generalissime *conferas*, in ipso illo *nexu* aliquid est, quod ad meam sententiam corroborandam, eique præoptionem conciliandam facit. Dicis ipse, Vir Doctissime, *profetam solari*, ac solari *pios*. At vero, quinam sunt illi *pii;* quosque *Profeta* solatur? Si non alii sunt, quam qui spe *liberationis ab idololatria* ducuntur, sensu valde imbecilli pii sunt, nec putem, saltem ex mente *profetæ*, sive, quod idem est, *Spiritus Sancti*, pios ejusmo-

modi intendi. Liberatio equidem & converſio conſtans ac univerſalis ab idololatria magnum eſt; ſed excitatio tamen & manifeſtatio per nativitatem Meſſiæ longe majus eſt, ſpeique ac ſolatii fidelium των προηλπικοτων εν τω ΧΡΙΣΤΩΙ. Eph. I. 12. cujus promiſſione Spiritus S. vere pios in populo Judaico temporibus profetarum, ut ut ſub involucris ſermonum & quaſi ænigmatico dicendi genere, conſolari conſuevit! valde dignius objectum, omniumque viarum Dei cum populo-Iſraelitico, ſecundum ea, quæ patribus ipſorum de Semine benedicto & ſalutis impetratore dicta erant, fundamentum primarium ac validiſſimum. Ecquid ergo eligemus? Id, quod ex tua ſententia verbis comminatis 22. dicit profeta; an vero id, quod ex mea hypotheſi? Credo, hactenus meam hypotheſin prævalere. Idque eo magis, quoniam idem c) vel *ex conſequentium* nexu poteſt elici & firmari iterum. Ais, Vir venerande, pag. 557. dum in eo es, ut nexum capitis, ut ut generalius, oſtendas, "*verſum* 34. in ſe continere promiſſionem divinam, ſub novo "Fœdere neminem dubium futurum, quis- "nam eſſet *Meſſias promiſſus*, aut quem- "quam id ignoraturum;„ idque rectiſſime dicis. Sed annon id ipſum meam ſententiam ſaltem eatenus adjuvat, quatenus tum

præſupponitur, in antecedentibus profetam de *Meſſia* jam injeciſſe mentionem? Et ubinam? Dices, cap. XXX. 9. & 21. Verum quidni etiam propinquius hoc cap. XXXI. tum *v.* 18. phraſi ſenſu ſtrictiori ſumta & collata cum ea cap. XXX. 9; tum *v.* 22. loco noſtro illuſtri; tum & verſu 25. ex quibus inter ſe comparatis eo plures conſtituuntur characteres, ex quibus Meſſias ſuo tempore in carne manifeſtatus, reliquis criteriis ex verbo profetico non neglectis, erat cognoſcendus & agnoſcendus Verba enim commatis 25. collata cum præcedenti 24. cujus in oratione ſequela ſunt: Habitabunt in ipſa Judæa & omnibus civitatibus ejus pariter agricolæ & pecuarii: *cum ſatiavero animam defeſſam & omnem animam moeſtam explevero*, habent etiam tam excellens quid, quod ſe ad gratiam Novi Teſtamenti refert, & tam prope cum effato Servatoris Matth. XI. 28. utpote qui ad illum locum videtur alluſiſſe, conveniunt, ut revera in iis de Meſſia, quo ſine feſſæ piæ animæ non poteſt contingere ſatietas, nec moeſta poteſt expleri, agi, hincque manifeſtationem ejus in carne, de qua *v.* 22. præſupponi, mihi nullum ſit dubium. Quin imo, integra illa pericopa inde a verſu 22 usque ad 26. exemplum iterum præbet novum & propinquum, quam ſolenne ſit profetis, cum maxime ubi de

feli-

felicitate Israelitarum seu Judæorum ex Babele in Canaanem reducendorum agunt, ut, Spiritu S. acti, a bonis corporalibus animum evehant ad bona Spiritualia Novi Fœderis, vel talia, quæ eo ducunt, immiscean sermoni, ceu *spei* æque piorum tunc temporis, ac *fidei* in futuro tempore Novi Testamenti, quando per implementum ipsum forent exhibita, fulcrum ac fundamentum firmissimum. Et quam elegans denique, præter hæc omnia, posset institui d) comparatio inter locum nostrum & illum illustrissimum JESAIÆ *cap. VII.* 14. *coll. VIII.* 10. ad amussim fere nostro parallelum? Ibi, in loco Jesaiæ, ponitur *partus Messiæ ex virgine* suo tempore tam certe, ac si jam res in eo esset ut fieret, futurus, in *signum* & argumentum suasorium, ne animum despondeant, sed potius ad fiduciam se disponere patiantur, haud fore, ut regnum Judæ & domus Davidis unquam evertantur, vel a potentissimis hostibus prius, quam principalis illa de Messia Immanuele Redemtore in carne ex domo Davidis, & quidem in Canaane, hinc *terra Immanuelis* dicta, manifestando atque excitando, sit impleta. Heic in nostro loco Jeremiæ, si meæ hypothesi assensus præbeatur, illud idem argumentum urgetur, in casu parum dissimili. *Animum* nimirum *a piis non esse*

abjiciendum de reditu in Canaanem ac restitutione Reipublicæ. Oportere, ut eo reducantur ac revertantur. *Terram illam* esse Terram *Immanuelis*, manifestationi Messiæ ex *Juda* destinatam. Fore, ut JEHOVA omnipotens ac verax *novum*, planeque singulare ac mirandum, *in illa terra creet*, scilicet id, quod jam alias in *signum* ac argumentum spei ac fiduciæ *in rebus maxime angustis & dubiis* sit propositum, & quod pii ex *luce profetica* anterioribus temporibus jam impertita, novisse poterant ac debebant, nempe quod עלמה *virgo*, sive נקבה *fœmina virgo*, sit *gravida futura & circumdatura* & utero conclusum gestatura *Filium* ob *robur* ac fortitudinem vere divinam *Immanuel* dicendum, sive *Virum* ac *prolem masculam*, *Viri* ad instar, ut ut infans primo foret, eo robore præditam inde ab utero, ut vel, si ulterius respicerent, *Serpentis Diaboli sit contriturus calcaneum* Gen. III. 15. *Semen*, *Benedictionis omnium gentium suæque* imprimis ex promissione Abrahamo facta Gen, XII. 3. XVIII. 18 XXII. 18. fons ac fundamentum, *regia* ac *heroica* ex domo Davidis *proles*, ante cujus adventum ex Vaticinio Jacobi Gen. XLIX. 10. *Sceptrum a Juda nunquam* plane pleneque *sit auferendum*. Verum hæc de scopo ac nexu nostræ profetiæ quin & ex parte paral-

le-

lelismo', & quale mea hypothesis ex illis habeat præsidium, abunde sufficere possunt.

§. 3.

Ad *verba ipsa* si accedamus, placet Tibi, Vir cl. *subjectum primo* & *dein prædicatum*, nimirum si integrum enunciatum sumatur, contemplari. Qui quidem *Tractationis ordo*, cum naturalis sit, non habeo, quod in contrarium moneam; modo non subsit aliquid δουλείας ὑπθέσεως, & justa metus causa nulla sit, per hunc ipsum ordinem *vim* ac *pondus verborum*: *Jehova novum creabit in terra* infringi, & illam *excitationem*, quam verba, in initio enunciati lecta, menti statim injiciunt, & quæ ad verum loci sensum figendum non de nihilo est, perire, enervari, eludi; quod cum justæ ἑρμηνείας regulis haud conveniret. Certus sum, quod consideratio verborum per *duas positiones*, servato eorum, ut in textu occurrunt, nativo ordine a) æque bene possit institui.

a) Ac forte id suadet *accentuatio*, quæ ex mente plurimorum & magnorum V. T. Interpretum efficit, ut methodus quoad enunciata illius partis S. Scripturæ, non semper sit libera. Ubi mentem subit hac occasione grave *Abenezrae* dictum, quod ex *Joh. Buxtorfii* Thesauro Grammatico excitat cl. *Alphenius* de usu accentuum in libris

Ita, ut prior harum positionum in se contineat *generalem propositionem* magnæ ac miraculosæ rei, quam DEUS, & quidem in Terra Canaane, terra promissionis, sit effecturus; posterior vero *propiorem hujus rei declarationem & expositionem.* Saltem si is ordo servetur, animus necessario imbuitur, ac, quemadmodum id Spiritus S. omnino videtur esse intentio, sancte præoccupatur, ut hæc verba audiens: *Jehova novum in terra creabit*, non nisi *singulare*, *extraordinarium*, *magnum* & *excellens* quid sibi imaginetur, quod dein facit, ad rem æque magnam sub altera phrasi: *Fœmina circumdabit Virum*, concipiendam. Atque illa ipsa res est, quam in methodo, quam Tu elegisti, desidero, & quæ tamen fundamentum exegeseos, quod ipse Spiritus S. videtur suppeditasse, in se continere videtur. Pone enim, primo considerasses

no-

bris Biblicis V. T. Ultraj. 1729. 4. pag. a Titulo aversa: *Quaecunque Expositio non fuerit secundum rationem Accentuum, neque acquieſcito ei, neque audias eam.* vide & in hoc *Alphenii* libro §. imprimis VIII. Imo adde, quæ cl. *Jo. Jac. Rambachius* egregie monet in Hermeneut. S. Lib. II. cap. VI. §. XIV. p. m. 247. ubi, *ordinem*, ait, *quem Spiritus S. in dictis servavit, virile quandoque adminiculum Interpretationis adferre*, cet.

novum, *quod*, *Jehova creaturus sit*, quomodocunque vocabulum *novum* explices, semper idea *magnæ* & *excellentis rei* animo excitatur. Dum vero ea res dein non alia ex sententia tua est, quam *conversio ab idololatria* ac *constans adhæsio veri Dei*, vilescit, posita ea tua sententia, oratio, & fallitur mens, tam magnum & excellens, ad quod præparata erat, non percipiens. *Constantis* enim adhæsionis, sive & *universalis* conversionis populi, in quo tu excellens quid quæris & ponis, saltem in verbis Textus *nulla est expressa*, ad quam mens statim ducatur, *mentio*. At vero pone in hoc ordine verborum, ut in Textu jacent, hypothesin, *fœminam virginem in utero concepturam Virum*, attentio non minuitur, sed augetur. *Aenigmaticum* enim (saltem in majori gradu ac in tua hypothesi,) tum dicendi genus est, *profetis familiare*, & *scrutinium* injicitur, quid illud rei sit, quod *tanto hiatu*, (sit venia verbo,) *Deus novum creabit in terra*, in posteriori phrasi: *fœmina circumdabit Virum*, dignum sit? quod, quia in ordinaria ac quotidiana re non potest esse sitnm, ducit ad rem prorsus *extraordinariam*, *fœminam singularem*, ut dixi, eamque, quia *nude*, æque ac Gen. III. 15. *mulier* sive *fœmina* dicitur, *virginem*, atque hinc ad *Messiam*, qui ut ex promissionibus ante-

anterioribus jam notum esse poterat, ut *Semen mulieris*, *ex conceptione & partu fœminæ virginis* exspectandus erat, & hic tantum *in novo gradu lucis profeticæ*, quod ad conceptionem, conceptionisque modum, vi nimirum supernaturali ac creatrice omnipotentis Dei, proponebatur. **)

§. 4.

**) Suspicatur Doctissimus Amicus in instituto meo, quo antequam verba: *Jehova Novum creabit in terra*, illustravi, Novum illud: *Femina circumdabit Virum*, determinare quæsivi, aliquid δολιας υποθεσιως subesse, & me, veluti studio, hanc explicationis methodum elegisse, ut vim & pondus argumenti, quod pro communi sententia ex ordine verborum peti possit, ipseque petit, eluderem. Nullam autem suspicionis hujus causam esse ipse fateatur necesse est, dum agnoscit me servasse ordinem tractationis *naturalem*, seque non habere, quod exinde moneat in contrarium. Qui enim sanæ Logices regulas sequitur, quomodo devocari possit in suspicionem doli alicujus mali percipere nequeo. Næ potius hac ipsa suspicione, mihi nimis suspiciose conflata, cum jugiter naturalem rerum ordinem servandum esse censeam, in disquisitione præsertim Exegetica, eundemque etiam in hoc loco Jeremiæ, nulli adfixus hypoſi, *favens autem communi*, servaverim, se ipsum Humanissimus *Zachariae* accusare videtur, quod δολιως υποθεσιως ergo *naturalem* tractationis ordinem neglexerit!

Prior

§. 4.

Sed mittam hanc iterum disputationem præliminarem, & potius eundo Te sequar in ordine, & quam facile omnia de MESSIA ver-

Prior positio, *Jehova novum creabit in terra*, omnino *generalem propositionem in se continet magnae & miraculosae rei, quam Jehova Deus, & quidem in Canaane, nempe terra promissionis sit effecturus;* posterius vero testimonium *propiorem hujus rei declarationem & expositionem.* Lubentissime hæc concedo. Verum concedi mihi quoque velim, ex propiori rei declaratione & expositione demum concludendum esse ad definiendum vel determinandum novitatis & magnitudinis rei, de qua sermo est, gradum, qui in generali propositione ipsi tribuitur. Verum quidem est, generali hac propositione ex intentione Spiritus S. præparari animum & sancte præoccupari ad exspectationem certam audiendæ rei magnæ, excellentis, singularis & extraordinariæ; imo Jehovæ, Dei Israelis, tum Potentissimi tum Veracissimi opera esse, quæ promittere & prædicere Spiritui Sancto constitutum erat. Excitant revera verba hæc adtentionem & reverentiam, sed tum demum de magnitudine & excellentia rei mirandæ judicare possumus, quando illa redditur explicita. Per declarationem & expositionem ipsius rei convincimur, opus hoc Novum esse, & tale non nisi ab ipso Deo posse patrari, qui Omnipotentiæ & Veracitatis Suæ docu-

verba phraſesque poſſint explicari oſtendam; verum oratione id oſtendam non prolixa, ſed contracta, quæ ob minorem, quam in iis verbis invenio difficultatem, atque eorum evolutionem ac ſignificatum a Temet ipſo jam ex parte fixum, ſufficere poterit.

§. 5.

documentum præſtiturus eſſet excellentiſſimum. Patet inde, nihil hoc argumento pl. Ven. Amicum lucrari pro ſtabilienda, quam adoptavit, ſententia, niſi demonſtret Univerſalem populi Iſraelitici ab Idololatria converſionem, ejusque conſtantiam in adhæſione Veri Dei, neque *Novum quid*, neque ab Omnipotentia & Veracitate Dei eſſe profectam, & ſententiam meam nexui plane eſſe contrariam. Extraordinarium, Excellens, Supernaturale & Divinum in conceptione Filii Dei, & partu feminæ Virginis agnoſco, & exoſculor *Omnipotentiam & Veracitatem* Dei hoc Opere demonſtratas. Verum exinde mihi non vileſcit oratio de Univerſali hac Judæorum ab Idololatria converſione, quam Deus promiſit, eamque ut opus extraordinarium, excellens, ſupernaturale & divinum expoſuit, qua ut & eorum liberatione pariter *Omnipotentiam & Veracitatem* Suam abundantiſſime probavit Deut. XXX. 4. 5. 6. Ezech. XI. 16-21. XXXVI. 22. -- Jer. XXIV. 6. 7. XXXII. 37. -- Quin quod & quæſtio formari poſſit, quodnam Dei opus *reapſe* præſtantius magisque Divinum dici poſſet; vel

Con-

§. 5.

Ita nimirum se res primo habet cum voce גבר. Ea notat *virum;* & quidem, vi originis, *virum fortem.* Sed &, quoniam æque ac sequens vocabulum נקבה *nomen sexus* est, in genere *marem*, eine Person männlichen Geschlechts, embryone non excepto Job. III. 3. Locus momentum habet, & verbis cl. SCHULTENSII, quæ Tu, B. B. N. T. II. p. 558, excitas, cum applicatione ad το גבר in loco disputato Jeremiæ, facile subscribo. Nulla persona dignior erat, quæ, *ob captandum* faustum omen, inde

Conceptio Christi, Sanctissimi hominis, in femina Virgine, operatio miraculosa & physica; vel Conversio Universalis totius populi ab Idololatria, operatio in regno morali miraculi speciem ferens, licet eum in finem edita, ut ad ortum Messiæ ex populo Judaico & prosapia Davidis viam sterneret, ad quem omnes viæ Dei cum populo hoc respiciunt. Sed hanc quæstionem nunc non discutiam. Solummodo moneo me cl. RAMBACHIO assentire, sc. *ordinem, quem Spiritus Sanctus in dictis servavit, virile* quandoque *adminiculum Interpretationi adferre.* Sed opinor, cl. *Zachariae*, inspectis exemplis a cl. *Rambachio* prolatis, fateri velle, exempla hæc nihil vel parum cum loco Jeremiæ, quem tractamus, habere commune. N. B.

inde ab utero matris גבר diceretur, ac Messias, der Mann und Held, ders ihm thun würde. Aeque ut ipsa hæc vox omnino vi non originis tantum, sed & usus, sæpissime saltim, *aliquid præpollentiæ* secum fert, ac *indicare* videtur: id quod tum *indicium* haud immerito suppeditat, etiam *in illustri hoc loco Jeremiæ* agi de tali persona prorsus singulari, quasi *præpollenti* & illustri, *maximæque exspectationis*, plane, ut omnibus id de Eo promissionibus commune est, ut personam vel hoc vel illo respectu *magnam*, *validam præpollentemque* indigitent. Et talis גבר *mas*, *proles mascula*, vios ΑΡΡΗΝ, Apoc. XII. 5. quin etiam גבר cum respectu ad *vires*, *robur* ac *fortitudinem* b) est Messias; atque fuit inde *ab infantia*, quin *in utero matris*, tum quia unctus Spiritu Sancto,

b) Conceptus & *Viri* & viri *fortis* a conceptu Messiæ, ut videtur, est inseparabilis. Præterquam enim, quod fluat ex ipsa denominatione משיח, quæ cum maxime tempore nostri Jeremia jam nota erat; itemque ex eo, quod ex stirpe regia, ceu filius princeps ac regius, rexque futurus. (conf. Jerem. XXX. 21. it. XXIII. 5. 6.) oriundus erat: idem suggeritur illustrem in modum hinc inde in S. literis, ut Jes. XLIX. 24. 25. coll. Luc. XI. 22. Jes. LXI. 1. &c. ne, quam in ipsa jam regnet prima promissione Gen. III. 15. nunc commemorem.

cto, Spiritu עצה וגבורה Jes. XI. 1. 2. ab utero; tum quatenus humana ejus natura in unione spectatur hypostatica cum Divina. Equidem & in abstracto, quoad *naturam humanam*, dicitur גבר, respectu ad vires & robur, ut videtur, posthabito, Zach. XIII. 7. Sed in concreto, ceu *Immanuel* & Θεανθρωπος, voce quæ nostræ est analoga, audit אל גבור Jes. IX. 6. idque vi hujus loci rursus *inde a nativitate*, conf. & Matth. I. 23: In summa, cur Messias in loco nostro sub voce גבר non possit intelligi, plane non video. Nam si putemus, eam minus convenire *nascituro* vel *in utero* concluso, id tantundem esset, ac si quis difficultatem moveret, Redemtorem Messiam non posse intelligi sub זרע *semine mulieris* Gen. III. 15. quia illa vox strictissime ad *progeniem*, quando vi nativitatis originem ex parentibus trahimus, respicit; is vero Messias, non ut modo prognatus, verum ut גבר *in ætate virili* proprie serpenti Diabolo, quando per passiones consummatus est, contriverit calcaneum.

§. 6.

Sed pergamus ad *reliquas voces*. Ubi primo quod ad vocem נקבה, ipse concedis, vir cl. eam *fœminam* sive *Sexum fœmineum* designare, ac saltem æque facile fœminam,

quæ *nondum peperit*, adeoque *virgo* eſt, ac talem, quæ jam virum cognovit, denotare poſſe. Bene. At vero *το poſſe* prius, quod concedis, ego parum abſum, quin pro materia ſubſtrata in hoc loco extendam ad *το debere*: Et dico, illam ipſam ob rationem vocem heic non *nude* tantum poni; verum & ſontice uſurpari a Spiritu profetico *nomen Sexus*, quod generale eſt, & in idea prima non ad aliam perſonam fœmineam, quam quæ adhuc *illibata*, adeoque *virgo* eſt, ducit. Plane ut in loco notabili Gen. I. 27. de *Eva modo creata*, certeque adhuc *virgine*, in hoc ſignificatu uſurpatur. Et quod dein eadem illa vox נקבה *individuum* ſeu perſonam diſtinctam deſignare poſſit, id liberaliter non tantum iterum concedis; ſed &, ſi vel negares, ex loco modo citato Gen. I. 27. V. 2. & forte aliis pluribus, probatu eſſet facile.

§. 7.

Equidem Tu putas deinde, Vir Doctiſſ. illam fœminam in noſtro loco eſſe *gentem Iſraeliticam*, & phraſes בתול תישראל & בת השובבה verſu 21. & 22. eam in rem confers; quin imo dein ex נקבה non tantum fœminam, quæ jam virum cognovit, ſed & per ingenioſam χλιμαχα, adhibita multa eruditione philologica, *proſtibulum* face-

facere contendis. Sed paulo longius hæc petita, ac ex parte nondum probata esse, vel saltem sub mea explicatione subsidere, quis non videt? Dices, Te id non videre. Age ergo, si placet, faciam, ut pateat. Nam 1) si per נקבה *integram gentem Israeliticam* intelligis, jam a notione prima, quæ *personam singularem*, non gentem, involvit, deflectis, & dictionem reddis *impropriam*, id quod longius jam abit, quam par est; nec collatio phrasium *Virgo Israel* & *filia* תשובבה, rem evincit. 2) Deinde, si per *prostibulum* explicas, adhuc longius recedis, nec usum vocis in S. Scriptura in hoc significatu Te probare posse, ipse fateris, ubi potius in bono & nobili sensu, uti Gen. l. cit. (ubi propterea, si rebus maxime seriis jocum interserere liceret, Lutherus per Fräulein vertit,) usurpatur: Placent verba, quæ apud COCCEJUM in *Lexico* sub v. גבר lego, quibusque is eo loco potius vocem נקבה explicat. Ein Fräulein, das ist, eine Jungfrau, welche nichts anders ist, als ein Fräulein, welche keinen Mann erkannt hat, hat empfangen einen Mann, den Held, den Allmächtigen. Jes. IX. 5. Et quæ ex profanis Scriptoribus eruditissime pro illo significatu profers, dubito, an ipse asserere audeas, hæc tantisper *probare* quicquam. Quin imo 3) ne in eo significatu

ſumatur, *nexus* eſt contrarius. *Solari* enim vult profeta, ſuadere & exhortari, ut revertatur Virgo Iſraëlis, filia השובבה, id eſt, *averſa* vel *avertens ſe*, ut ego verto, heic dicta, quia animum nimis deſpondebat, & præ mœrore a profeta exhortante *ſe* quaſi *avertebat*, nec dictis obedientiam præſtabat; fere ut Iſrëlitæ in Aegypto, qui *non attendebant ad Moſen præ anguſtia Spiritus & ſervitute dura*, Exod. VI. 9. Quin *maximam* ideo *promiſſionem* ſubjicit, ut vel ſic erigat & moveat fortius: An in hoc rerum nexu credibile, ut gentem Iſraëliticam ſub denominatione odioſiſſima, ſub Titulo & emblemate *proſtibuli*, deſignaverit? Vereor, ut κλιμαξ orationis in hoc ſenſu elegantiam ſecum ferat. ***)

§. 8.

Si jam porro ad *futuram Virum hunc* גבר *inter &* נקבה *fœminam relationem* progrediamur: Tu, Vir celeberrime, equidem in eo es, ut probes, phraſi iſta נקבה תסובב גבר nihil aliud declarari, quam *converſionem fœminæ vel Virginis Iſraelis*,

***) Quare non? Ad excitandam pœnitentiam ſeriam res ſuo nomine deſignandæ erant, ut execrandum crimen, ſuis coloribus depingendum, & promiſſio Divina hoc ipſo jure merito exeggeretur. N. B.

lis, Idololatria ſtupratæ, ad Deum Dominum, & Virum vel ſponſum ſuum veterem, purumque ejus ac defæcatum redintegratumque amorem, idque ex evolutione verbi סבב operoſe & cum multa eruditione, originaria verbi notione apud Arabes ſuperſtite in ſubſidium vocata, docere annitaris. Sed quid tum? Concedam tantisper ex demonſtratis *poſſibilem* tuam eſſe interpretationem: An vero ſimul probatum eſt, eam & *debere* ſic inſtitui, nec contrariam, id eſt meam, æque *poſſe* habere locum? Opinor, quod debeat interpretatio ſic, ut facis, inſtitui, non evictum eſſe; quin imo meam exegeſin, quæ *circumdationem, concluſionem* per conceptionem *prolis maſculæ*, ſeu Meſſiæ, *in utero fœminæ virginis* ponit, *notas* habere quasdam, quæ efficiunt, ut *præferatur*. Nimirum, dum hoc agis, Vir cl. ut originariam vocis סבב notionem demonſtres, ipſe ſimul diſerte commonſtras, *ardentem amorem*, quo aliquem quaſi *amplectimur*, ſub illa notione involvi: Poſito vero hoc, (pro quo, ut ponere poſſimus ex obſervatis tuis doctiſſimis, hypotheſeos meæ Patroni mecum Tibi gratias agent,) illa ipſa de *conceptione prolis maſculæ, Meſſiæ, in utero fœminæ virginis* explicatio propius confirmatur, ut eam non tantum tuæ interpretationi ſeu hypotheſi

æquipollere, verum & præ ea prærogativam ſibi vindicare, tam clarum ſit, quam quod clariſſimum. Rides forte, ſed amico tuo, quo mihi cognitus es, more, hanc meam audaciam, & quæris, cur hoc? Ideo, Vir Clariſſime, quia a) in eo ſenſu, quem ſuppeditaſti, procul dubio vox סבב *magis proprie* ad *conceptionem* indigitandam, quam quidem ad *cultum religioſum*, quo Deo amore puro & ardenti adhæremus, apta eſt, utpote ubi jam ſignificatus verbi *proprius* derelinquitur, & *metaphoricus*, quod tamen ſine prægnanti ratione haud faciendum eſt, adoptatur. Et quam bene b) cum *natura rei* iſte ſignificatus verbi סבב *proprius*, abs Te indicatus, jam convenit? Quid enim fit, quando fœmina *concipit* infantem in utero? Ecquid fit aliud, quam ut illa (caſte hæc dico,) *flagranti amore* perfuſa, velit ac cupiat prolem in utero recipere ac *amplecti*? Uri forte B. Virgini MARIÆ ſimile quid accidit, quando verbum Domini per Angelum fide recepit, *Ecce*, inquiens, (quia nimirum *apud Deum*, qui *creat*, quæ vult, quique ברא חדשה בארץ Pſ. CXV. 3. Jer. XXXI. 22. *nulla res impoſſibilis*,) *Ancilla Domini ſum*, FIAT MIHI, *ſecundum verbum tuum*! Luc. I. 38. Ita, ut ſub actu fidei, actu ſanctiſſimo, cum actu amoris Dei & Chriſti conjunctiſſimo,

digna

digna sit reddita, quæ non ullius hominis, eam naturaliter imprægnantis, sed modo præternaturali, ope & virtute divina *creatrice*, ,imprimis Spiritus Sancti, Luc. I. 35. *Prolem masculam*, *Servatorem mundi*, *Semen mulieris*, Messiam patribus ut alibi, ita & in nostro loco Jeremiæ, jam hoc momento in suo ænigmate soluto ac impleto, *conceperit*, *amplexaque* sit, atque ad tempus partus usque constanter *foverit*. *Cultus* vero *religiosus*, si *sub voce* סבב intelligi debeat, (quodque an in ipso loco *Hoseæ XII.* 1. fiat, adhuc dubito; non enim τὸ סבב sed τὸ כחש *mendacium*, cultum, scilicet falsum, inibi exprimit,) eo non nisi per significationem vocis *impropriam* adeoque *metaphoram*, devenire possumus.

§. 9.

An jam opus erit, ut aliquid addam circa *prædicatum* in Textu: יהוה ברא חדשה בארץ *Jehova novum creavit*, seu, quia profeticum est illud præteritum, *creabit in terra*: Quod Tu, Vir cl. prædicatum sub forma *objectionis*, nimirum, quia suboles, hoc Tibi maxime obesse, proponis ac tractas? Non putem. Quia ego heic singula verba in sensu suo *primo nativo*, *maxime consueto* ac simul *emphati-*

eo c) retineo; Tu vero (da mihi veniam, pro tuo veritatis ac mei amore, si fallar,) ut *debilem* effingas sensum, demonstratione quasi operosa declarare allaboras: Et nisi ex amore hypotheseos illa omnia provenissent, dubito, an unquam Tibi talis expositio sit placitura. Atque ubi manet phrasis בארץ *in terra*? An illa in loco tam conciso profetico, ubi ne jota quidem frustra positum, nullius considerationis est; an nullam habet emphasin? Certe nullam habet ex tua adoptata hypothesi. Conversio enim ab idololatria & alibi quam in Terra promissionis, in quam Judæi debebant reverti, poterat fieri, & credibile est, eam revera jam extra eam, in Babele, factam.****)

Sed

c) Emphaticum illud, posita mea hypothesi, *tum* in voce יהוה, quatenus non potentiam solum, sed & *veracitatem* in implendis promissionibus anterioribus, cum maxime de Christo, Exod. VI, 3. 2 Cor. I, 20. involvit; *tum* in voce ברא per se; *tum* & imprimis in voce חדשה, si cui locus Eccl. I. 9. אין כל חדש in mentem veniret, eique hunc locum heic conferre allubescat, conspicuum est. De phrasi בארץ mox supra.

****) Suspicionem pl. Rev. Amici; ac si studio tractationis ordinem, qui naturalis est, servaverim, ut debilem Vaticinio huic affingerem sensum, jam in Qbservatione ad

§. 3.

Sed ex mea hypotheſi emphaſin habet elegantiſſimam. Nam *terra Iſraelis* ea erat, ubi Meſſias debebat naſci, hinc *Immanuelis* dicta, ut ſupra jam monitum, non alia.

§. 3. propulſavi ad convictionem uſque. Patet exinde, me prædicatum non ſub ſola forma Objectionis, quoniam ſubolebam hoc maxime mihi obeſſe, propoſuiſſe & tractaſſe. Diſpiciendum mihi nimirum erat, an Converſio Judæorum Univerſalis ab Idololatria gentium, & in hunc uſque diem conſtantiſſima, prædicato conveniret; & eo ipſo deductus fui ad cauſam præcipuam, quare multi Interpretes verba hæc de admiranda conceptione Meſſiæ in utero feminæ Virginis explicuerint; ſc: quod naturalem tractationis ordinem neglexerint, & per verba prædicatum declarantia, quæ certe emphatica ſunt, ſibi imponi paſſi fuerint. Pronum mihi exinde fuit, colligere, ex prædicato objectionem, ſecundum Interpretes aliter ſentientes, momentoſiſſimam, facile formatum iri, quam vero ex naturali tractationis ordine facili negotio ſolvi poſſe, mox intellexi.

Phraſis autem בארץ *in terra*, maneat utique in textu neceſſe eſt, eandem expungere nefas & piaculum foret. An autem nullam juxta ſententiam meam habet emphaſin? Non putem. Sed magnam omnino & forte majorem, quam habet ſententia mihi adverſa. Meminerit modo, amabo, Doctiſſimus *Zachariæ*, dictorum Prophe-

§. 10.

Poſſem de *implemento* quædam adjicere, quod mea hypotheſis longe evidentius habet, quam tua, ſi nempe converſionem Judæorum ad Deum non ſimpliciter, verum cum quadam relatione ſpeciali ad *Deum Dominum, virumque, ſponſum veterem, Meſſiam*, concipias, uti facis: Aſt hæc, ut finem tandem dictis imponam, mitto.

§. 11.

phetarum, quibus crimen Idololatriæ aggravatur ex ea potiſſimum ratione, *quod in terra Domini, Dei Iſraelis*, ubi Ipſe habitabat, illud perpetraverint Judæi, adeoque coram Ejus facie. Ex ſexcentis locis ſatis erit aliquot notaſſe. Ita dicit Deus Jer. II. 7. Veniſtis & *polluiſtis terram meam & hereditatem meam poſuiſtis in abominationem* c. III. 1. nonne *profanando profanabitur terra iſta?* & magis proxime *v. 2. profanaſti terram ſcortationibus tuis & malitia tua v. 9. a voce ſcortationis ejus profanata eſt terra, mœchata enim eſt cum lapide & ligno c. V, 30. XVI. 18. XXII. 29* &c. Hæc ex ipſo *Jeremiæ* vaticinio collegi, neque alios Prophetas, uti poſſem ubertim, in ſubſidium voco. Graviſſimæ ergo erant minæ, quando Deus declarat, *hanc ipſam terram totam* commutatum iri in vaſtitatem, & Judæos ex ea ejiciendos eſſe c. IV. 27. V. 19. XVI. 13. &c. Novum ergo

§. 11.

Potius ad *concluſionem* jam propero, quæ hæc erat: *Rationes* adeſſe, quæ ſuadeant, ut, ſi *ex duabus primariis ſuper hoc loco Jeremiæ virorum Doctorum hypotheſibus, æque* ex Scopo, Nexu, Textus verbis, & Paralleliſmo S. Scripturæ *poſſibilibus ac demonſtrabilibus, alterutra eligenda, hanc*, quam hactenus defendi, & quæ myſterium miraculoſæ conceptionis Meſſiæ ponit, *illam eſſe, quæ debeat præoptari & præferri:* Rationes illæ hæ ſunt. *Pri-*

ergo & mirandum eſſe debebat. & ingens beneficium, cum Deus, Sanctus Iſraelis, promittit Se *pollutam hanc ipſam terram* iterum velle inhabitare, & populum Iſraeliticum in hac terra Sibi adhæſurum, & abominata Idololatria omnis generis benedictionibus beatum fore. Id ipſum promittitur in principio capitis hujus XXXI. c. XXXII. XXXIII. quæ loca exſertim magnam Cataſtrophen in hac ipſa terra, tum naturalem, tum moralem indicant: hinc emphaſi neutiquam caret το בארץ conf. Ezech. XX. XXVI. 20. XXXIV. XXXVI. XXXVII. XXXIX. &c. Quæ in proxime adjecta nota dicta ſunt de Vocibus חדשה·ברא·יהוה, quomodo ſententiam meam κατα τι labefactare poſſint, non video, nam in nomine Jehova & egomet non excludo Veracitatem Divinam. Locus autem Eccl. I. 9. nimium probat, ergo nihil. N. B.

Primo Subjectum in mea hypotheſi eſt nobilius. *Chriſtus* enim eſt; humani generis Servator, prophetarum & totius Sacræ Scripturæ nucleus & ocellus. *Deinde magis decet Chriſtum quærere, quam non quærere* Joh. V. 39. Nam licet id in dictis profetarum *non promiſcue ubivis* fieri debeat, ubi in circumſtantis nec vola nec veſtigium apparet: Longe aliter tamen ſe res habet, ubi in *ejusmodi pericopis* verſamur, quæ multa habent interſperſa talia, quæ ſine omni dubio ad Ejus perſonam, beneficia, regnum cet. pertinent: ubi, ſi quædam nobis obveniant, quæ ſenſum planum non habent, ſed *ænigmatis* ad inſtar propoſita ſunt, tunc, uti licet de aliis, ita & de Chriſto debet cogitare Interpres; an in *doctrina profetica* & *analogia fidei de Chriſto* quædam ſint, quæ *ænigma*, ſeu *nodum* quaſi, *ſolvant*, & repertis talibus *hæc in caſu adhuc dubio, decet reliquis præferre*, & ſic in quærendo ac inveniendo Chriſto in dictis quibusdam profeticis, ſub his circumſtantiis, potius *liberalem*, quam *illiberalem* eſſe. Imprimis vero id obſervaſſe tum haud abs re erit, ubi profetæ in eo ſunt, ut *de reditu Judæorum ex captivitate Babylonica* ac reſtauratione eorum *in Canaane* Reipublicæ vaticinentur; quia tum imprimis hinc inde ſolent interſpergere vaticinia

de

de Christo: Siquidem & ista restauratio Reipublicæ in Canaane, & eorum ex captivitate reductio hac præcipue de causa fiebant, ut *Messias* tandem, ceu Semen promissum per nativitatem *in ista Terra* manifestaretur; & hæc de eo tum proposita vaticinia *spem Piorum*, etiam quod ad Corporalia ipsa, confirmabant tanto fortius: Quæ ex magni nominis Interprete Scripturarum, *Vitringa*, in suis in Jesaiam Commentariis me aliquando didicisse, gratus memini. *****)

§. 12.

*****)Non obstrepo his Canonibus Interpretamenti Prophetici in totum. Modo addi velim, posito, fieri posse, ut exhibeantur duæ loci alicujus interpretationes, quæ re ipsa a se multum discrepant, imo quæ ita sibi invicem sunt oppositæ, ut una alteram tollat necesse sit, quarum quoque utraque in litteratura Orientali fundamentum suum habet, quod fieri posse dicere vix ausim, dispiciendum est, quænam potissimum sententia ex his duabus intellectu facilior & expeditior sit populo, ad quem dirigitur oratio; num ea, quæ ænigma Propheticum in se continet, quod ab oppido paucis intelligi aut solvi poterat, vel ea, quæ, dum phrasibus usitatissimis & familiaribus proponitur, nihil obscuri, nullum ænigma exhibet, & maxime cum nexu convenit. Putem egomet posteriorem, & canonis hujus perspicuitatem Interpretes tan-

§. 12.

Et cum ergo ex dictis jam putem, me non exacte *æquipondium* tantum meæ hypotheseos; verum quantum in hac *amica collatione*, per *discursum* quasi, licuit, & *superpondium* demonstrasse: Ecquid impedit, quominus eo confidentius asseram, hanc meam hypothesin ex duabus primariis eam esse, quæ hactenus merito debeat *teneri*, & in qua, donec ad eversionem ejus doceatur aliquid fortius, tantisper *acquiescamus*. Et *Judæos* quod attinet, & ut modo de his verbulum adjiciam: an illorum curemus *risus*? An mirum hos *incredulos* ridere alicujus loci profetici veritatem *exegeticam*, seu, si mavis, expositionem Chri-

tantum non omnes agnituros esse. Jam faciat doctissimus amicus periculum, applicando Canonem hunc sententiarum nostrarum circa hunc locum Jeremiæ divergio, & ni fallar, sententiæ meæ præpondium cogniturus est. Obstabit quidem ipsi Vaticinium ex Jes. VII. 14. sed cogitet velim, nisi hujus Vaticinii complementum demonstrasset D. Matthæus c. I. 23. haud facile quemquam futurum, qui illius complementum ad conceptionem Filii Dei in utero feminæ Virginis transtulisset. Proferat talem de loco Jeremiæ in N. T. citationem aut demonstrationem, & utroque pede in ejus eam sententiam. N. B.

Chriſtianam, cum non admittant veritatem *dogmaticam*, quæ forte in loco latet, & quam Chriſtianus lumine S. Scripturæ, imprimis & N. Teſtamenti, quod veteris clavis eſt, illuſtratus magnifacit, ille vero per incredulitatem pedibus quaſi conculcat? Quid? quod *ne quidem omnes Judæos*, quorum riſus quis metuat, habeamus adverſarios. Veteres enim de *Chriſto*, & quidem de Chriſto *naſcituro*, in loco Jeremiæ cogitaſſe, viri docti, *Pearſonius* in Expoſit. Symb. Apoſt. pag. m. 305. *Meierus* in fundamentis Theol. p. 842. *Joh. Henr. Majus* in Synopſi Theologiæ Judaicæ ſ. l. & alii oſtenderunt. Et, ſi id verum eſt, quod b. *Lampius* in Synopſi ſua Hiſt. eccl. Edit. Ultraj. p. m. 551. commemorat, Judæos recentioris ævi & ſuperioris ſeculi, concilio habito in Hungaria 1650. inter *Characteres Meſſiæ*, quem adhuc exſpectare volunt, & hunc repoſuiſſe ac definiviſſe: *Eum debere naſci ex virgine:* quid merito riderent noſtram expoſitionem loci Jeremiæ, cum potius id dogma egregie per hunc locum *confirmatum* videant, quod vel aliunde petitum, non amplius tantopere, nec in univerſum, averſantur: Et an ad eorum *riſus* reſpectum facer-mus vel minimum? Sed hæc ſufficiant; & hæc hac vice dicere habui, Vir clariſſime. Sic ubi

auda-

audacius, vel potius pro tuo in veritatem (ſed & in me) amore *confidentius* dixi: Hoc, tuarum erit partium, pro illo ipſo interpretarier amore, fidemque, quam ſupra dextra dediſti, ſervare. Diſſertatio tua ex latifundiis eruditionis petita eſt, & ſuum ipſi perſtabit pretium. Liceat tamen mihi & meam hypotheſin cum amico diſſenſu defendiſſe, cumprimis eo fine, ut experimenta faciamus, an loci noſtri dubius ſenſus magis magisque vel ab hac vel ab illa parte poſſit extra omne dubium poni. Atque ita Vale, vir cl. gratiæ div. commendatus animitus ac uberrime! Dabam Cothenis, a. d. 20. Aprilis *MDCCLXIV.*

V.

LITTERARIA.

SORÆ.

Summam 200 Imperialium ex nobili scientias utiles remque Christianam promovendi studio legavit Vir Nobilissimus de LICHTENBERG, illi ex quatuor Auctoribus distribuendam, qui omnium optime ex judicio Academiæ propositam materiam tractaverit. Habent igitur & DANI, quem Viris Optimis BENTLEJO, STOLPIO & KALSENIO jungant LICHTENBERGIUM. *Quare Salvator nobis fuerit necessarius?* quæstio fuit anni 1761.

STADÆ.

S. V. Superintendens J. H. PRATJE, præter continuationem des theologischen Magazins, edidit Brem- und Verdische Bemühungen die bekenner Jesu auf ihrem allerheiligsten Glauben, Gott zur Ehre durch schriftmäßige Predigten zu erbauen, Hamburg 1763. 8.

Et kurzgefaßten Versuch einer Verdenschen Schulgeschichte, 1764. 4.

STETTINI.

Prodiit V. C. JO. CAR. CONR. OELRICHS *J. U. Prof.* progr. *de Stampilla Diplomatica* 1762. *folio.*

STUTGARDIÆ.

V. C. M. JO. FR. *le* BRET, *Phil. Lectoris & Acad. Roboret. & Florentin. Membri*, Diss. hist. Eccl. *de Statu praesenti Ecclesiae graecae in Dalmatia, quae ritum Slavo-Servicum sequitur 1762.* forma Epistolari ad Doctiss. *Walchium* scripta est, lectu digna.

Ut & ejusdem V. C. *le* BRET, *Acta Ecclesiae Graecae annorum 1762 & 1763. sive de Schismate recentissime in Ecclesia Graeca subnato* 1763. 8. Historiam Eccles. novissimam Ecclesiæ Gr. in rep. Venetorum quod communicaverit V. C. multam gratiam ap. lectores inivit.

V. C. H. W. CLEMMII *P. P. & Eccles.* Novarum Amœnitatum Litterar. *Vol. 3. 1763. 8.*

Hrn. Filip Dav. Burk, von der Rechtfertigung und deren Versicherung im Herzen, nach dem Worte Gottes, 1763. 8.

TAURINI.

Prodiit *Miscellaneorum Taurinensium Tomus Alter. 1762.*

TONNINGÆ.

d. 27. Martii a. 1764. diem suum obiit V. C. JO. CHRISTOPH. CLEFFELIUS, cui inter alia debemus *Antiquitates Germanorum praes. Septentrionalium*, eorumque *Res nauticas.*

TRAJECTI AD RHENUM.

V. C. PETRUS LUCHTMANS, *Chirurg. Anat. & Med. D. & Prof.* d 24. Mart. a. 1763. Rectoratum exuit dicta Oratione, *de Mechanismo corporis humani, locupletissimo Sapientiae divinae testimonio.*

Et d. 26. Mart. a. 1764. Magistratum Acad. deposuit

fuit V. C. JO. C. RÜCKER, *J. U. Anteceſſor*, dicta orat. *de jure Civili Judiciorum norma.*

V. C. JO. CASTIGLIONEUS, *Philoſoph. Mathem. & Aſtron. P.* Berolinum vocatus, abiit.

Et in ejus locum conſtitutus eſt ut *Prof. Extraord. Philoſ. Mathem. & Aſtron.* V. C. JO. FRID. HENNERT, *Phil. D.* munuſque demandatum auſpicatus eſt d. 6. Febr. 1764. Orat. Inaug. *de Ingenio Mathematici,*

V. C. JO. DAVID HAHN, *A. L. M. Med. Dr. ejusdem & Philoſ. Phyſ. Experim. Chym. & Mat. P.* Vocationem a Gœttingenſibus oblatam recuſavit.

Lucem jam videt elegantiſſima HERODOTI, quam diu præſtolata eſt Reſp. Litteraria, editio, *Graece & Lat. ex Laur. Vallae interpret. cum adnotationibus Th. Galei & Jac. Gronovii Editionem curavit, & ſuas itemque V. C. Lud. Caſp.* VALKENARII *notas adjecit* vir cel. P. WESSELINGIUS. *Accedunt praeter vitam Homeri varia ex priſcis Scripti. de Perſis, Aegyptiis, Nilo Indisque exterpta & praeſertim ex Cteſia 1763. folio.*

V. C. SEBALDUS RAVIUS, *S. Th. D. LL. OO. & Ant. Hebr. P. O.* Tres edidit Diſſert. *in* CAR. FR. HOUBIGANT, *Oratorii D. J. Sacerdotis, Prolegomena in Scripturam Sacram: Primam* a. 1761. d. 16. Dec. *reſp. Jo. Smits: Secundam* a. 1762. d. 19. Jun. *reſp. Pet. Kaas: Tertiam* a. 1763. d. 1. Jun. *reſp. Isbrando van Hamelsfeld.* Inſtitutum hoc omnem meretur laudem, & lætamur huic operi lotam manum admoviſſe Virum celeb. in Litteratura Orientali verſatiſſimum, itque hoc ſaxum porro maſcule volvat, rogamus.

Diſſ. *Inaug. Theologicam*, quæ legi meretur, edidit Vir pl. Rev. & Doct. GERARDUS *de* HAES,

Gelrus, vocatus *V. D. M. in Scherpenzeel, de legitima, quae est in Christi sermonibus cohaerentia 1762.*

Sub praesidio V. C. G. BONNET *Th. D. & P.* conscripsit & edidit Dissertat. lectu dignam THEOD. ADR. CLARISSE, *Zelandus, de praecipuis Discipulorum circa personam & munus Mediatoris erroribus, fidem salutarem non tollentibus, & Divina in hisce conspicua gubernatrice Providentia 1763.*

Et a. 1764. Alteram *de mirabili Ecclesiae & reip. Judaicae, praesertim Servatoris & Apostolorum tempore, conservatione & finibus a Deo hoc pacto obtentis.* Mox vocatus est V. D. M. Amerongensis.

De Baptismo Christi veram Ecclesiae doctrinam ad Matth. XXVIII. 19. exposuit, novisque argumentis adstruxit & vindicavit JAC. NIC. HESLER, *A. L. M. & Ph. D. 1763.*

De *Cepotaphiis* edidit *Diatriben* V. D. R. M. *van* GOENS, *D. F. Trajectinus 1762. 8.*

Et V. D. PAULUS HENR. JUSTUS JVOY, *Trajectinus* diss. *Inaug. de hominum in republ. numero augendo 1763.*

Prodierunt quoque *Lettres Critiques d'un Voyageur Anglois sur l'Article*, Geneve *du Dictionaire Encyclopedique par Mr.* ZACH. BROWN, *Ministre Anglois a Utrecht 1762. 8.*

OCELLUS LUCANUS *en Grec. & en François, avec des Dissertations sur les principales questions de la Metaphysique, de la Physique & de la Morale des Anciens, qui peuvent servir de suite a la Philosophie du bon sens par Mr. le M.* d'ARGENS *1762.*

Commentarii in Danielem Viri pl. Rev. & Doctissimi JAC. ALB. VOS, *V. D. M. Montfortensis* lau-

laudati Cl. II. p. 418. prodiit *Tomus alter.* 1764. 8.

Edidit *Commentarii* Belgica lingua conscripti V. C. GISB. MATTH. ELSNERUS *Th. D. & P. in Epistolam Pauli ad Romanos, Partem I.* 1764. 4.

